image
not
available

1

Viri Clarissimi

STEPHANI LE MOYNE,

Dum viveret, S. S. Theol. Doct. ejusdemque facultatis, in Academia Lugd. Bat. Professoris.

DISSERTATIO THEOLOGICA.

Ad Locum Jerem. XXIII: VI.

DE JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA.

Nunc demum tenebris, quibus obruta erat, exempta, & publicæ luci exposita.





DORDRACI
Apud THEODOR: GORIS, Bibliopol.
CIƆ IƆ CC.

PRÆFATIO

ad

Lectorem Benevolum.



Ruditissimam hanc viri Clarissimi STEPHANI LE MOYNE (dum viveret dignissimi Theologiæ in Academiâ Lugduno Batavâ Professoris) dissertationem, jure merito ab interitu vindicandam censuit Vir optimus D. JOH. JANSONIUS, vigilantissimus ecclesiæ J. C. in Moordrecht Pastor, amicusque noster integerrimus, cui lemmata & indices debes B. L. & quicquid ornatus [illegible] operi accessit. Correctionem in se susceperunt duo orna-

tiſſimi juvenes, S. S. Theologię candidati. Nos viri optimi conſilio calculum noſtrum adjecimus, à quo vidimus locum claſſicum admirandâ cum diligentiâ, & ſapientiâ non ſolum diſcuſſum, ſed undiquaque ex Philologiâ & antiquitate ita amplificatum & illuſtratum, ut vel doctiſſimos erudire poſſint hæ lucubrationes. Nullus dubito, quin tu B. L. quam primum perlegeris, gratias ſis acturus editori, qui noluit ſibi ſervare, ex quo profecerat, cujuſque lectione delectabatur admodum. Ita ſolent veri meliorum literarum amatores, Recludere theſauros ſuos, & cum erudito orbe lubenter communicare quæ ad eruditionis augmentum

facere

facere possunt, sibi gloriæ ducunt. Erat Cl. STEPHANUS LE MOYNE vir in omni scibili & præsertim in antiquitatibus sacris & profanis, versatissimus, cujus varia sacra eruditissimorum manibus teruntur, & ore laudantur impensè, ut nemo sit, qui non optet plures acutissimi istius ingenii fœtus lustrare, à quo, quæ edidit, gustaverat. Totus orbis dolet ejus lucubrationes ad *Josephum* in tam perfidas incidisse manus, quę eas orbi invident, atque obscurum illum raptorem diris devovent, qui non solum viri maximi manibus, verum & omnibus bonis, quibus editionis fides facta fuerat, tantam facit injuriam. Credat, quisquis est, qui huic

thesauro cum bonæ conscientiæ vulnere incumbit, si vel post fata innotescat, suæ famæ haud delebile inusturum stigma, quem ipsa posteritas ex hoc crimine virum judicabit parum honestum. Ast tu B. L. candorem editoris nostri, & de omnibus bene merendi studium agnosce & vale.

Dordraci die XVI. *Novembris.*

SALOMON VAN TIL.

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, Quæ in hisce quinque Disputationibus illustrantur, Explicantur.

INDEX.

יהוה

יהוה צדקנו

SEU

DISSERTATIO THEOLOGICA

Ad locum, Jerem. 23:6.

DE JEHOVA JUSTITIA NOSTRA.

Cap. I.

Demonstrans hunc locum esse intelligendum de Messiâ.

Argumentum.

Diabolus vocatur Satanas, *id est, inimicus. Hinc &* Belzebub, *princeps muscarum & princeps inimicitiarum. Cum primis* Christo *bellum indixit, non tantum personæ, naturis, dignitati, officiis, vitæ, morti, miraculis, sed præcipue* divinitati. *Quæ tamen im-*

mota manet, omnibus Diaboli viribus par. Probatur divinitas Christi, *ex locis*, 2 Tim. 1: 12. & Phil. 2: 6. *Quare vocatur* Deus Exercituum, Mittendus אחר כבוד; Zach. 2: 8. *Vocatur etiam in hoc loco*, Jer. 23: 6. Jehovah Justitia Nostra. *Recensentur verba in fontibus Hebraicis. Adduntur versiones*, Syriaca, Arabica, Græca τῶν Lxx. Symmachi, Aliorumque. *Antiquorum quorundam Judæorum interpretatio, hæc diserte Messiæ applicantium*, ut Jonathanis Paraphrastæ Chaldæi, *Alius cujusdam* Jonathanis Thalmudistæ, Authoris Bereschith Rabba, Saädiæ, Abarbanelis, & Salamonis Jarchi. *Additur denique testimoniorum biga, Authoris libri* Jalkuth, & *Authoris libri* Ikkarim. *Hæc itaque verba de Solo Messiâ sunt intelligenda*, non de ipso Deo, nec de Israële, *multo minus* de Zorobabele, *aut* Jehosua *filio* Josedec. *Egrægia* Theodoreti & Eusebii *testi-*

stimonia. Eusebius à Lxx. interpretibus *in errorem adductus. Variæ antiquorum patrum ex Supinâ linguæ Hebraicæ ignorantiâ παρερμηνεία; Cui rei adstruendæ loca* Job. 39:19. Psalm 17:14. 87:5. adducuntur.

§ 1. PUdendo & infami nomine *Satanæ*, id est, Hostis & inimici, optime venit in Scriptura designatus *Diabolus*; eodemque jure illum *Belzebubum* appellatum credibile est. *Belzebub* enim notat non tantum principem muscarum, sed & principem inimicitiarum, principalem, capitalem inimicum: nullus enim magis continuas & acerbiores inimicitias Exercuit, quam Diabolus, totus incumbens Simultatibus, rixis, odiis, pugnis, bellis serendis & favendis; Fidelium vexator perpetuus, Angelorum adversarius implacabilis, Dei ipsius infensissimus hostis, & qui semper magnis inimicitiis voluit inclarescere.

§ 2. Sed nulli magis ἄσπονδον bellum indixit quam *Chriſto*, *Semini mulieris*, à quo, cum ſemper extrema ſibi timuerit, nihil intactum reliquit, quo illum invaderet, internecinique odii ſui furoribus illum laceſſeret, & proſequeretur. *Noam* mundi reparatorem non ità ferociter invaſit. *Abrahamum* patrem fidelium, non ita truculenter laceſſivit. *Moſes*. Iſraelis λυτρωτὴς & liberator non illum ita furentem expertus eſt. In *Davidem* non tot βέλη πεπυρωμένα vibravit, & intorſit. In *Johannem Baptiſtam Meſſiæ præcurſorem* non tam impotenti odio debacchatus eſt. Sed in Chriſtum totus furens irruit, repetitis ictibus illum adoritur, duplicatis odii caloribus in illum ſæviit, horrendarumque Orci portarum in ſubſidium vocatis conſiliis, artibus, dolis, viribus, furoribus, audax omnia tentavit, quibus, rebus ſuis ruinam proximam minantibus, feliciter conſuleret, Chriſtoque ſuperior tandem aliquando evaderet.

§ 3. Hinc

§ 3. Hinc est, quod personæ, naturis, dignitati, officiis, vitæ, morti, miraculis, famæ, doctrinæ Christi invidus non pepercit, varios Christo pseudo-Messias, mirus iste fingendi artifex, substituit, & excitavit; Prophetias de Christo mirâ violentia detorsit; typis & figuris tenebras offudit quas potuit opacissimas. Nascenti Christo insidias paravit. Baptizatum Christum, adque ministerium suum publice consecratum variis tentationibus aggressus est. Illius famam innumeris calumniis oneravit. Doctrinam Christi, qua nunquam sol Sanctiorem & puriorem vidit, putrido livoris sui dente arrodere conatus est, quasi homines in vitia solveret, sceleribusque nefandis viam sterneret, fibulamque laxaret.

§ 4. Sed præcipue Divinitatem Domini nostri Jesu Christi furens involavit, à qua Sola sibi timendum sentiebat, & qua semel sublata, triumphantis Christianismi moles penitus

evertitur. Ideoque primo seculo per *Ebionitas* & *Nazaræos* illam petulanter impetivit; secundo seculo per *Artemonem*; tertio seculo per *Paulum Samosatenum*; quarto seculo per *Arium & Photinum*; tandem per *Muhammetem*; & his ultimis temporibus etiam locutus est per primogenitum illum suum, in faustum illum *Faustum Socinum*, qui in dedecus reformationis *Photinianismum* redivivum obtrudere infando molimine conatus est.

§ 5. Sed immota manet Divinitas Domini nostri Jesu. Contra illam hereseos fluctus volvuntur inanes: ad illum scopulum eliduntur omnes inferni vires: totaque Diaboli rabies impar est, tanto molimini, tamque firmis fundamentis vel minimum convellendis. Enimvero Jesu Christo *cultus divinus* tribuitur; *Attributa divina*, quęcunque sunt, adscribuntur; *Operationes* etiam tribuuntur, quę in vires infinitas tantum cadere possunt. Nam quis orbis

bis integri grave pondus, poteſt ſuſtinere niſi Deus, φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως ἀυτȣ̃? Quis corda flectere affectuſque luxuriantes & rebelles ſub jugum mittere, niſi Deus καρδιογνώστης, renum ſcrutator, abſtruſiorumque cogitationum nunquam aberrans inveſtigator? Quis Diabalos vinctos & catenatos, ringentes licet & furentes coërcere poteſt, niſi ſupremus Deus, qui ubique regnat, vincit, imperat, ferreïſque juſtitię ſuæ pedibus: inſanientes inferni legiones conterit & conculcat? Quis potentiſſimis ſuis brachiis cœli valvas reſerare poteſt, Μονὰς non μεταβολὰς tantum diſponere, locaque ſternere & parare nominis ſui cultoribus, niſi æternus ille Deus, fortis fidelium arbiter, cælique rector, & Δεσπότης ἀνυπεύθυνος? *Enoch* quippe in cœlos raptus amœniſſima illa loca non parat fidelibus, ætate ſibi ſupparibus, qui vivebant ante legem. *Elias* radiante curru in cœlos evehitur, ſed quaſi *Angelus* vel aliquis *Meta-*

tor tabernacula illa cœlestia non figit & explicat, accipiendis sub lege fidelibus destinata & comparata. *Paulus* Apostolus cœlos cœlorum penetravit, sed de locis cuilibet sub Euangelio assignandis & tricliniis sternendis, ad celebrandas *Agni* nuptias, nequidem cogitavit. *Angeli* descendunt & ascendunt in cœlos, sed impares ea cura minime sollicitat, universalisque illa provincia uni Deo reservatur; Quam cum in se recepit *Dominus noster Jesus*, Divinitatis illius non est minimum argumentum.

§ 6. Cui non leve pondus accedit ex conservatione illarum mansionum & gloriæ cœlestis, quæ non nisi à potentissimo Deo nobis sarta & tecta servari potest. Hinc illa animi vere securi & de deposito suo minime solliciti, 2 Tim 1: 12. Οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα καὶ πέπεισμαι ὅτι δυνατός ἐστι τὴν παραθήκην μου φυλάξαι εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν. *Novit in quem credidit*; & quia novit esse Deum ipsum, *De deposito*, vel minuen-

nuendo, vel alterando, vel negando, vel amittendo, illius animum ne minima quidem invadit ſuſpicio. Si *Angelus* ſuum ſervaret depoſitum, non ita tranquillus foret, fideique & ſpei ſuæ cum quadam formidine ſemper luctandum eſſet: exemplum lapſorum Angelorum illum ſemper terreret, & finita cœleſtium ſpirituum potentia metum aliquem ſemper relinqueret, ne depoſitum ſuum aliquid detrimenti pateretur. Si ψιλῷ ἀνθρώπῳ talis cura demandata foret, eædem recurrerent metuendi rationes. Exemplum primi hominis, qui rem ſuam, ſuorumque tam infeliciter geſſit, non leviter corda hominum afficeret; Varięque animum ſubirent anxietates, & inquietudines, cum fiducia, πληροφορίᾳ, Chriſtianaque ſecuritate, penitus ἀσύστατοι. Sed Apoſtolus exſultabundus, Et omni metu vacuus in hæc verba prorumpit, Οἶδα ᾧ πεπίστευκα, καὶ πέπεισμαι ὅτι δυνατός ἐστι, &c. non Angelum, non hominem *mei depoſiti* cuſtodes agnoſco;

 non

non ſunt Δυνατοὶ, non ſunt fideles eo gradu, quo poſſit in eas ſpes mea recumbere. Solum enim agnoſco *Dominum noſtrum Jeſum*, *teſtem illum fidelem*, *virtutem Altiſsimi*; illiſque duobus fundamentis innixa fides mea, Cor meum ullis ſollicitudinibus patere non permittit.

§ 7. Sed Achilleum argumentum ſuppeditant verba Apoſtoli Pauli, Phil. 2: 6. ubi dicitur quod Chriſtus, Ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ: Oppoſitione *ad Angelos*, qui ſuperbo quodam faſtu jura Dei ipſius invadere voluerunt; Vel oppoſitione ad *Adamum primum*, qui rapina infelici ad faſtigium divinitatis voluit aſſurgere; Vel oppoſitione *ad Deos gentium*, qui debitos Deo honores furabantur & rapiebant; Vel oppoſitione ad *Imperatores Romanorum*, quorum animas ab Aquilis in cœlum raptas credidit adulatrix antiquitas, illoſque *Apotheoſi* donatos, & Καθοσιώσει conſecratos, divino cultu, ſupremis honoribus inſaniens

eſt

est prosecuta. Sed *Dominus noster Jesus* Dei patri est æqualis, cum patre unus, est solus verus Deus, & non vi, non arte, non fraudibus, scandit decus istud eximium; sed ex naturâ sua habet quod in terra juxta ac in cœlis rerum omnium potiatur. Hinc augusto JEHOVÆ nomine sępissime decoratur, pręcipue apud Zachariam, cap. 2: 8. ubi vocatur *Dominus Excercituum*, & dicit se *missum* אחר כבוד, *alteram gloriam*, gloria Mosaica clariorem & fulgidiorem; vel אחר כבוד, id est, *post gloriam*, ad congregandos totius orbis populos, illosque ad verum Dei cultum feliciter deducendos. Quâ conversione gentium, *Christus manifestatus in carne*, dicitur *in Gloriam assumtus*: isto quippe stupendo opere, nihil gloriosius excogitari potest, & inter omnia Christi miracula primum jure ac merito venit annumerandum

§ 8. Sed & in hoc ipso Textu, quem pertractandum suscepimus,

Jerem.

Jerem. 23: 6. Dominus noſter Jeſus etiam JEHOVAH denominatur, & JUSTITIA NOSTRA: Nam hoc *Capite* de MESSIA agi, nemo niſi inſanus, vel præjudiciis occęcatus audebit denegare. Verba Prophetę hæc ſunt; וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו, & *hoc eſt nomen quo vocabunt eum* DOMINUS JUSTITIA NOSTRA. *Syrus* habet, מריא צדק DOMINUS, JUSTITIA NOSTRA. *Arabs*, והו אלשם אלדי ידעוחן כה אלרב יושדק Et hoc *eſt nomen in quo vocabunt eum*, DOMINUS JOSEDEC, *Ioſedec* illud fluxit, à Verſione τῶν LXX. apud quos legitur, καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὃ καλέσει αὐτὸν Κύριος, Ἰωσεδὲκ: unde patet *Verſionem Arabicam* fluxiſſe ab interpretatione τῶν LXX. non vero *Syriacam*, quę non convenit cum *Septuaginta-virali*, in illo *Iaſedec*, & quæ revera *Arabica* multo eſt antiquior. Nam citatur à *Theodoreto* in hunc modum, qui obſervat *Syrum* interpretem hæc verba reddidiſſe, per, *Domine, Iuſtifica nos*; adeo ut

ut legerit, non quidem צִדְקֵנוּ, *Iustitia nostra*, sed צַדְּקֵנוּ, imperative, id est, *Iustifica nos*: Unde apparet, ob defectum punctorum variæ hæc verba lecta fuisse; Nam alii verba *Hebraica* servarunt, ut Lxx. *viri*, & *Arabs*; Alii verbaliter, ut *Syrus* & *Symmachus*, ad cujus editionem forsan fuit adornata interpretatio *Syriaca*, nam sic legit *Symmachus*, Κύριε δικαίωσον ἡμᾶς; Alii legunt *adjective*, ut *Dominus, justus noster*, sic *Vulgata*; Alii legunt *substantive*, DOMINUS, JUSTITIA NOSTRA, Et eo hodie tendit Commentatorum cohors longe numerosior.

§ 9. Emnivero licet in verbis aliquod inter interpretes appareat dissidium, in re tamen omnes conveniunt, unoque ore profitentur, hic de MESSIA verba fieri, illiusque dignitatem & beneficia nobis repræsentari, augusto illo nomine, scilicet, DOMINUS, JUSTITIA NOSTRA. Mirum est vero *Socinianos* juxta ac *Iudaeos* in tantâ Luce cæcutire, & in-

inter tot Ὁδηγῶν faces, à veritatis tramite tam infeliciter deviare. Ea quippe non de *Messiâ* sed *de populo Israelitico* vel *de Deo ipso* esse intelligenda vani & amentes asserere non erubuerunt. Sed hoc est vim Scripturæ inferre, eique non se attemperare, sed eam ad effrænes & luxuriantes sensus suos intorquere & inflectere. Sed tamen ut verum fateamur, non Judæos omnes occupavit iste grassandi Cacoëthes, & Scripturas intorquendi intoleranda libido. Non omues Hebræi omnem pudorem excusserunt, & multi inter eos exstiterunt, ex quorum ore vis veritatis erupit sępissime. Hos inter censendus videtur *Paraphrastes Chaldæus*, qui hunc locum de *Messia* procul dubio intellexit; sic enim ille, הא יומיא אתן אמר יי ואקים לדויד משיח דצדיקיא, *Ecce dies venient, inquid Dominus, & suscitabo David* MESSIAM *justorum.* Et post pauca addit, דין שמיה דיהון קרן ליה יתעבדן לנא זכון מין קדם יי ביומוהי, *Et*

Et hoc nomen ejus, quo vocabunt eum, fient nobis JUSTITIÆ *à facie Domini*; Non Dicit, *quo Deus vocabit eum*, Scilicet populum Israëliticum; Sed *quo vocabunt*, scilicet, quo populi Juda & Israël *vocabunt Meßiam, authorem justitiæ*, & à cujus regimine, tot tantaque beneficia debebant sibi polliceri. Cujus *Paraphrastæ* authoritas, non leviter Judęos movere deberet cum fuerit juxta illos *Hillelis discipulus*, cum Deus illum oraculo בת קול, *filiæ vocis*, alloqui non fuerit dedignatus, Cumque, illo hanc ipsam *Paraphrasin* adornante, terram ad quinquaginta milliaria conçussam & agitatam fuisse, Suaviter juxta ac splendide mentiantur.

§ 10. Ab hoc *Ionathane Paraphraste* ad alium Cognominem transeamus, de quo mentio in *Talmude Tractatu Baba Batra.* Ibi quidam *R. Ionathan*; neque enim eundem cum *Paraphraste* facile crediderim; quidam, inquam, *Ionathan* hanc ve-

veritatem suo confirmat Suffragio: Sic enim ille Distinctione, quę incipit *Hammochem*, & *Hassephina*; שלש נקראו בשם הקבה עריקים משיח וירושלים צדיקים וגו משיח כד כתיב וזה שמו אשר יקראו ״ צדקנו; *tres vocantur nomine Sancti Benedicti Dei*; *Iusti*, *Meßias*, *Ierusalem*: *Iusti*, &c. *Messias*, *sicut scribitur*, *Et hoc est nomen*, *quo vocabunt eum*, JEHOVAH, JUSTITIA NOSTRA. Unde apparet *Talmudistas* ipsos hanc veritatem agnovisse, nec ita studio partium abreptos, & inconsulto omni pudore hæc verba voluisse, in alienum sensum detorquere. Sed non tantum *Paraphrastas* & *Talmudistas* consentientes habemus; Judæorum veterum *concionatores*, seu דרשנים, etiam nobiscum faciunt, illosque videre est in Castris nostris militantes, Et bonę causę patrocinium contra suos suscipientes: Nam in *Medrasch*, in *Thren.* 1:16. *R. Abba*, quærenti, *quodnam est nomen* MESSIÆ? respondet *nomen esse*

esse יהוה, quia *Ierem.* 23:6. dicitur, זה שמו " צדקנו, Hoc est *nomen ejus*, DOMINUS JUSTITIA NOSTRA; Et ibidem, *R. Levi* dicit, *Felix est urbs, quæ habet nomen Dei sui, felix est urbs; cujus rex habet nomen Dei sui, sicut dicitur, Ierem.* 23:6. זה שמו " צדקנו, *Hoc est nomen ejus*, DOMINUS, JUSTITIA NOSTRA. *Paraphrastis, Talmudistis, Concionatoribus* jungamus & alios, *Commentatores* scilicet, & *Sacræ Scripturæ interpretes* non ignaros. Hos inter primus venit annumerandus *Author Bereschith Rabba*, in *Gen.* 25:6. ubi de *Sabæis & Madianitis* convertendis verba faciens, addit, כלם משבא יבאו זהב ולבונה ישאו ותהלת יהוה יבשרו זה מלך המשיח שני זה שמו אשר יקראו " צדקנו; *Omnes ex Saba venient, & afferent aurum & Thus, & annunciabunt laudes Domini; ille est* MESSIAS, *sicut dicitur, Hoc est nomen ejus*, DOMINUS, JUSTITIA NOSTRA. Nec nobis prætereundus est Eminen-

tiſſimus *Saädias Gaon*, *in Dan.* 7: 13. ubi agitur de *filio hominis*, nubes ut currum agitante, & gloriam ſuam ubique diffundente; ibi annotat *Saädias*, הוא משיח צדקנו, Hic *eſt Meßias*, *Iuſtitia Noſtra*. *Abarbanel* ipſe, furens iſte *Abarbanel*, quo nullum impotentiorem & acerbiorem hoſtem experta eſt veritas; ipſe *Abarbanel*, in Dan. 9. ubi de *Sancto Sanctorum* agitur, hoc de *Meßiâ* intelligendum cenſet, & quaſi *Saadiæ* quadras legere voluiſſet, addit, אהוא משיח צדקנו; Quod revera incogitanti, ſed tunc minus cęcutienti excidiſſe videtur, cum alias hanc veritatem ſugillet, laceret, eamque ut ineptam impotenter traducat. Non ea fuit mens *Kimkio*, qui in *hunc Ieremiæ locum* non potuit ab impudentia Iudaica impetrare, ut hic veritatem proderet, & quaſi neceſſitate coactus, his verbis textum, quem præmanibus habemus, explicare voluit; ישראל יקרא המשיח בזה השם״ צדקנו שבימיו צדק ״לנו קים תמיד לא;

לא יסוי; *Iſrael vocabit* MESSIAM *hoc nomine*, DOMINUS, JUSTITIA NOSTRA, *quia ejus Temporibus erit Domini juſtitia nobis firma, jugis, & non recedet.* Quo videtur etiam propendere *Jarchi*, qui hæc verba ſic reddit, יהוה מצדיק אתנו בימיו, *Dominus juſtificans nos, in diebus illis.*

§ II. Sed ut ſuffænos Judæos, & nimium ſibi plaudentes, domeſticis teſtibus obruamus, audiamus & *Simeonem*, Rabbinum iſtum, Authorem libri, cui nomen fecit *Jalkuth*, id eſt *pera*; & ex illâ pera lapidem eruamus, quo Goliathorum iſtorum, gloriæ Dei Iſraelis tam impudenter detrahentium, inſolentia deturbetur & exanimis jaceat. Nam *Simeon* iſte ad *hunc Ieremiae locum* obſervat, *R. Samuelem*, *F. Nachmani*, *& R. Ionathanem*, ea verba de MESSIA interpretanda cenſuiſſe; Et locum *Jonathanis ex Baba Batra*, quem ſupra tetigimus, repræſentat, qui tres in Scriptoribus Sacris, nomine

Domini insignitos, & decoratos existimat; *Ierusalem*, quia Ezech. 48:35. vocatur, שמה ״, *Deus ibi*; *Iusti*, quia Jes. 42:7. dicitur, *omnem, qui vocatur nomine meo, formavi*; & *Meßias*, quia Ier. 27. dicitur, *Hoc est nomen ejus*, DOMINUS, JUSTITIA NOSTRA. Quod rectà jugulum petit desperatę causæ Iudæorum, unoque ictu tres plagas infligit, temeritati rigidiorum, & intemperantiorum Verparum.

§ 12. Ad cumulum & Coronidis loco addamus testimonium *libri fundamentorum*, ספר עקרים; is enim lib. 2. cap. 28. Sic de *Meßia* loquitur, ut de eo non possit melius pectus Christianismo puriori incoctum; ויקרא הכתוב שם המשיח ״ צדקנו להיותו אמצעי אל׳ שנשיג הצדק מהשם עליו; *& vocat Scriptura nomen Meßiae, Dominus, justitia nostra, quia est mediator Dei, & assequimur justitiam Dei, per ejus ministerium.* admittit Messiam mediatorem ad Deum, quo solo justitiam assequi nobis concæ-

ceditur, inculpatique & ἀνεπίληπτοι sistimur coram tribunali Dei. Quam Saniorum juxta ac vetustiorum Judæorum Sententiam; utinam non adulterassent, Hierosolymam terrenam anhiantes, & crassiori glebę adhærentes recutiti. Omnibus prejudiciis mundanis, quibus nunc dementantur, liberi, Iesum Dominum nostrum ambabus ulnis amplecterentur; Mediatorem agnoscerent; Advocatum apud Patrem colerent; Unicumque justitiæ & Sanctitatis largitorem laudibus & encomiis æternûm prosequerentur Audirent vocem *Apostoli Theologi*, 1 *Ioh.* 2: 1. pęnitentibus fidelibus tam leniter blandientem; *Fratres*, inquit, alludens ad saniorum & vetustiorum Hebræorum doctrinam, *Si peccavimus, habemus Advocatum Mediatorem, Iesum Christum Iustum, qui factus est propitiatio pro nobis*, & à quo Solo justitiam veram, firmam, jugem possumus mutuari. Sed de his forsan infra pluribus, Deo dante.

§ 13. His ita expensis facile cuivis patebit ex consensu ipso quam plurimorum doctorum Hebræorum, hæc verba *non de Israele, nec de Deo ipso, sed de Messiâ* esse intelligenda. Nec vero similior fuit sententia quorundam Vetustissimorum Judæorum, qui *nec de Deo, nec de Meßia, nec de Israele* hęc verba accipienda censebant, sed de *Zorobabele Judæorum restauratore*, & qui Judęos captivos Babylone, Hierosolymam postliminio reduxit. Hoc videre est apud *Theodoretum*, qui, licet mitioris indolis & ingenii, impudentiæ tamen notam huic sententiæ inurere non dubitavit; eamque non rationis & veritatis incude elaboratam, sed in ipsius ἀναισχυντίας fornace fictam & efformatam, ματαλοιδορίας exagitavit: Nam, inquit ille doctissimus Cyrensis Episcopus; *Zorobabel non fuit rex, Zorobabel non fuit vocatus Josedec, Zorobabel non fuit justitia Ecclesiæ, nec res Judæorum afflictas & accisas in tam florentem sta-*

statum restituit, ut propterea Jehovah, justitia nostra denominari debuerit. Suspicor & ante *Theodoretum*, seculo nimirum IV. alios exstitisse, qui non ad *Zorobabelem*, sed ad *Iehosuam Iosedeci filium* hęc verba trahere conabantur, quippe, Ἡγησάμενον τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας, inquit *Olympiodorus.* Sed bene *Eusebius* huic irrepenti sententię omnem rimam obthurans, Οὐδεὶς, inquit, μετὰ τὸν Ἱερεμίαν, οὔτε μετὰ τὸν Ζαχαρίαν γέγονε, τοῖς ἐκ περιτομῆς, Ἀνατολὴ δίκαια καλούμενος, καὶ συνιὼν βασιλεὺς, καὶ ποιῶν κρίμα, καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς: οὐδὲ γὰρ Ἰησοῦς, ὁ τοῦ Ἰωσεδὲκ ἐκ γένους ἦν Δαβὶδ, οὔτε ὡς βασιλεὺς ἐβασίλευσε; φυλῆς γὰρ ἦν Δαβὶδ, (lege Λευὶ,) καὶ τάξεως ἀρχιερατικῆς: id est, *Nullus, neque post Ieremiam, neque post Zachariam exstitit, qui apud Iudæos vocaretur Oriens justus, & rex intelligens, & faciens judicium & justitiam super terram; Iesus enim, sive Iehosua filius Iosedec non erat ex gente Davidis, nec ut rex imperavit; erat*

enim ex tribu Levi, & ordinis sacerdotalis. Unde, quasi Vitilitigationos plane foret obthuratum, & ulteriori dubitationi nullus amplius super esset locus, in hæc verba tandem erumpit; Δεῖ ὁμολογεῖν, εἶναι Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν καὶ ἐν ἑτέροις φῶς κόσμου καὶ φῶς ἐθνῶν ἀνηγορευμένον: *Necessario confitendum est, intelligendum esse Jesum Christum, qui & alibi vocatur lux mundi, & lux gentium.* Verum quidem est, exemplaria τῶν Lxx quibus usus est *Eusebius*, illi fraudi fuisse; Nam cum incidisset in Codices, qui non *Josedek* legerent, sed *Josedekim*, illam interpretationem pluralem, ad fideles Novi Testamenti etiam derivavit; Et ad illam interpretationem adornandam arguta sane, sed à scopo Prophetæ penitus aliena excogitavit. Sic ex variis & pravis Lectionibus, in varias sententias sæpe abiërunt patres, de Ecclesia melius meriti, si omnia diligentiori pondere & Sanctuarii trutinâ castigare voluissent. Sic, cum apud

Jo-

Jobum, cap. 39: 19. φόβον, pro φόβην legissent, nescio quę, de *hinnitu*, *fremitu*, *terrore equi superbi & generosi* sibi finxerunt, cum *juba* & *Coma equi*, qua collum ejus induitur & superbit, veniat intelligenda. Sic, cum Psalm 17: 14. ὑῶν legissent pro υἱῶν, *porcorum* loco *filiorum*, vix credibile est, quam ἀπεσχεδιάσματα ad hunc locum congesserunt. Sic, cum Psal. 87: 5. pro Μήτη Σιών, legissent Μήτηρ Σιών, tam difficiles & laboriosos, licet prorsus alienos sensus excogitarunt; ut, si rerum gravitas, authorumque Zelus pateretur, non nisi cum ludibrio & contemptu accipi mererentur. Sic, cum *Eusebius* pro *Josedek* legisset *Josedekim*, quod forsan fluxerat ex *Josedec*, & ἐν, quod immediate sequebatur, illa prava lectiò, si non sudes & trabs fuit, in illius oculis, saltem squama & palea fuit, qua, oculorum, licet ὀξυδερκεστάτων, acies, debilitata, integram veritatem non potuit animadvertere, & ad alia longe deflexit: Ut solent,

qui à recto tramite vel leviter deviârunt; & qui pyxide nautica curvata & vitiata, Cynosyraque & Helice obnubilatis, molestam & damnosam instituunt peregrinationem, licet navim ad scopulum non allîdant, & Naufragi non appellant littora,

——Gaudent ubi vertice raso,
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Cap. II.

Fuse differens de voce צמח, ex versu præcedente repetitâ; & de significatione, & pronunciatione nominis.

יהוה

Argumentum.

צמח *ex versu præcedente altius repetitur.* צמח, *Confirmante* Jonathane, *ubique est* Messias. *Varia* Messiæ *nomina, ex tractatu* Sanhedrin, Schilo, Innon, Chanina, Menahem, Chavariata. צמח, & מנחם, *sunt* ἰσόψηφοι; *hinc* Judæi

dæi *per* Gematriam, *probant* Messiam *non tantum* מנחם *Sed &* צמח *vocari. Aliud testimonium* ex Midrasch. צמח *redditum per* βλάστημα, *sed melius per* Ἀνατολήν; *sic vere ubique* LXX. צמח *apud Chaldæos, & Syros*, est jubar, Coruscatio. *Lux infertur loco, Hebr.* 1:2. *ubi alluditur ad Jes.* 66:11. *Judæorum de ave* זיז; *insulsa Somnia. Vel alluditur ad Jes* 4:2. *Locus insignis de splendore* Messie, Psal. 132: 17. קרן, Cornu, *pro* splendore. Facies Mosis cornuta. Messias, Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, Luc. 1:78. Justini Martyris testimonium. Ανατολὴ, idem ac Ἀνατέλλων. Ἄστρον πρωϊνὸν. אילת השחר. כוכב. Φωσφόρος. *Veterum Christianorum cultus ad Orientem directus* cujus vera *ratio hinc datur aliis rejectis.* אור גדול. Φῶς τῶν Ἀνθρώπων. Πατὴρ Φώτων. Jacob. 1:17. Hinc Sol justitiæ, Mal. 4:2. *ubi alluditur ad Medicos* περιοδευτὰς, Circitores *Ethnici, Medicinae inventum, Apol-*

pollini Soli tribuebant. Valeriani Plinii testimonium illustratur יהוה *notat* eum qui est; *falsa numina sunt* אלילים, *Non entia.* מתים, Jes. 8: 19. זבחי מתים, Psal. 106: 28. Sanchoniathonis Μῶθ, דרש אל מתים, Deut. 18: 11. Jehovah *repraesentatur Arabicâ voce* Oboda. Abaddon. כיון, *Amos* 5: 26. *redditur per* Ῥηφᾶν, Act. 7: 43. *Laterculus planetarum, Hebraicus, Arabicus, Persicus, Copticus,* Ῥηφᾶν *est* Saturnus. *Veteres* יהוה *reddiderunt per* Ἰάω. Theodoreti, Clementis Alexandrini, Cyrilli *testimonia* Ἰαὼ συντέλεια, Ἰαὼ ἰσχὺς, *apud* Hesychium. Ἰάω *innotuit ipsis gentibus. Probatur ex* Diodoro Siculo, & Macrobio. *Antiquitas credidit,* Ἰάω Bacchum *designari. Judæis Bacchi cultus imputatus. In Templo vitis aurea. Bacchus vocatur* Ἰακχὸς, Σαβάζιος, Ἰάω. Ἰαωΐα, apud Origenem & Irenæum, *Coaluit ex* יה, & יהוה. Irenæi *locus difficilis.* Gnosticorũ, &

& Basilidianorũ Valentinianorum *commenta.* Basilidianorũ *amuleta, & instrumenta* ἀποτρόπαια, *voce* Ἰάω *inscripta.* A *singulis Dîs, & planetis, singula corporis membra pendére, opinabantur olim Ethnici. In variis nummis* Ἰάω, & Abraxas *conjunguntur.* Scaliger *notatus. Ægyptiorum calumnia, Judæos asinum coluisse.* Ἰάω, vel Ἰέω, *Ægyptiorum linguâ* ὁ ὄνος, Asinus. Vox יהוה *non est reddenda, per* Ἰεώυα, vel Ἰεωύαια. Apollinis Clarii de nomine Ἑπταγραμμάτῳ *oraculum, apud* Eusebium. Σέρεπτις. Ἐρικέπω. *Cabbalistarum de isto* Ericepo, *horribiles & laboriosæ nugæ.* Ἐρικέπω forsan ארך אפים, μακρόθυμος. *Nomen* ἑπταγράμματον *apud* Eusebium *est* Osiris. *Numerus Septenarius apud Ægyptios vocatur* φωνὴ, χεῖσις, Ὄσιρις. *Septem vocales tanquam Hymni, apud eosdem, in honorem Osiridis Decantari solebant.* Liber περὶ Ἑρμηνείας, Demetrio Phaleréo *abjudicatus, &*

au-

authoritate Aristophanis Scholiastis in Nubibus, Dionysio Halicarnassæo *restitutus. Gnosticorum jocularis Deos colendi Modus. Eorundem de septem vocalibus jactantia.* Irenęi & Nicomachi Geraseni *super hâc re testimonia. Veterum* Heptachordon *septem planetas referens.* Gnosticorum & Basilidianorum *nummi, septem vocalibus* ΑΕΗΙΟΥω *inscripti.* ΑΕΗΙΟΥω *non refert nomen* יהוה*; Sed scriptum erat in laudem septem vocalium.*

§ 1. CApite præterito vidimus hunc *Jeremiæ* locum esse interpretandum de *Messia*, & de צמח de quo versu pręcedenti mentio facta fuerat. Nam revera צמח, est *Messias*; hanc sententiam calculo suo confirmante *Jonathane, Targumista Chaldaico.* Nam multoties occurrit in Scriptura vox illa צמח sed illam reddit Paraphrastes *Jonathan* per המשיח. sic Es. 4. *in die illa erit*

צמחו

צמחו Targ. Fut. משיח. ſic Jer. 33. ſic Zach. 3. ſic Zach. 6 ubi צמח ſemper redditur per המשיח, ſicut & illo textu quem prę manibus habemus. Obtinuit illa ſententia apud veteres Judęos, qui nondum omnem frontem & pudorem depoſuerunt. Et ne temere hoc finxiſſe exiſtimarentur, fundamentum hujus ſententiæ ſtatuminandæ more ſuo quæſiverunt.

§ 2. Meſſiæ quippe varia nomina ſolent adſcribere Iudæi, ſic in Tractat. *Sanhedr.* c. xi. fol. 98 p. adverſ. ר יחנן אמר למשיח מח שמו דבי ר שילא אמרי שילה שמו שנ' עד כי יבא שילה דבי ר ינאי אמרי ינון שמו שנ יהי שמו לעולם לפני שמש ינון שמו דבי ר חנינה אמר חנינא שמו שנ אשר לא יתן לכם חנינה וי א מנחם כן חוקיה שמו שנ' כי רחק ממני מנחם משיב נפשי ורבנן אמרי חיוורתא שמו שנ' אכן חליינו הוא נשא ומכאובנו סבלם ואנחנו חשבנו הו נגוע מוכה אלהים ומעונה. Eximius certe locus qui licet longior videatur, non potui tamen illum intactum relinquere, cum ex eo innumera in gra-

tiam

tiam Meſſiæ noſtri facile ſit colligere. Sic vero reddendus eſt. *R. Iohanan dixit quod nam eſt* MESSIÆ *nomen? qui ex R. Schila* (οἱ περὶ σίλα qui ex ſchola R. Schilę) *dixerunt quod vocatur* SCHILO *ſecundum id quod habetur* Geneſ. 49. *donec veniat Schilo. Qui ex ſchola R. Iannai dixerunt Meſſiæ nomen* INNON, *quia Pſ.* 72. *dicitur illius nomen erit in æternum, ante ſolem Innon nomen ejus. Qui ex R. Chanina dicunt quod* CHANINA *gratioſus ſit nomen Meſſiæ quia Jer.* 16. *dicitur non dabo vobis Chanina gratioſum, ſunt qui dicant* MENAHEM *filium Ezechiæ eſſe nomen Meßiæ, quod nimirum ſit Menahem conſolator, quia dicitur Lamentat.* 1. *Longe receßit à me conſolator, at Doctores alii dicunt, quod nomen Meßiæ ſit* CHAUARIATA, *leproſus, quia morbos noſtros tulit, & dolores noſtros portavit, at nos reputavimus illum vulneratum percuſſum Dei & afflictum.* Ex quo loco variis modis urgeri poteſt

teſt pertinacium Judæorum impudens contumacia; ſed quod ad propoſitum noſtrum videtur conducere, obſervant *Meſsiam* vocandum *conſolatorem*, & מנחם. Ex cujus Litteris cum numerus ad 138. aſſurgat, צמח vero ſit ἰσόψηφος, & illius litteras eundem & parem numerum fundere animadvertant; per decantatam *Gematriam* ſuam, primum & frequentiſſimum modum ex illis 13. quibus interpretari ſolent Sacram Scripturam, & cujus in myſterio numeri *666.* quædam occurrunt veſtigia, per Gematriam inquam iſtam inferunt, צמח nobis *Menahum* & *Meſsiam* repreſentare. Non eſt ergo nova interpretatio noſtra, non partium ſtudio quæſita & introducta, non ad arbitrium noſtrum ficta, & ut rebus noſtris laborantibus jure vel injuria poſſemus conſulere. Inimici noſtri ſunt judices, & ex eorum ore victrix veritas erumpit. Quod, ut omnis ſcrupulus & ſuſpicio tandem avelli poſſit, alio teſtimonio poſſu-

mus adhuc confirmare, deducto ex *Midrach super Proverbia* Fol. 71. col. 3. אמר ר' הונה שמונה שמות נקראו משיח ואלו הן ינון שילה דויד אליהו מנחם יהוה צדקנו וצמח *R. Hunna dicit quod octo nominibus nominetur Meßias. Ecce illa, Innon, Silo, David, Elias, Menahem, Jehova, justitia nostra, oriens.* Ubi secundum sententiam hujus Rabbini vox Jehova dispescenda à sequente, *justitia nostra*, secus 7. nomina tantum Messiæ occurrerent. Sed secundum hunc R. *Hunnam Messias* vocatur *Menahem consolator, Jehova, justitia nostra, oriens*, allusione proculdubio ad caput & ad comma quę enarranda & tractanda suscepimus.

§. 3. Sunt vero inter Orthodoxos, qui reddunt צמח per βλάστημα *Germen*. Et revera *Meßias* est *Germen*. Et mirum *Germen*, quod esse suo, vita, duratione, fructibus, omnia alia germina longe superat & antecellit. Originem trahit à cœlo, illi omnes fideles inoculantur & inserun-

ſeruntur, hiemis tempeſtatibus non eſt obnoxium, extra illud nulli fructus poſſunt matureſcere & acerbitatem naturalem exuere, in illo amœniſſimorum fructuum Annona uberrima; & etiam ſi ex imo originem trahere videatur, aſſurgit in altum, caput inter nubila condit, & *ſurculus ille* Eſ. 11. evadit vexillum altiſſimum, quo erecto & explicato, ad illud confugiunt fideles, illiuſque umbram, folia, flores, fructus ambiunt omnes gentes terrę, illis ſanitatem & vitam æternum recuperaturæ.

§ 4. Quibuſdam vero magis arridet interpretatio ξ צמח per ἀνατολὴν *Orientem.* Quam ſententiam, licet alteri minus infenſior ſim, magis me probare ingenue profiteor. Sic enim fere ubique LXX. Interpretes ut *Zach.* 3. & 6. reddunt צמח per ἀνατολὴν. Et in hoc ipſo loco habent etiam ἀνατολὴν. Et revera apud *Chaldæos* & *Syros* vox צמח idem eſt quod *ſplendor*, *jubar*, *coruſcatio*, ideoque Hebr. c.

 1. ubi

1. ubi legitur ἀπαύγασμα δόξης, *Syrus* reddit צמחא *splendor, & lumen oculos perstringens.* Et videtur alludere Locum Es. 66:11. ubi etiam Messias sub N. T. exhibendus & manifestandus, dicitur, זיז כבוד *splendor Gloriæ Dei.* Stulti sunt Judæi qui de זיז, fabulosa commenti sunt, quasi pro זיז esset intelligenda avis nescio quę, crassitiei & amplitudinis enormis & portentosæ, quę pedibus terram, capite cœlos attingit, expansis alis, solis lumen intercipit ac eclipsim inducit, & qua cum Leviathanis & nescio cujus vaccę carnibus, miseri Judęi à suo Messia sint laute & opipare tandem aliquando excipiendi. *V. Talm. in bava Batra,* c. 5. *& Vaikre Rabb sect.* 22. *& Kimk. ad Ps.* 50:11. Sed mera sunt hæc Judęorum delirantium somnia, qui veritate semel spreta, & excussa, ineptiis & fabulis delectantur, & quo magis absurdiores, & portentosiores, eo magis ad illas amplectendas feruntur & provocantur זיז כבוד est *splendor gloriæ,* est

splen-

ſplendor glorioſus, Dominus Meſſias, naturæ gloria, Eccleſiæ decus, ornamentum cœlorum, ipſius Dei gloria, & τῆς δόξης πατρὸς ἀπαύγασμα nunquam inter moriturum, & qui ab interprete Syro appoſite vocatur צִמְחָא צֶמַח, *oriens* & *ſplendor*. Ubique circumfulgens.

§ 5. Ubi ſi non *Eſ.* 66. alluſerit forſan reſpexit Locum *Eſ.* 4:2. in quo *Meßias* vocatur צֶמַח יְהוָה. Et dicitur futurus לְצְבִי וּלְכָבוֹד *gloriæ & ornamento*, & cœlorum declarationem & perſonantes voces, enarrando gloriam Dei, longe ſuperaturus. Cœli ſunt gloria Dei, illamque quaq; patet orbis, annunciant & diſſeminant. Ubique קום φθόγγος αὐτῶν penetravit & nulla eſt tam remota natio, ad quam non pervenerit. Sed illa ſignificatio & narratio fit tantum צו לצו קו לקו. Chriſtus vero eſt כבוד *gloria* κατ' ἐξοχὴν & per antonomaſiam, qui gloriam Dei creatoris & conſervatoris, aliis multo nobilius promovit & enarravit. Hinc *Joh.* 17. non typho

elatus, nec jactantia thrafonicâ & fuffenâ, in has erumpit voces, πάπερ ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς. Non
„ Angeli, non Cœlum, non Lex,
„ non Arca, non Nubes, non Mo-
„ fes, non Prophetæ, tanto cumulo
„ gloriæ tuæ incrementa promove-
„ runt; & fi mecum conferantur nil
„ fere contulerunt, quo decus & ho-
„ nos tuus, è tenebris emergerent,
„ & firmiter affererentur. Hoc mi-
„ hi refervabatur, folus pares gloriæ
„ tuę repræfentandę manus & peni-
„ cillum habeo, folus fum ἀπαύγασμα
„ τῆς δόξης σου, & folus צמח יהוה לכבוד.
Ubi hoc Ef. 4 capite non tantum dicitur quod fit לכבוד fed additur quod fit לצבי *ornamento.* Sol, Luna, Stellæ, Planetæ funt etiam aliquo modo צבי & צבאות השמ׳ exercitus κόσμος, decus, & ornamentum cœlorum. Sed *Chriftus Oriens* eft revera folus צבי, folus κόσμος, folus צבאות השמים, fulget inter cœlorum fydera, velut inter ignes Luna minores, imo ad illius jubar, fyderum tre-

tremens Lumen, & titubantes fulgores absorbentur & extinguuntur. Quâ homo ut eodem Loco Ef. habetur, est פרי ארץ לגאון ולתפארת *est fructus terrae ad exaltationem & excellentiam.* Sed qua Deus est צמח oriens ἀνατολὴ לצבי ולכבוד *ad ornamentum*, decus & gloriam Dei Patris.

ἔςι γὰρ ἀῤῥήτου θεότητος αὐγὴ
ἐκ φάους φῶς, καὶ θεὸς ἐκ θεοῖο
λαμπρότης, εἰκὼν, λόγος ὑποςάσης
πατρὸς ἀνάρχου.

Hinc de luce, Oriente & splendore Messiæ occurrit locus insignis Ps. 132: 17. אצמיח קרן לדויד *faciam oriri cornu Davidi* 1. Lumen & splendorem eximium, nam קרן ibi sumitur pro *luce*, sicut cum de Mose dicitur *quod illius facies erat cornuta*, *hoc* est intelligendum de splendore & radiis, quibus Mosis vultus coruscabat. Sed Deus alium Mosem se suscitaturum pollicetur, aliam gloriam, aliud קרן, unde

unde in eodem versu ἐξηγητικῶς & וערכתי נר למשיחי additur לתוספת ביאור *& paravi lumen Uncto meo & illum constitui lumen mundi*, & solem, ortu suo, idololatriæ noctem, legis nubes, Prophetiarum tenebras & caliginem, umbras cerimoniarum fugantem & dispellentem.

§ 6. Eo mihi videtur allusisse *Zacharias* Luc. 1:78. ubi vocat *Messiam* ἀνατολὴν ἐξ ὕψους. 3. *Persicus Paraphrastes* habet *lumen accensum ex alto*; *Æthiops* reddit *Barhan* quod *lumen & luminare* significat. Syrus habet דנחא *oriens*, *epiphania*; Arabs vero אשרק quod *Orientem* etiam significat. Nec possum à me impetrare ut credam, alio oculos intendisse *Zachariam* cum Christum eximio isto nomine voluit designatum. Enimvero quomodo dici posset, Johannem Baptistam futurum praecursorem germinis. Quomodo germen diceretur ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις. Quomodo de Germine diceretur ἐπισκέψατο ἡμᾶς, an non Soli,

li, multo nobiliori ſenſu haec aptari poſſunt ex tenebris emergenti, Horiſontem Eccleſiæ tam mire illuſtranti, & radiis oculorum ſuorum omnia inveſtiganti & penetranti. Hinc eſt quod apud Juſtinum Martyrem ſæpe dicatur ἀνατολὴ, & *oriens.* Locus unus ſufficiat quem *Latine* repræſentabimus cum Greca non ſint ad manum. *Eum etiam ſtellæ inſtar oriturum ex Abrahami genere Moſes praedixit his verbis, Orietur ſtella ex Jacobo & dux ex Iſraële, & alia ſcriptura ait, ecce vir, oriens nomen ei eſt. Cum ergo orta eſſet ſtella, Magi Arabes cum ex ea natum illum cognoviſſent, eum adoratum venerunt.* Vide Dialog. cum Tryph.

§ 7. Verum eſt quidem nec ingenuus pudor patitur hoc diſſimulari, verum eſt inquam ἀνατολὴν ſumi aliquando pro *ortu*, & aliquando *pro loco* & *plaga*, in qua Sol oriri creditur & reſpectu Hemiſphærii noſtri, primos reſurgentis veluti lucis radios ſpargit & explicat. Sed nul-

 lam

lam harum acceptionum admittunt verba Zacharię, & ἀνατολὴ idem est ac ἀνατέλλων, substantivum pro adjectivo. Cujus in Vetere Novoque Testamento exempla ὅσα κόνις. Sic *Christus* vocatur *pax*, *vita*, *lumen*, *sapientia*, pro pacifico, vivente, lucente, sapiente, &c. Sic pro ἀναπέλλοντι dicitur ἀνατολή.

§ 8. Quia vero vocatur ἀνατολὴ, ideo quis non sine ratione existimare posset vocatum ἄστερον πρωϊνὸν, & *stellam matutinam.* Apocal. 2. & 22. Quod quidem referri potest ad Numer. 24. ubi *Meßias* vocatur כוכב *stella*, & שבט *virga*, *baculus*, *sceptrum.* Allusione ad Hieroglyphica Ægyptiorum & Orientalium, qui Regiam dignitatem, symbolo virgę, & oculi solebant repræsentare. Sed Messias Rex Regum & Dominus dominantium, non virga simplici sed sceptro, non oculo, sed *stella* Hieroglyphice repræsentatur à *Pseudopropheta Bileamo.* Vel forsan respicit *stella illa matutina*, titulum Ps.

22. ubi

22. ubi ſecundum Rabbinos *Meßias*, vocatur *ſydus matutinum*, *Aurora*, אילת השחר, *initium & robur Auroræ*, φωσφόρος, unde Petr. 2: 1, 19. ἕως φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν τ. καρδίαις ὑμῶν. Sed non inferiori jure ad *orientem* referri poteſt, & vocari ἄστρον πρωϊνὸν quia vocatur ἀνατολή.

§ 9. Propter eandem rationem veterum Chriſtianorum cultus ad orientem dirigebatur. Non tantum quia Judæi occidentem verſus preces fundere ſolebant. Vel quia occidens umbrarum Vallis & Regio crederetur. Vel quia hominem facie ad orientem prona conditum aſſererent primi Chriſtianorum informatores. Vel quia in oriente conditum Paradiſum crederent, cujus recuperationem oculis, vultu, corde ſpirabant & anhelabant. Vel quia ex oriente adventurum Chriſtum exiſtimarent, qui convocatis vivorum & mortuorum Comitiis, alios morti, alios vitæ decretoria ſententia eſt æternum adjudicaturus. Sed quia Chriſtum ſolem orien-

orientem adorabant, & Christum ut Luminare magnum & unicum, Æternæ Lucis inexhaustum fontem, omni cultu & observantia colerent & prosequerentur. ἐπεὶ τοίνυν ὁ Θεὸς φῶς ἐστὶ νοητὸν καὶ ἥλιος δικαιοσύνης καὶ ἀνατολὴ ἐν ταῖς γραφαῖς ὀνομάζεται ὁ Χριστὸς, ἀναθετέον αὐτῷ τὴν ἀνατολὴν εἰς προσκύνησιν. *Quandoquidem Deus est Lumen intellectuale, & sol justitiæ & oriens in scripturis Christus vocatur, oriens fuit illi consecratus ad adorationem*, inquit *Johannes Elmansor seu Damascenus de Orthod. Fid. L.* 4. c. 13. Et revera Es. 9:1. vocatur אור גדול φῶς μέγα, & Joh. 1. φῶς τῶν ἀνθρώπων, φωτίζον πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, non instar Columnæ quæ Israëlitas solos Lumine suo juvabat & palantes & errabundos ad Canaan deducebat. Sed *illuminat omnem hominem mundum hunc ingredientem*, nullusque beata Luce & salutari perfunditur, nisi largitionibus, & uberrimis ἀποῤῥοίαις hujus patris Luminum. Et revera Jacob. 2: 17. dicitur πατὴρ φώ-

φώτων, à quo pendere omnem bonam donationem apposite contra Pharisęos *asserit Jacobus Apostolus*. Nam cum *Pharisæi* multa fato adscriberent & cœlo stellisque, vim tribuerent in voluntatem, quæ cogeret hominum corda, eosque ad bonum vel malum flecteret, ad errorem istum indies pullulantem, exstirpandum & evellendum, altius assurgit Apostolus, nec sideribus tribuenda asserit virtutis principia, sed semina Sanctitatis, illaque etiam tenuissima, vi, calore, *Luce patris Luminum* D. N. J. C. excludi, crescere, efflorescere & tandem maturescere. Nec hoc mirum videri debet; cum Malach. 4:2. dicatur SOL JUSTITIÆ, qui alis suis expansis & explicatis vitam, & sanitati tuendæ vel recuperandæ remedia pręsentissima ubique circumgestat. Allusione ad *Medicos περιοδευτὰς Circitores*, & ambulantes, ægrotorum & clinicorum domos & cameras ingredientes, & omnibus opem suam & operam offerentes.

Quod

Quod etiam mihi videtur innuere *Sacerdos Zacharias*, Luc. 1:76,77. cum vocat *Christum* ἀνατολὴν, & addit ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις; *Nos visitavit ad illustrandos eos qui jacebant in tenebris & umbra mortis.* Non tantum languentibus, & cum quibusdam animi vel corporis ægritudinibus conflictantibus, sed iis quibus mors oculos jam clauserat, qui erant conclamati, & quos ad superas auras revocandi nulla spes affulgebat. Eos Oriens Ille, sol sanitatem alis circumferens, medicus ille πάντων αἴτιος ἄλλων, cujus inventum medicina suum est, illos inquam visitavit, & instar Solis advolans, omnibus calorem, motum, vitam, lucem, benigne communicavit. Hoc vero Diabolus, Dei perpetuus simius ad se rapuerat, & *Apollini Soli*, medicinæ inventum adscribi curaverat. Hinc apud veteres cum remediis uterentur, sese ad orientem solem convertebant, cujus rei exempla

pla exſtant apud *Marcellum Empiricum*, & *Marcello* vetuſtiorem *Valerianum Plinium.* Sic enim ſcribendum eſt, non *Valerianum & Plinium*, ut vult vir non incelebris, *Valerianus quippe Plinius*, *Medicus Gallus Ethnicus*, *à Plinio majore*, quem ſępe deſcribit, forſan nomen ſortitus; multa ingerit ſuperſtitioſa in Plinianæ Medicinæ Libris; & ægrotantibus ad ſolem vel in ſolario jacentibus φάρμακα propinanda ſępiſſime praeſcribit. Teſtimonia huc congerere nec res, nec tempus, nec locus, nec plagularum ratio patiuntur.

§ 10. Apud *Malachiam* vero Sol iſte medicus vocatur *Sol juſtitiæ*, ſeu ſol juſtus, mitis, benignus, facilis, caritate incoctum pectus gerens, ſicut hic apud *Jeremiam* צמח צדיק *Oriens Juſtus*, ſeu *Sol juſtitiæ.* Ideo Propheta *Jeremias* cum *Meſſiam* צמח ſeu ἀνατολὴν vocaſſet, addit verſu noſtro quod vocabitur יהוה צדקנו. JEHOVA JUSTITIA NOSTRA, *oriens*

oriens juftus, *feu Sol juftitiæ.* Ubi vox *Jehova* notat *eum qui eft*, & fontem entitatis & immortalitatis fignificat. Quo nomine fupremum Numen voluit defignari, ut quantum à falfis numinibus difcreparet, omnes non penitus excæcati poffint animadvertere. Nam falfa Numina dicuntur אלילים *non entia.* Unde dicitur ab Apoftolo *quod idolum nihil fit.* 1 Cor. 8:4. Vocantur מתים *mortui*; unde Locus eximius *Ef.* 8. quo Deus vivos increpat, & dignitatis & vitæ fuæ memoriâ, à cultu mortuorum illos tentat revocare, "בעד החי' אל המתי" *propter vivos, ad mortuos*, ad numina mortua deflectere, an non eft ineptiarum cumulus & faftigium? Saltem ad vivos propter vivos deflectere minus foret intolerandum, fed mortuorum opem & operam propter vivos & in vivorum gratiam efflagitare, hoc eft omnes ftultitię limites longiffime fuperare, cum ipfa numina mortua, à mortis tyrannide fepulchrique putredine non po-

tuc-

tuerint se vindicare, perpetuaque pulveris & vermium mancipia, vanas vires suas, & impotentiam prodant. Sic eorum sacrificia dicuntur זבחי מתי״ *sacrificia mortuorum.* Psal. 106:28. Ubi non sunt intelligenda sacrificia quæ fiebant *Plutoni* qui apud *Sanchoniathonem* vocabatur Μώθ, nec sacrificia victimarum immolatarum, nec sacrificia Dîs καταχθονίοις, & ad sepulchra & cadavera mortuorum, ad futura per necromantiam eruenda & indaganda; Sed sacrificia idolorum & falsorum Numinum, quæ sunt numina nihili, & mortua vel instar mortuorum, cum verum numen sit vivens, ens entium, & nullis temporis vel loci spatiis cogendum & comprehendendum. Sic *Deut.* 18:11. *non erit inter vos* דרש אל מתים *quærens opem mortuorum*, vel quærens & invocans mortuos תועבת יהוה עשה אלה *qui illis assuescit, & se turpiter alligat, est abominatio Jehovæ*, qui cum sit ille qui est, vivus solus & immortalis;

eos abominatur, qui cum cultu ſuo, mortuorum cultum ſociare non erubeſcunt. Nam *quæ communio Chriſti & Belialis? Lucis & tenebrarum, juſtitiæ & iniquitatis?* τῶν οὐκ ὄντων, καὶ τοῦ ὄντως ὄντος, τοῦ Jehovę qui habet interminabilis vitę totam ſimul & perfectam poſſeſſionem.

§ 11. Hinc nomen *Jehovæ* redditur ὁ ὢν, quod non tantum *præſentis* temporis circumſtantiam innuit, ſed *præteriti* & *futuri*, ut patet apud *Platonem* & *Juſtinum Mart. Orat. parænet. ad Gent.* quod cum Dei ſimia Diabolus imitari vellet, apud *Arabes* inſolenti & temerario auſu, *Obodæ* nomen uſurpavit, quod *æternum & immortalem* notat. *Obodas* quippe eſt *numen Arabicum, apud Uranium Arabicorum* lib. 4. videtur vero originem traxiſſe vox illa ab אבד quod *æternum* ſignificat apud Arabes; ut ſic *Jehovæ* ſignificationem poſſent repræſentare. Et forſan eleganti paronomaſia Diabolus in *Apocal.* vocatur *Abaddon.* Quaſi

Deus

Deus innuere voluerit illum esse verum *Abaddona*, *perdentem*, *&* *perditum*, *&* *filium perditionis*, non vero *Obodan & æternum.* Sed apud *Persas & Arabes* ejusdem denominationis vestigia occurrunt in voce כיואן quô *Saturnus* & *supremum numen* apud illos designatur. Unde πολυθρύλλητος illa vox כיון *Amosi* c. v. & *quæ Act.* VII: 43. redditur per vocem Ῥεμφὰν נשאתם כיון כוכב אלהיכם *Amos.* V: 26. ἀνελάβετε ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφᾶν Act. VII: 43. Ῥηφᾶν est nomen Saturni planetarum Altissimi & Deorum fere supremi, apud Coptos Ægyptios. Hoc videre est in Laterculo planetarum Hebraico, Arabico, Persico, Coptico, quod in gratiam studiosorum hic inserere non gravabimur.

Coptic.	Latin.	Hebr.	Persic:	Arab.
ΠΙΙΟΣ	Luna	לבנה	מאה	ללקמר
ΠΙΕΡΜΗΣ	Mercur.	כוכב	תיר	עטארד
Cευροτ	Venus	נונה	נאהיד	אלזהרה

Πιρη	Sol	אלשמש אפתאב שמש
Μολοχ	Mars	אלמריחר באמרם מאדים
ΠιζιυC	Jupiter	אלמשתרו ברגיש צדק
Ρηφαν	Saturn.	נחל כיולן שבתאי

Ubi Saturnus ſupremum numen & altiſſimum dicitur Ρηφαν à רפע *altum eſſe*, quod ≸ מרום, & עליון Dei veri nominum ſignificationem implet. Arabice dicitur זחל quod *timorem* notat quaſi numen tremendum; non enim רחל *homo* legendum eſt דחל *ovis*. Conformitate literarum decepti fuerunt viri, de literis orientalibus cętera bene meriti, ſed זחל quod *tarditatem* notat, quod tardigrado Saturno aliquo modo poſſit aptari, vel potius à זחל & דחל Chaldaico & Syriaco, quod *timorem* etiam ſignificat, alluſione ad nomen ſupremi numinis, quod in Scriptura vocatur *tremor & timor Iſaaci Geneſ*. 31. ſed Arabice ſupremum numen dicitur etiam אלכין *exiſtens* ὁ ὤν, ab *Arabico* כאן quod idem notat ac *Hebraicum* היה, à quo ſicut originem trahit

hit *Jehova*, ſic ab כאן *fuit*, originem trahit Arabicum אלכין, & Hebraicum כיון, & Perſicum כיואן quaſi idem ſit ac *Jehova*, *qui fuit*, *eſt*, *& erit*.

§ 12. Nec tantum τȣ̃ *Jehovæ* ſignificationem ad falſa numina derivavit diabolus, ſed ipſam τȣ̃ יהוה ſeu ἰάω denominationem uſurpavit, ſic enim, veteres יהוה legiſſe & per ἰάω reddidiſſe facillime crediderim. Hoc patet ex *Theodoreto Epiſcopo Cyri in Comagene*, qui vixit adulto ſeculo 5. & cui Judęorum mores erant probe cogniti, utpote qui regionem incoluerit, in qua maxima Iudęorum copia; hæc quippe narrat de nomine Dei, Σαμάρειται καλȣ̃σι μὲν αὐτὸ Ἰαβὲ, Ἰȣδαῖοι δὲ ἰάω. *Sic Clem. Alex.* qui florebat exeunte ſeculo ſecundo, & in Ægypto, & Alexandriæ maximam cum Iudęis ibi frequentiſſimis fovebat neceſſitudinem. *Stromat. l. 5. dicit nomen Dei apud Judæos fuiſſe* ἰάȣ, quod proculdubio idem eſt, & eundem ſonum fundit cum ἰάω

Theodoreti. Imo facillime crediderim, incuriâ amanuensis corruptum nomen istud, & apud *Clementem Alexandrinum* non legendum esse ἰάȣ, quasi *omicron* & *upsilon* essent à se invicem separanda, sed inter se jungenda esse, & ex illa combinatione *omega* restituendum. Adeo ut non legendum ἰάȣ *jaou*, sed ἰάω *jao*. Sic apud *Cyrill. Alexandr. Comment. in cap.* 1. *Aggæi* ἰάω ἐστὶ τῶν πάντων θεός. Et apud *Hesychium* Ἰωχθάμ ἰαὼ συντέλεια, ὀζείας ἰσχὺς ἰαώ. Quę apud Hesychium Ethnicum Lexicographum irrepserunt ut & innumeræ aliæ vocabulorum Ecclesiasticorum interpretationes, ex Lexico vetustissimo quod ad illorum elucidationem adornaverat Origenes.

§ 13. Gentibus tamen ipsis innotuerat etiam vox illa ἰάω. Quod facile colligere possumus ex *Diodoro Siculo* l. 11. apud quem legitur ἰάω παρὰ Ἰȣδαίοις ἐπικαλούμενος θεός. Quod fluxit apud Ethnicos, & apud Hæreticos. Apud Ethnicos ut patet apud *Ma-*

Macrobium l. 1. *Saturnalium.* c. 18. ubi ex oraculo Apollinis Clarii supremum Numen Sol nim. seu Bacchus vocatur 'ιάω.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν 'ιάω
Χείματι μὲν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἐρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν 'ιάω.

Ubi Deorum summus vocatur *Jao* Et additur *hieme vocari Aden*, *verno tempore* Δία seu *Jovem.* *Æstate Solem & Elion*, *autumno vero vocari Jao.* Quæ nomina videntur etiam originem trahere à nominibus *Dei* nam *Aden* fluxit ex אדוני. Δία ex די sin שדי. Ἠέλιον ex עליון. 'ιάω vero est ipsissimum nomen יהוה quo *Bacchum* designari credidit ineptissima & cæca antiquitas. Hinc Judæis improperabant cultum Bacchi. Primo, quia in Autumno Judæi celebrabant *festum tabernaculorum*, tempore vindemiæ & cum solennitatibus quæ ad *orgia Bacchi* videbantur proxime accedere. Deinde in Templo

Hierofolymitano appenfa erat *vitis aurea* quæ videbatur Bacchi fymbolum, & cultum Bacchi, eorum oculis injicere, qui myfteriorum Judaicorum erant plane ignari. Quibus addi poteft Bacchum vocatum Ἴακχον, Σαβάζιον, Ἰάω. quae omnia quadrant cum nominibus Dei qui apud Judæos vocabatur יה *Jah*, vocabatur אל צבאות & יהוה feu Ἰάω. Unde propter affinitatem nominum, facile ifta calumnia onerari potuit cultus Judęorum, quafi Bacchum religiofis honoribus in primis profequerentur.

§ 14. Apud Hæreticos vox *Jao* fatis frequenter etiam occurrebat. Illam ufurpatam fuiffe ab *Archonticis* obfervat *Origenes* περὶ ἀρχῶν. ubi afferit quod ifti *Heretici* ἔφερον ἀπὸ μαγείας τὸν Ἰαλδαβαώθ, καὶ τὸν Ἀσταφαῖον καὶ τὸν Ὡραῖον. ἀπὸ δὲ τῶν Ἑβραϊκῶν γραφῶν τὸν Ἰαωΐα παρ' Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον. Ubi Ἰαωΐα funt duo Dei nomina, qui in facris litteris vocatur fæpiffime יה *ja*, & יהוה *jao*. Occurrit vox eadem apud *Irenæum*, & eadem nomina quæ apud *Ori-*

Origenem. Sic enim *Irenæus adversus Hæres.* l. 4. c. 34. *Gnosticorum* errores & deliramenta narrat & traducit. *Dicunt eum qui à matre primus sit jaldabaoth vocari, eum autem qui sit ab eo, jao, & qui ab eo Sabaoth magnum, quartum autem Adonæum, & quintum Eloæum, & sextum Oræum, septimum autem & novissimum Astaphaeum.* Quæ paria fere sunt cum iis, quę ex Origene mox exscribebamus. Et eorum vestigia etiam reperire est apud eundem Irenæum, cum Basilidianos Gnosticorum infelicem progeniem perstringit & refutat adversus Haeres. l. 2. c. 67. *Quod enim dicitur Eloae secundum Hebraicam vocem Deum significat & Eloae verum & elloeath secundum Hebraicam linguam hoc quod continet omnia significat. Quod autem ait Adonae, aliquando quidem nominabile & admirabile significat, aliquando autem duplicata litera delta cum aspiratione, ut puta Addonai praefini-*

finientem & separantem terram ab aqua, nec posteaquam insurgere in eam. Similiter & Sabaoth per ω quidem Graeca in syllaba novissima scribitur, voluntarium significat, per o autem Graeca, ut à Sabaoth primum cœlum manifestat. Eodem modo & jaoth extensa cum aspiratione syllaba novissima, mensuram praefinitam manifestat, cum autem per o Graeca corripitur ut puto jaoth eum qui dat fugam malorum significat. Qui locus variis scatet difficultatibus, sed hujus dissertationis ratio & angustiae, non patiuntur ut illi enucleando diutius immoremur. Solum observetur velim, hîc varia occurrere Dei nomina, nam *Elle*, *Elleuth*, *Sabaot*, *Adonai*, *Jaoth* sunt Dei appellationes & repræsentant צבאות, אדני, אל, אלוה & tandem יהוה qui Græce apud *Irenæum*, *Jaoth* sæpissime legitur. Et sic legenda vox est apud ipsum *Irenæum* l. 1. adversus *Hæres.* c. 1. contra *Valentinianos* qui futiliter & fabulose narrabant, quod *Sophia*,

phia, cum ulterius Arcana Christi vellet invadere & penetrare, fuerit coërcita ab *Horo. Et Horon coërcentem eam ne adversarius irrueret, dixisse jaioth, unde & jaioth nomen fluxisse dicunt.* Hîc meo judicio legendum est *jaoth*, ad cujus vocis prolationem adversarius fugatur & coërcetur, ut habetur loco *Irenæi* proxime citato, & ut *Valentiniani*, & *Basilidiani* solebant sępissime jactare. Ideo sæpissime in eorum amuletis occurrit vox Ἰάω, qua se tutos existimabant contra omnia malorum genera.

§ 15. Nihil frequentius istis *Basilidianorum* amuletis, & instrumentis ἀποτρόπαιοις. Unum exstat cum figura *simiae & voce* Ἰάω, alterum cum figura *adolescentis Lotho insidentis dextra labellum compescentis & literis* Ἰάω. Alterum vidi cum *capite galli gallinacei, dextra scutum gestantis cum quo scripta vox* Ἰάω. Aliud etiam oculis lustravi *cum figura scarabaei & inscriptione* Ἰάω. Aliud

liud etiam penes me habui cum hac inſcriptione *ὁ μέγας σύμμαχος θεὸς ἰάω.* Nam ut à ſingulis DIs & planetis ſingula corporis membra pendere quondam jactabant Ethnici, & *cor* reſpondere *ſoli* aſſerebant, à quo mundi vivificus calor; *cerebrum* humidum humectanti *Lunae*, quicum etiam creſcit & decreſcit. *Iecur* quod officina eſt ſanguinis analogum eſſe *Iovi* planetæ ſanguineo & vitali; *renes* qui largiuntur vires partibus generationis, ſubjectos eſſe *Veneri* ſigno prolifico; *ſplenem* atræ bilis receptaculum ac fel ſive choleram, convenire *Marti* & melancholici humoris præſidi, cholerico item & iracundo. *Pulmonem* qui aërem & ſpiritum attrahit, & emittit, & loquelæ inſervit, ſubdi *Mercurio* Planetæ ventoſo, ſermonis prçſidi, Deorum interpreti, & qui gemino facit commercia mundo. Sic delirantes *Baſilidiani*, DIs & *Æonibus* ſuis ſingulas corporis partes regendas adſcribebant, & *ſtomachi* curam & ſollicitudi-

tudinem summo numinum τῷ Ἰάω tribuebant. In variis aliis nummis solebant vocem illam Ἰάω cum *Abraxas* conjungere. Hoc patet ex infinitis nummis. Sed præcipue ex nummo celebri *Vaseti*, qui olim *Scaligero* harum literarum oraculo & phœnici oblatus fuit; in illo scriptum legebatur ΑΒΡΑCΑΜ Ἰάω. Quod interpretatione sua misere deturpavit phoenix ipse *Scaliger*. Sic enim voces illas olim Latine reddebat, *fuga o nomen Domini*. Quasi voces illę fluxissent ex הברח שם יהוה, quod à veritate tam alienum quam quod est alienissimum. Nam non legendum in isto nummo ΑΒΡΑCΑΜ, nec hoc fluit ab הברח שם, sed vox illa est ΑΒΡΑCΑΞ seu *Abraxas* numen istud decantatissimum quod pro *Mithra* sole usurpabant *Basilidiani*, qui cum *Ægyptiace* amuleta sua inscriberent, frustra inscriptionum istarum interpretatio apud Hebręos quęritur.

§ 16. Verum quidem est quod apud Ægyptios vox Ἰάω fuit admodum

dum vulgaris, illaque frequenter designari videbant supremum istud numen quod apud Judeos colebatur. Quod cum animadvertissent Ægyptii, apud quos frequentes admodum erant Judæi, hinc ansam arripuerunt Hebreis illudendi, & omnium calumniarum ineptissimâ & vanissimâ illos notandi & onerandi. Nota est ista contumelia qua quondam *Appion Ægyptius* & alii, Judæorum Religionem gravare solerent; illis improperantes quod *Asinum* colerent. Quod fluxisse videtur ex voce Ἰάω. Non quod sic *Asinus* rudendo videretur accedere ad pronunciationem istius vocis & per ὀνοματοποιΐαν cusa fuerit; sed quia apud *Ægyptios* ἰάω vel ἰέω *asinum* notaret. Hinc in *Dictionario Copto Arabico Kircheri* legitur πιέω ὁ ὄνος. est vero π *articulus Ægyptiacus*. Sic πέρμης, *Mercurius* ὁ ἕρμης πιρωμι *homo* ὁ ἄνθρωπος. πιρη Sol ὁ ἥλιος, sic πιεω vel πιαω est ὄνος *asinus*. Cum vero viderent Ægyptii quod Judæi ἰάω religiosa obser-

servantia colerent & venerarentur, facetâ quâdam detorsione, asinorum cultum Judæis improperarunt. Eo ad istam contumeliam, & calumniam, procliviores, & audaciores facti, quod apud ipsos Ægyptios omnium fere animalium cultus, antiquum obtineret, & asinorum cultum licet pudendum & absurdissimum, non multo magis impossibilem esse quam anguillarum, canum, crocodilorum, apud se reputarent. Unde licet colligere vocem ἰάω ubique obtinuisse in Asia, Europa, Africa, nec aliter vocem יהוה fuisse pronunciatam.

§ 17. Falsus est quippe meo judicio *Vir Doctissimus* qui vocem illam ἰεωυα reddendam existimavit. Eo forsan adductus, loco quodam *Eusebii præpar. Euangel.* l. 11. cui, ut illum sententiæ suæ accommodaret, vim certe fecit, nec illum feliciter est interpretatus. Locus sic se habet,

ἑπτὰ

ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
γράμματα, τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα.

Ubi procul omni dubio vox ἰεαωα non intelligitur nam sunt tantum quinque vocales, nec ἰεωνα, nam sunt duo Dei nomina; nec vox Σέραπις, quod video tamen placuisse viris quibusdam eruditis, fretis authoritate *Hesychii*, apud quem legitur ἑπταγραμμάτων ὄργιλον σκληρὸν Σάραπιν. Olim existimaveram & cum quadam veri specie, intelligendum esse nomen *Dei summi* qui vocabatur ἐρικέπαιον ὄνομα ἀκούσας ὁ αὐτὸς ὀρφεὺς ἐκ τῆς μαντείας, ἐξεῖπε, μή τινα φάναι τὸ ἐρικέπαιον, ὅπερ ἑρμηνεύεται τῇ κοινῇ γλώσσῃ, Βουλὴ, Φῶς, Ζωοδοτὴρ. Quod memini me legisse in manuscripto *Chronico Johannis Antiocheni* quod asservatur in *Bibliotheca publica Oxoniensi*. Apud *Varinum* legitur Ἠρικέπαιος. *Apud Suidam* Ἠρικεπαῖος. Apud *Hesychium* Ἠρικέπαιος. Apud *Gregor. Nazian. Orat.* 1. contra *Julianum Imperat.* Ἠρικαπαῖος, καὶ φάνης. Apud *Nonnum Monachum*, *scho-*

ſcholiis in hunc Theologi locum, Φάνης εἰσφέρει αἰδοῖον ὀπίσω. περὶ τὴν πυγὴν, λέγουσι γὰρ αὐτὸν ἔφορον εἶναι τῆς ζωογόνου δυνάμεως. Ἠρικαπαῖον γὰρ λέγουσι ἐπέργοις ἔφορον εἶναι δυνάμεως. Quibus ultimis verbis videtur Ἠρικαπαῖον pro *Baccho* uſurpare. Unde apud *Varinum* & *Heſychium* Ἠρικέπαιος ὁ Διόνυσος ſed in Mſſ. *Codice Joannis Antiocheni* occurrit tantum Ηρικέπω. In quo cum ſeptem occurrant literæ, in eo nominis ἑπταγραμμάτου interpretationem non fruſtra quæſiviſſe mihi videbar. Et revera illo ERICEPO ſecundum *Rabbinos*, *Cabbaliſtice* continetur nomen ipſum יהוה: Hæc enim inter Caballiſtarum horribiles & laborioſas nugas reperiuntur,

י פעמי י ק ה סעמי ה כה הרי קכה
ו פעמי ו לו הרי קסא
ה פעמי ה כה הרי קפר

1. Secundum naſum & palatum Caballiſticum, י *decies decem ſunt centum, quinquies quinque* ה *ſunt* 25.

E *sexies*

sexies sex ו *sunt* 36 *quinquies quinque* ה *sunt* 25. quarum rationum summa si subducatur. הרי קפו *ecce* 186. *ad quam summam assurgunt litteræ nominis* יהוה *toties multiplicatæ.* Fruantur isti scotomate percussi Judæi, suis somniis & deliriis, forsan ad veritatem propius accederet qui Deum יהוה, Ericepo dictum assеverat quasi ארך אפי״ μακρόθυμον, & qui tardus est ad iram, & longanimitate sua, quę nomine יהוה nobis ingeritur, omnes ad pœnitentiam hortatur & sollicitat.

§. 18. Sed sive Ericepo sit ab הרי קפו sive ab ארך אפי״, in illis sicut nec in ἰσώνα nec in Σέραπι quærenda oraculi *Apollinis Clarii* non est interpretatio, cum dicit

> ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
> γράμματα, &c.

Intelligendus est quippe *Osiris*, quo nomine *septenarius numerus* solebat indigitari. Sic *Nicomachus apud*

Pho-

Photium tm. 137. aſſerit quod *ſeptenarius numerus* vocetur φωνὴ, κρίσις, ὄσιρις, &c. φωνὴ, ὅτι οὐ μόνον τῆς ἀνθρωπίνης φωνῆς, ἀλλὰ καὶ ὀργανικῆς καὶ κοσμικῆς, καὶ ἁπλῶς ἐναρμονίου φωνῆς ἐστὶ ὑπάρχει τὰ στοιχειώδη φθέγματα. ut legere eſt apud *anonymum quendam ab Wechelio editum* in libello cui titulus τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς. Dicitur & κρίσις, ὅτι τὰ νοσήματα τῷ ἑπτὰ ἀριθμῷ κρίνεται apud *Alexandrum Aphrodiſæum Probl.* l. 11. Qu. 47. unde ſeptimus dies dicitur *Joh. Protoſpathario* ἰατροῖς κρισίμη *Decretorius* medicis, ſic enim legendum eſt, non vero χρησίμη ut habent hodie impreſſa exemplaria. Denique dicitur *Oſiris.* Deus nimirum apud Ægyptios ſummus, non tantum apud *Photium in excerptis Nicomach Geraſeni*, ſed & apud *anonymum* de quo ſupra. Jam vero apud Ægyptios ſolebant *ſeptem vocales* tanquam *odas & hymnos in honorem Oſiridis* & aliorum decantare. ἐν Αἰγύπτῳ τοὺς θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς,

ἐφεξῆς ἠχοῦντες αὐτὰ καὶ ἀντὶ κιθάρας, καὶ ἀντὶ αὐλοῦ, τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ' εὐφωνίας, *in Ægypto Deos septem vocalibus Sacerdotes laudant successive illas sonantes, & pro cithara, & pro tibia, harum literarum sonus auditur propter vocis suavitatem.* Quæ verba exſtant *in libro* περὶ ἑρμηνείας, qui vulgo ſolet *Demetrio Phalereo* adſcribi, qui cum vixerit apud *Ptolomaeos Lagidam & Philadelphum*, & Ægyptiorum ritus apprime calluerit, non mirum ſi & liber, & iſta verba *Demetrio* tribuantur à viris longe eruditiſſimis. Sed re accuratius perpenſa *Demetrio* debet abjudicari. Nam in iſto libro memoratur *Artemo & Nicias Pictor Demetrio* multo recentiores, memoratur ipſe *Demetrius Phalereus*, & quod jugulum petit, & rem extra omnem dubitationis aleam collocat, tribuitur *Dionyſio Halicarnaſſæo* Hiſtorico & Rhetori longe diſertiſſimo, à *Scholiaſte in Nub. Ariſtophanis.* Nam cum locum aliquem allegaſſet

Scho-

Scholiastes iste doctissimus, addit, ὡς ἔφη Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἐν τῷ περὶ ἑρμηνείας. Occurrit vero locus ille in *libro* περὶ ἑρμηνείας qui sub nomine *Demetrii Phalerei* circumfertur, & meliori jure tribui debet *Dionysio Halicarnassaeo*, qui cum varia rerum & gentium fuerit cognitione instructus, potuit nosse facillime, Ægyptios solere Deos suos septem vocalium decantillatione & modulatione prosequi & venerari.

§ 19. Nec vero inter *Ethnicos Ægyptios* sese coërcuit jocularis iste Deos colendi modus. Transiit ad *Haereticos Gnosticos*, quorum apud Ægyptios frequentissima copia; illi quippe de *septem vocalibus* mira jactare solebant, & cuilibet *Deo*, *Planetae*, & *sphaerae*, *suam vocalem* adscribebant. Sic enim de illis *Irenaeus*, *in fragmentis Graecis* quæ ex innumeris quę consumpsit ætas nobis servata supersunt. ὁ μὲν πρῶτος οὐρανὸς φθέγγεται τὸ Α, ἡ δὲ μετὰ τοῦτον τὸ Ε, ὁ δὲ τρίτος Η, τέταρτος δὲ καὶ μέσος τῶν ἑπτὰ τὴν τοῦ Ι δύναμιν

ἐκφωνεῖ, ὁ δὲ πέμπτος τὸ Ο. ἕκτος δὲ τὸ Υ. ἕβδομος δὲ τὸ Ω ἐκβοᾷ. *Primum quidem cœlum A clamat, fecundum E, tertium H, quartum & medium τῶν feptem vim & virtutem τοῦ I. exprimit, quintum O, fextum Y & feptimum Omega vociferantur.* Hoc confirmatur loco *Nicomachi Geraſeni Irenaeo* forfan ętate fupparis. Sic enim ille in *Enchiridio Harmonices* cap. 3. κρόνου ἀνωτάτου ὄντος φθόγγος ὑπάτη ἐκλήθη. Διὸς παρυπάτη, Ἄρεος ὑπερμέση, Ἡλίου μέση Ἑρμοῦ παραμέση, Ἀφροδίτης παρανεάτη, Σελήνης νεάτη. καὶ γὰρ νέατον κατωτάτον. *Saturni Planetarum fummi fonus eft Hypate. Jovis Parypate, Martis Hypermefe,* Solis *Mefe, Mercurii Paramefe, Veneris Paraneate, Lunae neate; nam neaton notat inferius.* Hinc veteres *Heptachordon* mufices inftrumentum quod cœlum & feptem Planetas referebat, efformarunt. *Ægyptii* vero & pręcipue *Sacerdotes*, tanquam echo eafdem vocales & fonos repetebant, & ifta repetitione melius quam *tibia, Heptachordo,* & *cithara* Deos

fuos

ſuos laudare & colere ſe ſtulte exiſtimabant. Hinc eſt quod in oraculo *Clarii Apollinis* non dicatur tantum ἑπτὰ μὲ γράμματα ſed ἑπτὰ γράμματα φωνήεντα *ſeptem vocales*, additur αἰνεῖ *laudant*, quod quadrat appoſite cum verbis *Dionyſii Halicarnaſſaei* τοὺς θεοὺς διὰ τῶν φωνηέντων ὑμνοῦσι οἱ ἱερεῖς. *Sacerdotes laudant Deos pronunciatione & ſono ſeptem vocalium.*

§ 20. Quod viam nobis ſternit ad *verum ſenſum* inſcriptionis cujuſdam *nummi* à *Baſilidianis & Gnoſticis* cuſi, facilius, eruendum, quam huc uſque præſtiterunt viri eruditiſsimi, qui in explicatione inſcriptionis iſtius mirum quantum ſe torſerunt. *Ex una parte ſub figura hominis radiato capite, & figura mulieris cum corniculantis Lunae effigie, Sol & Luna nobis repraeſentantur. Ab altera parte ſeptem vocales bis occurrunt hac figura,*

ΑΕΗΙΟΥω
ωΥΟΙΗΕΑ

Frustra hîc nomen *Jehovae* quæres, sicut & in alio *nummo*, ubi ex una parte *Leo*, ab alia *homo cum variis Characteribus*, in quibus Jehovæ vestigia quidem sibi fingunt animadvertere. Nominis Tetragrammati in illis nec vola nec vestigium. Sunt figuræ *septem vocalium* quę cum ad IHOVA accederent, ansam *Viris Doctis* prębuere non leviter impingendi. In istis quippe *Gnosticorum*, *Valentinianorum & Basilidianorum nummis*, supremi numinis nomen non aliter effertur quam per ἰάω ubi centies occurrit; isti vero characteres ΑΕΗΙΟΥω sunt characteres *septem vocalium*, quarum decantatione & inscriptione Deos suos colere se existimabant *Ægyptii & Haeretici*. Et hæc ad nomen *Iehovae*, de quo forsan in pręsentiarum plus nimis. Sed cum de illo disserendi frequens recurrat occasio, ea forsan minus ingrata videbuntur, illaque humaniores ęqui bonique consulent.

Cap.

Cap. III.

Variis argmumentis comprobans, Messiam, Jesum Nazarenum esse verum *Jehovam.*

Argumentum.

Verendum nomen יהוה Messię *tribuitur. Varia antiquorum Judæorum testimonia, banc veritatem confitentium. Verba* Psal. 96: 10. ὁ Θεὸς ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλου; *quæ non inveniuntur* Nec in Textu Hebręo, nec in Versione Gręcâ; *sed citantur* à Justino Martyre, Tertulliano, Cypriano, Lactantio, Arnobio, Augustino, &c. *Sunt, qui verba*, יהוה מלך אף תכון, *vertunt*, κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τ. *Alii volunt*, ἀπὸ ξύλου *significare*, à Festo ξυλοφορείων. *Alii rursus opinantur, verba Hebraica*, יהוה מלך אף תכון *ab interpretibus.* Hellenistis *reddita fuisse*, Deus regnat etiam suspensus. *Locus* Exod. 23: 20, 21.

20, 21. *non de lege, nec arcâ fœderis, sed de* Angelo redemptore *intelligendus, ipsis fatentibus Judæorum Magistris. Huic veritati statuminandæ* Nachmanides *sive* Moses Gerundensis, *testimonium* Jes 26:4. *profert, quod porro enucleatur. Quis sit Judæorum* Angelus Metatron, id est, Metator. In Metatron, *est nomen* שדי. *Lamina aurea super frontem sacerdotis maximi, cui insculpta nomina* קדש ליהוה. Nomen super omne nomen, Phil. 2:9. *Alluditur ad novum nomen* Josephi, *geniculante totâ Ægypto. Impudentissima Judæorum fabula,* Jesum in Ægypto *artes Magicas addidicisse, earumque ope Miracula patrasse. Blasphema Judæorum Historia, quæ invenitur in libro,* תולדות ישו. *Litteræ Ephesiæ,* Ἄσκι, κατάσκι, λὶξ, τέτραξ, ἄιξ, δαμναμενεὺς, ἄισιον. *Vanitas prædictæ historiæ latius Demonstratur. Columnæ* Jachin & Bohaz. Ariël, *Leo Dei. Leones*

nes Catenarii ad portam palatii Pharaonis. Helena Adiabenorum regina. Judaeorum ἀναχρονισμὸς. Acta, Sylvestri spuria, cum Judaeorum fabulis Convenientia. Helena Edessena, mater Constantini Magni. Zambræ Judaei ibidem vana jactantia. Loco, Apoc. 19:16. alluditur ad Veterum vestes picturatas & Litteratas. Druïdum calcei figura Pentalphae seu Pentagono notati. Martialis & Apulcï testimonia. Toga fulgurita & maculata apud Festum. Variorum de hujusmodi vestibus testimonia. Gammatia, & Gammadiones, Gammae figura notati, apud Suidam, Hesychium, Balsamonem Antiochenum. Arma veterum fœmori aptata, & variis characteribus obsignata. Christianorum quorundam fictio, nomen יהוה Contineri in voce יהשוה. Reges Syriae Σωτῆρες. Apollo Σωτὴρ. Anonymi cujusdam fragmentum ἀνέκδοτον, de nominibus Dei, quod pas-

passim emendatur. Nomen Πίπι, *non tantum in hoc fragmento, sed & apud* Hieronymum, Originem, & in antiquissimo codice Parisiensi. Hieronymi & Eusebii *testimonia, de Litteris nominis* יהוה. *Insertio litterae* ש, *apud authorem praedicti fragmenti.* R. Tarphonis *de nominibus Dei assertum. Verba* Evæ קניתי איש את יהוה, Gen. 4: 1. *enucleantur.* קנה, generare, Prov. 8: 22. Ariani *notati.* Ilus, Uranus, & Estia *apud* Sanchoniathonem Phœnicium. *Verba* Davidis, זאת תורת האדם אדוני יהוה, 2 Sam. 7: 19. *Non de* Salomone *sed de* Messiâ *intelligenda.* Angelus ille, Exod. 3. *passim, non erat* Angelus creatus, sed ipse Messias, Angelus fœderis. *Verba* Christi, Antequam Abraham esset Ἐγὼ εἰμὶ, Joh. 5: 58. *in genuinum sensum restituta. Judaeorum somnia* de septem rebus ante mundum creatis. *Locus* Joh. 17: 5. *explicatus.* Benedictio Mosis, — רצון שכני סנה תבואתה,

תבואתה לראש יוסף, Deut. 33: 16. de Domino Messia intelligenda. *Variae Christi habitationes.* שכינה, Habitatio. *Illustre* Maimonidis *testimonium. Locus* Zach. 11:12,13. à Matthæo Euangelista Jesu Christo *applicatus.* Apostoli non Ἀυθάδεις. *Praedicta verba apud* Matthęum *citantur ex* Jeremiâ, *Cum hodie legantur apud* Zachariam: *Cujus rei variae dantur rationes. Multa in Prophetiâ* Jeremię *olim in* versione septuaginta virali *turbata & transposita erant. Egregii loci*, Zach. 12: 10. והביטו אלי את אשר דקרו, *vera Explicatio. Iudaei haec verba non interpolârunt, quidquid etiam velint* Sociniani. *Hebraeorum Magistri per illum* transfixum, *intelligunt* Messiam Josephi. *Varia Iudaeorum testimonia, & imprimis* Abarbanelis. *Quorundam Rabbinorum delirium* de figmento malo *trucidando. Fabula de duplici* Messia, filio Josephi, & filio Davidis,

vidis, *variis rationibus exploditur.* *Tempore* Justini Martyris, Tertulliani, & Cypriani *fuit ignota.* *Originem traxit* à Judæis & Samaritanis, *illis*, Messiam ex tribu Juda, *his*, ex tribu Joseph, *Exspectantibus*: *Vel à* Marcionitis, duos Jesus, & duos Messias, *asserentibus*, priorem *in salutem Gentium*, posteriorem, *in restitutionem Iudaeorum.* Messias, Zach. 2: 8. *dicitur* Jehovah mittendus, אחר כבוד, post gloriam. *Alluditur ad gloriam Iudaeorum*, Columnam nubis, Arcam fœderis, propitiatorium, &c. Messias *diserte* יהוה *indigitatur*, *illo patris testimonio*, והושעתים ביהוה אלהיהם, Hos. 1:7. *Nemo mortalium saluti nostræ procurandæ par.* *Quæ fuerit celeberrima ista* imago, *ineunte seculo septimo*, *per* Excercitum Christianorum circumgestata. Theophylacti & Photii *de ista imagine testimonia.* Elipheda, *forte ab* אלי פדה, Deus

meus

meus redemptor. Elipheda *non est nomen imaginis, sed* præfecti *cujusdam* Emesseni. *Varia* S. Scripturæ *loca, ubi* Messias *vocatur* Deus & Jehovah. *Praeconium*, Psal. 68: 19. ab Apostolo Paulo, Ephes. 4:8, 9. Christo *applicatur*. Diana Ephesia. Messias in N. T. *Semper vocatur* κύριος: *Loco* 1 Cor. 8: 5, 6. *lux affertur*. Doctorum Hebræorum *de* decem divinis Sephiroth *jactantiae*. Ὁ Ἐρχόμενος, in Apocalypsi, *peculiari quodam modo refertur ad* Christum. Messias *passim in* N. T. *vocatur* Ἐρχόμενος. *Adventus* Messiæ *varii*.

§ I. PRiori capite *hunc textum* de MESSIA intelligendum esse, multis probatum dedimus. Altero capite quædam ad nominis *Tetragrammati* יהוה intelligentiam delibavimus. Hoc tertio, verendum istud nomen, *Messiae* tribui & competere, pro virili σὺν Θεῷ conabimur adstruere. Nec huic negotio promovendo de-

deerunt nobis, ipsi Judæi, veri Messiæ hostes implacabiles & pertinacissimi. Apud illos quippe, non eos quidem, qui ultimis his temporibus omni pudore deposito omnia susque deque habent, per omnia grassantur, & scripturæ, Traditioni, patrum suorum dogmatibus facile nuntium remittunt, modo quadam gloriæ Jesu Christi delibatione, infidelitatem suam habeant compensatam, sed apud illos qui propiùs ad Jesu Christi tempora accedebant, & qui lapsu temporis nondum ita degeneres animos, & omnino occæcatos potuerunt induere, apud illos inquam obtinebat *Meßiam futurum Jehovam* & sub eximio isto nomine in terris appariturum. Hoc patet ex *Midrasch* in *Proverb.* eximio illo loco à nobis superiori capite notato & illustrato, ubi inter octo nomina quibus *Meßias* designatur, nomen *Jehovae* memoratur. Non hoc dissimulavit *R. Abba commentar. in* c. 1. *Threnorum*, ubi post multa de *Meßia* non infeliciter

citer enarrata addit יהוה שמו *Adonai est nomen illius.* Idem occurrit in *Zohar* libro vetustissimo, & cujus apud Hebræos est authoritas maxima; Hæc quippe apud illum in *Genesin* leguntur, quibus sanior Christianorum calamus non posset saniora exarare. מלכא משיחא דאתקרי בשמא הקבה *Rex Messias qui vocatur nomine Sancti Benedicti.* His gemina inveniuntur in *Midrasch Tehillim in Psal.* 20. ibi quippe *Messias* vocatur יהוה, & ne temere author hoc dixisse videretur, ex ipsa Scriptura hoc conatur astruere. Utiturque Loco *Exod.* 15: 3. ubi איש מלחמה יהוה שמו *Vir Bellorum Adonai nomen illius.* Quibus verbis *Messiam* designari non incongrue colligit author, qui Bella domini gessit, Tartarorum Phalanges profligavit, Serpentis antiqui caput contrivit, sanguinolentum Draconem debellavit, mortem, sepulchrum exarmavit, Terram miraculis, inferos victis & vinctis, Ecclesiam victoriis, cœlos triumphis imple-

plevit; & iſte bellator eximius, איש מלחמה per antonomaſiam, pluſquam hominem ſe prodidit, & robore geſtis animo luculenter comprobavit quod eſſet יהוה שמו.

§ 2. Hoc proculdubio voluerunt antiquiores Judęi. Quod colligi poſſe credo, *loco qui nunc non occurrit*, nec in Hebræo Textu nec in verſione Græca, ſed qui tamen in hac legebatur, & urgebatur acriter à *Iuſtino Martyre*. Citabatur ex *Pſalm* 96. his verbis ὁ Θεὸς ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλου. Quaſi in Hebr. fuiſſet יהוה מלך מעץ. Habetur iſte locus apud *Iuſtinum Martyrem Dialogo cum Tryphone*. Citatur à *Tertulliano contr. Iud.* c. 10. 11. & adverſ. *Marcion.* l. 3. c. 19. *Cypriano de montibus Sina & Sion.* Saltem ſi ſit *Cyprianus*. *Lactantio*, *Arnob. Comment. in hunc Pſalm. Ambroſ.* vel potius *Hilario Diacono* in 1 Cor. 15. *Auguſtin.* in hunc *Pſalm. Leon.* pp. *Serm.* 4. *de paßione. Caßiodoro* in hunc Pſalm. *Pſalter. Rom.* & *vetuſtißimo pſalterio*

ver-

versionis Italicæ quæ vulgatam etiam sæculis integris superavit, & tandem *Hymno* veteris Ecclesię, qui agnoscit authorem *Venantium Fortunatum* sæculo sexto canentem:

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine.
Dicens in Nationibus
Regnavit à Ligno Deus.

Quæ non ideo huc congero ut textum Hebraicum, in quo hæc verba non occurrunt, corruptionis & labis alicujus insimulare velim. Sed ut colligi posse contendam in *versione* LXX. Interpretum Hebræorum, vel versione quorumdam aliorum Doctorum Judæorum hęc verba occurrisse, quibus patescit septuaginta interpretes, vel quosdam Hebræos vetustissimos Doctores, ab illa sententia, ut hodierni Judęi, non tunc abhorruisse, Jehovam nimirum ipsum, cruci debere affigi & à Ligno regnare. Ludicra vero est sententia viri cujusdam

 dam

dam Hebraice bene docti, qui hæc, ex Ps. 96. Hebraico eruere satagit, ubi dicitur יהוה מלך אף תכון Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τ. quia תכון incipit à τ, quod apud vetustissimos Christianos Crucem & lignum Crucis semper repræsentavit. Aliquid humani passus est alius quidam vir Doctus, qui mira quadam confidentia asserit, *Templi* ab Herode instaurati *encænia* incidisse in *Festum* ξυλοφορίων *Xylophoriorum*, & imperium Dei aliquo modo restauratum fuisse à tempore restaurationis Templi, & Festi ξυλοφορίων; unde interpretes quosdam Græcos huic Psalmo addidisse ἀπὸ ξύλου Deus regnavit à Ligno i. e. à Festo ξυλοφορίων. Tolerabilis est conjectura quâ ex Hebræis verbis Psalmi 93. יהוה מלך מאז *Deus ab æterno regnat.* asseritur interpretes legisse מעץ à Ligno. Sed tolerabilior mihi videretur si quis contenderet verba hæc Hebraica יהוה מלך אף הכון חבל *Deus regnat etiam suspensus orbis*, ab interpretibus Hellenistis reddita fuisse

Deus

Deus regnat etiam suspensus, id est, *à Ligno*, & *à Cruce*. Quicquid sit, istos Hellenistas, & Judæos, credidisse *Iehovam cruci affigendum esse*, & eandem cum Christianis, de Messia Jehova crucifigendo sententiam fovisse, Locus ille insignis non patitur dubitare. Sed non tantum Hellenistę & qui versionibus Græcis tantum utebantur, sed Hebraice tantum docti idem exsculpi posse crediderunt ex his verbis Exod. 23: 20, 21. הנה אנכי שלח מלאך לפניך ושמי בקרבו *Ecce ego mitto Angelum ante faciem suam*, *& nomen meum in medio illius*. Quod certe nec de Lege nec de Arca fœderis est intelligendum, quæ licet ante Israëlitas præcedere viderentur, non congrue nomine Angeli, *Angeli missi* hoc in Loco designarentur. Hinc est quod *Salomo Jarchi* hoc intelligat de *Angelo cui sit* משותף עם יהוה *sociatum nomen Adonai*. Clarius *Abenezra* hoc de *Angelo summo* nimirum de *Michaële* quem eundem cum *Messia* esse omnes fere consen-

riunt. Sed omnium clariſſime *Nachmanides* ſeu *Moſes Gerundenſis*, qui poſt varias hujus loci interpretationes, ſic infit tandem ſe colligens, & re accuratius expenſa, על דרך האמת המלאך הזה שהו בטחו בו בכאן הוא המלאך הגואל אשר השם הגדול בקרבו כי ביה יהוה צור עולמים *Secundum viam veritatis, Angelus ille in quo confidunt, revera eſt Angelus Goel, Redemptor, in medio cujus eſt magnum nomen Dei, quia in Jah eſt Jehova Lapis ſæculorum.* Verba certe Cedro digna, & quibus, ab ipſis Chriſtianiſmo magis incoctis, nihil Chriſto honorificentius poterat excogitari. *Angelus ille* eſt *Redemptor Goel*, qui aſſumpta natura humana jure ſanguinis & affinitatis nos matrimonio ſibi junxit, ab inimicorum manibus nos eripuit, de clade & ſtrage noſtra aſperrimam vindictam ſumpſit, & in æternam libertatem magnifice nos aſſeruit. Nec hoc cuiquam mirum videri debet, nam in illo eſt nomen Dei, nomen iſtud

Te-

Tetragrammatum, cujus arcana, hominum debilibus oculis, imo Angelorum Luminibus plane ſunt impervia. Quod ut *Gerundenſis* probet Locum citat elegantiſſimum, de quo huc uſque multi Chriſtiani non videntur ſatis ſerio & diligenter cogitaſſe.

§ 3. Habetur eximius iſte locus Eſ. 26:4. ubi Deus hortatur fideles, ut in ſe ſpem ſuam collocent, in illum ſecuri recumbant, nec aliam præter ſe tutelam & præſidium ſibi quærant. כי ביה יהוה צור עלמים Quod quidem reddi poteſt. *Quia cum Jah eſt Jehovah Petra ſæculorum.* Cum Jehova patre eſt Jehova petra ſæculorum, Jehova filius *petra* & *Lapis Angularis*, qui eſt *Dei Socius* & עמית, & æternum cum Patre nos ſociabit & adunabit. Vel *per Jah Jehovam Patrem, Jehova filius factus eſt petra ſeculorum*, adeo ut non ſit quod in illam confidere vereamur. Vel *propter Jah Iehovam filium, Iehova Pater factus eſt petra ſæculorum*,

rum, afylum fecuriffimum, & propugnaculum nullis infultibus violandum. Vel denique & apposite ad mentem *Gerundenfis quia in Iehova eft Iehova*, qui ifta affociatione evadit tutiffima fidelium quotquot unquam funt, fuerunt & erunt arx & propugnaculum & petra fęculorum. Qua ratione jure ac merito fecundum fententiam N*achmanidis*, nomen magnum Dei dicitur effe in Angelo Redemptore & in vero Meffia.

§ 4. Nec ab hac fententia divortium faciunt alii Doctores Judæi, qui per *Angelum iftum in quo fit nomen Iehovæ* intelligunt *Angelum Metatron*, quod de alio quam de *Meffia* non poteft intelligi. Nam vocant iftum *Angelum Metatron*, i. e. Metatorem, quod convenit *Meffiæ* qui in cœlos, quafi metator eximius, penetravit ut caftra fidelium ibi metaretur, loca nobis pararet, & manfiones à fidelibus occupandas notaret & defignaret. Vocant *metatron* ספרא רבא *magnum fcribam* quod convenit

Mef-

Meßiæ qui eſt יועץ *& conſiliarius*. Dicunt in *metatron* eſſe nomen שדי quia numerus qui emergit ex Litteris שדי occurrit in numero qui colligitur in numero Literarum ꝰ *Metatron*. Quod revera puerile eſt, & nihil ineptius hoc figmento poterat excogitari. Secus in omnibus nominibus ubi talis occurrit numerus, pari jure dici poſſet, Deum & nomen Domini eſſe in medio illorum. Et ſi ſic ludere liceret, tales ἰσοψήφους numeros facile eſſet invenire. Deinde non de nomine שדי hic eſt proprie quæſtio, non magis quam de voce *Elohim*, nec de literis & ſyllabis agitur. Iſta ſunt infra majeſtatem ęterni numinis, nec iſtis apicibus, & ſapientię humanę jocis & παιγνίοις, delectatur & capitur ſapientia Divina. De nomine glorioſo Dei hic tantum fit mentio, de eſſentia, Majeſtate, gloria, quæ iſtius tetrogrammati ſpatiis infinitis continetur & comprehenditur. Quod in Chriſto videre eſt, qui eſt in patre, in quo eſt pa-

ter, qui mira περιχωρήσει patrem comprehendit & qui est in patre & in Spiritu Sancto, & in quo sunt Pater & Spiritus Sanctus. ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, & plane ἀχωρίστως.

§ 5. Hoc est illud nomen *quod diademati inscriptum erat & quod nemo novit nisi ipse.* Apoc. c. 19:12. allusione ad summum sacerdotem, qui in Lamina aurea super frontem imposita, hęc duo nomina insculpta referebat קדש ליהוה *Sanctitas Domino.* Quibus verbis innuebatur Sacerdotem non esse Deum sed curare τὰ πρὸς Θεὸν, & Sanctitati nominis Divini semper invigilare. Sed Dominus noster *Meßias* est summus noster *pontifex*, & nobis repręsentatur gestans nomen κρύπτον ἀνεκφώνητον, nomen illud *Jehova* cujus significationem æquat & adimplet *Iesus* noster *Meßias.* Hoc est illud *nomen* quo Deus dicitur filium suum cumulasse *ad Philippenses* c. 2. *ut ad istud nomen omnia genua flectantur, tam eorum qui sunt in cœlis quam in terra &*

& infra terram. Quibus verbis *Apostolus* mihi videtur respicere *exaltationem Iosephi*, cui novum nomen inditum fuit, & ad cujus nomen, & præsentiam cum curru triumphali veheretur, tota Ægyptus, humilis & venerabunda procumbebat. Sed hæc infra Christi dignitatem multum videntur subsidere & nullo modo conferenda cum majestate Messiæ, qui post innumera arcana reserata, post innumeros populos cœlesti pane recreatos, post synagogę superatas injurias & contumelias, post effractos, mortis & sepulchri carceres, post acquisitum sibi patrique totum terrarum orbem, gloria coronatus est, & declaratus Jehova, tantoque nomine cumulatus, ad cujus majestatem Angeli velari debent, fideles procumbere, tota natura convelli, & in inferis Dæmones horrere & contremiscere.

§ 6. Nec ipsi Judæi hoc diffiteri potuerunt, cum enim viderent Christum Jesum tot miraculis se commen-

dasse,

dasse, quæ negare ipsa nec auderet impudentia, ea magicis artibus adscribere tentaverunt. Dixerunt quippe *Jesum Ægyptum peragrasse, artes magicas didicisse, earumque Arcana sub cute sua exarari curavisse, ne cum ex Ægypto egrederetur, Magi exeuntium ex Ægypto seduli examinatores, inter sarcinas Jesu, magica præcepta scriptis mandata reperirent.* Quod in *Talmude Tractatu Schabbat* impudentissimi fabulones chartis illinere non erubuerunt. Quod revera omnium fabularum, imo somniorum rudes & inconditas ideas videtur longe superare. Nam quis Jesum docuit istas artes, quare illas describere, cur sub cute vel in cute illas exarare, ubinam memorantur inquisitores illi magi, cur inter illos exstitit qui vellet Jesum ad ista arcana admittere, quare ipsi exactores & informatores magi, qui peregrinorum, & ex Ægypto discedentium sarcinas tam diligenter excutiebant, artibus suis magicis, Chri-

stum

ſtum eſſe magum, verenda magiæ præcepta cuti illita & inſculpta geſtare, divinare non potuerunt, & poſt defricatum, ſtrigili deſtrictum, excoriatum Jeſum, & oleo magico deletas & obliteratas Literas iſtas magicas, illum tandem vanum, indoctum, impotentem, & tanto arcano ſpoliatum dimittere.

§ 7. Quod alii Judęi animadvertentes, majori ſcilicet cautela, ſed non minori in Jeſum odio & contemptu aliam fabulam cuderunt. Admittunt quippe *nomen Jehovæ* fuiſſe revera *in Chriſto* & penes Chriſtum, viqueiſtius tremendi nominis, tot miraculis inclaruiſſe. *In Libro, quippe undequaque* Blaſphemo cui titulus תולדות ישו generationes Jeſu, hęc narrare ſolent hominum impudentiſſimi. *Temporibus, inquiunt, Helenæ Reginæ univerſae terrae, Ieſus Nazarenus venit Ieruſalem, invenitque in Templo* אבן שתיה *Lapidem fundationis, cui impoſita erat olim Arca Domini, & inſcriptum*

tum habebat nomen Hammephorasch. Quotquot *vero illius nominis literas adipiscebantur & sciebant poterant facere quicquid volebant. Sapientes vero timentes ne Israëlitae illud addiscerent, & virtute illius destruerent mundum, fecerunt duos Canes aeneos, & posuerunt eos supra duas Columnas contra portam domus Sanctuarii. Quandocunque itaque ingrediebatur aliquis & addiscebat literas dicti nominis, Canes illi latrabant tam horrendum, ut perterritus oblivisceretur nomen & literas quas addidicerat; Venit ergo Iesus & ingressus Templum didicit literas & scripsit in pergameno. Deinde scidit carnem cruris sui, & incisione illa inclusit istam Cartulam & dicendo nomen, nullum sensit dolorem, & rediit cutis continuo sicut erat antea. Cumque egrederetur è Templo, latraverunt Canes, & statim oblitus est nomen. Perrexit ergo in domum suam, & cultro crus aperuit, & accepit Cartulam ubi erat nomen Hamme-*

mephoraſch, *cujus potentia claudum curavit & priſtinae alacritati reſtituit, Leproſum curavit, mortuum ad vitam revocavit, ſuper mare ambulavit, & aviculas ex luto confectas animavit, & volare fecit. Quibus miraculis cum Regina Helena moveretur, Iudaei ne ad Ieſum illa tandem deflecteret, curaverunt Iudam Iſcariotem in Sanctuarium introduci, ubi cum didiciſſet nomen Hammephoraſch, de miraculis cum Jeſu auſus eſt contendere & tandem illum ſuperavit. Quo facto indignata Helena, Jeſum contempſit, & victum*, crureque fracto, illum *Judæis tradidit, qui infælici arbori illum tandem ſuſpenderunt.* Hæc eſt blaſphema illa Hiſtoria, quam apud ſuos tanta cum diligentia in opprobrium *Ieſu* & *Chriſtianorum* ſolent diſſeminare, & cujus illos certe puderet, ſi apud illos vel minimæ ſupereſſent pudoris reliquię. Nam ubi de lapide fundationis nomine *Adonai* inſcripto memoria apparet in to-

ta Scriptura Sacra? Unde tanta vis Syllabis, & Literis nominis יהוה? an putant illud referre ementitas vires Literarum Ephesiarum, ἄσκι, κατάσκι, λὶξ, τέτραξ, αἴξ, Δαμναμενεὺς, αἴσιον? Cur summus Sacerdos pronunciatione istius nominis miracula non patrabat? cur non isto verendo nomine securi vivebant Judæi & contra omnes inimicos suos tuti, Cur Nebucadnetsarem non debellarunt urbemque & Templum ab Assyriorum, Antiochi, & Romanorum prophanationibus non vindicarunt? Cur summus ipse Sacerdos de miraculis cum Christo non contendebat? Cur Judas isti negotio promovendo in partes vocatus? ubi canum istorum vel leonum memoria in Scriptura? Cur pronunciatione nominis יהוה rugitus & latratus canum & Leonum non impediebat Jesus. Ubi mentio istius Helenę Reginæ totius terræ, apud authores tam Sacros quam exoticos? An non ista figmenta sunt desperatissimę causæ Judaicę indubitata τεκ-

μήρια,

μήεια, nulla ratione fundata, nulla arte quæsita, nulla veri specie picta & dealbata, & nugis nugacissimis proximiora, quam umbræ vel tenuissimæ substratæ veritatis.

§ 8. Suspicabar aliquando columnas istas æneas fluxisse ex duabus istis celeberrimis columnis *Jacin* & *Bohas*, de quibus in *Libris Regum*, & *Paralipomenon* est creberrima mentio; canes vel leones fluxisse ex homonymia vocis כלבים quæ *canes* & *sicut Leones* notat. Istos Leones originem suam debere, vel τῷ *Ariel Leoni Dei*, qui in Altari recubare credebatur, vel operculo Arcę quod כפרת dicebatur unde כפיר *Leo*. Vel *Leonibus catenariis* qui adstabant portæ palatii Pharaonis quos Moses & Aaron vi nominis Tetragrammati olim compescuisse dicuntur in Libro פטיר משה seu ἀνάληψις Μωσέως, & istam decantatam *Helenam* esse *Helenam Adiabenorum Reginam Josepho* & aliis memoratam, proselytam factam & de Judęis optime meritam. Sed

cum temporibus *Claudii* imperatoris ad Judæos accesserit, & *Jesus* mortuus sit temporibus *Tiberii*, ἀναχρονισμὸς hîc facile potest animadverti, & mendacium Judaicum pellucet evidentissime. Ut tamen quod nuper mihi veniebat in mentem non plane dissimulem: Videtur mihi ista fabula desumpta ex *Actis Sylvestri*, ubi multa his gemina ab authore narrantur. Nam hîc *Helena* memoratur *totius orbis Regina*, quod de *Helena Adiabenorum* non est intelligendum, sed de *Helena* אלרהוי *Errehavensi Edessena uxore Constantii Chlori*; & *matre Constantini magni*, totius orbis Romani summi imperatoris. Utraque *Helena* dicitur favisse Judæis. Temporibus Helenę matris Constantini, 310 vel 318. sapientes congregati sunt *Niceæ*, & memorabile certamen refertur inter Christianos, & Judæos *vi nominis Hammephorasch* inter se contendentes, & variis miraculis se commendare satagentes. In illis quippe Actis,

ctis, spuriis tamen vel interpolatis, dicitur quod *Zambres* Judaeus, cognitione pronunciationis nominis Tetragrammati fretus, coram Constantino & Helena, jactabundus sese efferebat, & Sylvestro & aliis Christianis trepidis & animos fere despondentibus insultabat, & ferocem agrestemque Taurum adduci jubens se illum cicuraturum insulse pollicebatur. Sic que olim in Templo Hierosolymitano robustiores & ferocissimos boves victimas cecidisse, ad pronunciationem nominis Tetragrammati, καὶ γὰρ inquit ille recutitus Thraso, καὶ γὰρ οἱ πρόγονοι ἡμῶν ἡνίκα θυσίαν ἐπετέλουν Θεῷ παμμεγέθεις ταύρους προσφέροντες, τοῦτο τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ τὸ μέγα ἐν τῇ ἀκοῇ τοῦ ταύρου ἔλεγον καὶ παραχρῆμα μυκιθμὸν καὶ στεναγμὸν διδόντες οἱ ταῦροι ἅμα καὶ τὸ πνεῦμα ἀπέλυον. οὐδεμία γὰρ ἰσχὺς τοῦτο ἀκοῦσαι τὸ ὄνομα, δύναται ὑποστῆναι. *Nam majores nostri cum Deo immolarent, Tauros maximos offerentes, nomen illud Dei magnum, in tauri dicebant aurem, moxque tauri mugitu & fre-*

mitu edito exanimes, cadebant. Nulla enim vis audito illo nomine potest sustinere. Adducto ergo tauro ut pergit ineptissimus ille fabulator, ἵνα εἴπῃ Ζαμβρὴς τὸ ὄνομα εἰς τὴν ἀκοὴν τοῦ ταύρου. ἐλάλησε εἰς τὴν ἀκοὴν ταύρου, καὶ παραχρῆμα σύντρομος γενόμενος ὁ ταῦρος, ἐμυκήσατο, καὶ βίᾳ πολλῇ ἐκπηδησάντων αὐτοῦ τῶν ὀφθαλμῶν, ἐξέπνευσεν, τότε πάντες οἱ Ἰουδαῖοι ἐπεμβαίνοντες καὶ ἐπιγελῶντες ἐπέστησαν Σιλβέστρῳ &c. *Ut pronunciaret nomen Dei ad aurem Tauri, loquutus ad illius aurem, & statim tremore percussus taurus, mugitum edidit, & vi magna exilientibus illius oculis, exspiravit & halitum efflavit. Quod videntes Judaei, omnes insultantes prae laetitia* gestientes, *& illudentes Sylvestro* & Christianis, nil minus quam eternos de Christianis Triumphos se auctores existimabant. Sed vani fuerunt isti triumphi, vanum certamen, vanae vires adscriptae syllabis & literis nominis tetragrammati, vanae hae fabulae, si saltem sint fabulae, & non una tantum fabula,

variis

variiis circumstantiis vestita & variegata. Quâ Christum dehonestare tentarunt miseri Judaei, quasi in illo, arte quadam magica fuisset nomen Dei, non vero ὑποστατικῶς, σωματικῶς, & personaliter. Quod ad nomen Jehovae cruri & femori insertum, non temere quis conjiceret hoc fluxisse ex Apocal. 19: 16. ubi de Messia dicitur quod habuerit ἐπὶ τὸ ἱμάτιον καὶ ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτοῦ τὸ ὄνομα γεγραμμένον βασιλεὺς βασιλέων, καὶ κύριος κυρίων. Non tam allusione ad *Phylacteria* Judaeorum vestibus superimposita, quam ad *vestes picturatas & literatas* quas veteres gestare solebant. Quo vestium genere inquiunt ipsi Judaei cum indutus esset Aman in Aula regis Assueri, Mardochaeus Judæus coram illo nolebat procumbere, ne picturas & imagines quibus erat Amani vestis variegata, quodam cultu religioso prosequi videretur. Sic apud Martialem. *Pictorum soleas basiate Regum.* Reges enim Persarum vestes imo soleas ipsas &

& calceos pictos & literatos habebant. Quod & de Druidibus observari potest qui calceos gestabant figura Pentalphae, seu pentagono notatos, quorum quilibet angulus unam ex quinque Literis ὑγιεία repraesentabat, unde figura illa pentagonos & pentalpha quam propter Characteris inopiam non possumus hic efformare, dicebatur apud veteres Celtas *Drudensus*, Pes Druidarum; non quod Druidarum Calcei essent ista figura efformati ut vult quidam V.D. † sed quod in illis esset forma Pentogoni & Pentalphae insculpta, & effigiata. Sic vestes Literis Hieroglyphicis insculptae apud Apuleium, *Byssina*, inquit ille, *sed floride depicta veste conspicuus*. Et apud eundem, *variis insignibat animalibus*, &c. *Hanc Olympiacam stolam nuncupant*, & alibi Laciniae auro literatae. Quo à quibusdam trahi posset Locus apud *Festum de Toga fulgurita & maculata* x. θ. quod aliqui intelligunt de

† *Vir ille Doctus est Schedius in l. de Dis Germanorum.*

veste

veste καταχθονίων Θεῶν, quę voces erant mali ominis. Mos ille etiam colligi potest ex *Vopisco* in Carino, *Inscriptum est*, inquit, *ad huc in Pallio nomen Messallæ, & uxoris.* Hoc idem docet *Plinius* L. 35. c. 9. *opes tantas acquisivit Zeuxis, ut aureis Litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit.* Sic apud *Anastasium Bibliothecarium* in pontificali in vita Leon. IV. *super altare fecit vestem cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne præsulis nomen scriptum.* Huc referri possunt *vestis Philosophiæ* apud *Boëthium* de Consolat. L. 1. & *Gammatia* & *Gammadiones* apud Græcos, *Gammæ* figura notati & interpuncti. *Suidas* τελωνοφόρος ὁ φορῶν στολὴν ἔχουσαν σημεῖα ὡς γραμμάτια. Lege γαμμάτια. hoc patet ex *Hesychio*, τελῶν ἡ στολὴ ἔχουσα σημεῖα ὡς γάμμα. Quę vox etiam sic legenda apud *Balsamonem Antiochenum* patriarcham in Canon. 27. Concil. Trullan. ἐπιβλήματα inquit ille τὰ λεγόμενα μαφόρια, γράμματα, αἴτηματα.

 male

male in impressis legitur γεάμμου, pejus vir ad miraculum doctus, qui ῥάμμου legendum censet. Scribendum est γαμμάτια à literis γάμμα, quæ per sinus vel oram vestis, interspersæ videbantur & auro, gemmis, opere plumario, & phrygionico, Barbaricoque rigebant. Cum ergo Literatæ solerent esse vestes philosophorum, Sacerdotum, & Regum, non mirum est si Christus summus Propheta Rex & Sacerdos, vestes Literatas gestet, habeatque inscriptum nomen *Adonai* ad illam vestis partem femori contiguam. Sed forsan quis commodius hoc se posse interpretari credet allusione ad arma veterum, ut clypeos, pila, enses, quæ variis Characteribus & nominibus solebant obsignari, cum vero gladius femori aptari soleat, non mirum si ensis capulo ferroque inscriptus nomine Domini & Adonai, occasionem præbuerit Spiritui Sancto asserendi *nomen Dei Domini, scriptum fuisse super femur verbi Messiæ*, hincque an-

ansam arripuerint Judęi ineptissimum istud commentum excogitandi, Jesum nimirum Nazarenum, femori vel cruri inscripsisse vel inseruisse tremendum istud & ἀνεκφώνητον nomen Jehovæ.

§ 9. Non Judæorum tamen impiis Fabulis est annumeranda Christianorum quorundam suavis quædam fictio, qui nomen Dei in Jesu Christo esse existimarunt, quia in voce יהשוה nomen Jehovę contineri assęruerunt. Impietatis & blasphemiæ non debet argui ista sententia. Bono quippe consilio fuit excogitata, sed certe à futilitatis & vanitatis nota non potest se vindicare. Neque enim Jesus est à יהשוה, derivatur ab ישע servare, quia referente *Angelo* ipso, *populum suum à peccatis debebat liberare.* Et revera si *Reges Syriæ & Ægypti* dicti sunt Σωτῆρες, si *Apollo* dictus est Σωτὴρ. si *Hippocrates* vocatus fuit Σωτὴρ, si *Nilus Fluvius* eodem nomine venit indigitatus. Si θείων Σωτήρων apud Vete-

 res

res non infrequens fit mentio, jure ac merito *Messias* noster isto nomine gloriatur, cum sit Rex Regum & Dominus Dominantium, Pater Luminum, Arbor vitę foliis & fructibus suis vires nostras refocillans, fons, scaturigo, Oceanus omnium benedictionum & Deus super omnia benedictus in sæcula sęculorum, in quo habitat natura Divina, & cujus jus gloriæ non leviter delibaretur, si ideo nomen Jehovae in illo habitare assereretur quia in voce יהשוה Jesu, vox Jehova reperietur. Non est tamen χθὲς καὶ πρώην excogitatum istud figmentum; Qui illi pertinacius quam par esset adhaerent, habent apud veteres quo possint se tueri. Exstat quippe fragmentum, ἀνέκδοτον *Anonymi* cujusdam, quod licet longum, huc tamen inserere non gravabimur, ut rarum, & eruditis taediosum non futurum. Sic ergo *Anonymus de nominibus Dei*; Δέκα ὀνόμασι παρὰ Ἑβραίοις ὀνομάζεται ὁ θεός, ὧν ἓν μὲν Ἀδωναὶ λέγεται ὅ ἐστι κύριος, ἕτερον δὲ Ια ὃ καὶ αὐτὸ ἑλληνικῶς εἰς τὸ κύριος μετελήφθη. ἕτερον δὲ τὸ παρὰ ταῦτα ἐστὶ τὸ τετράγραμμα τὸ ἀνεκφώνητον ὃ πα-

ρὰ

ρὰ Ἑβραίοις, ὃ καταχρηστικῶς παρὰ μὲν αὐτοῖς Ἀδωναῒ καλεῖται, παρὰ δὲ ἡμῖν Κύριος. τοῦτο δὲ φασὶ γεγράφθαι ἐπὶ τοῦ πετάλου τοῦ χρυσοῦ τοῦ ἐπὶ τοῦ μετώπου τοῦ Ἀρχιερέως κατὰ τὸ ἐν νόμῳ εἰρημένον, ἐκτύπωμα σφραγῖδος, Ἁγίασμα τοῦ Κυρίου πι πι. τὰ δὲ λοιπὰ ὀνόματα ἐστι ταῦτα, ἢλ, ἐλωεί, ἀδωναὶ σαβαὼθ, σαδδαὶ, ἰαὼθ, ἐσερε καὶ τὰ προγεγραμμένα τρία ὧν ἐστι τὸ τετράγραμμα τὸ τύποις χαραττόμενον τοῖς στοιχείοις ιαθ. ηπ. σαυ, ηπ, πι. πι. τὸ ἐπὶ τοῦ Κυρίου ταττόμενον ἀνεκφώνητον ὄνομα διὰ τεσσάρων γράφεται στοιχείων διὰ τοῦ ηωθ. διὰ τοῦ ηπ. διὰ τοῦ ουαϐ. καὶ διὰ ηπθ. τούτων μέσον παρεντιθὲν μετὰ τὰ πρῶτα δύο παρ' Ἑβραίοις στοιχεῖον καλούμενον σιν. ὅ ἐστιν ὀδόντες. ὡς εἶναι τὸν εἱρμὸν τῶν πέντε γραμμάτων οὕτως. ἀρχὴ αὐτὴ ὀδόντες ἐν αὐτῇ ὁ ζῶν. ἑρμηνεύεται τὰ τέσσαρα στοιχεῖα, τὸ ηωθ ἀρχή. καὶ διὰ τοῦ ηπ αὐτή. καὶ διὰ τοῦ ουαϐ. ἐν αὐτῇ. καὶ διὰ τοῦ ηθ. ὁ ζῶν.

Decem Nominibus apud Hebræos nominatur Deus. Quorum unum, est Adonai quod est Dominus. Alterum ja quod etiam Græce redditur Dominus. Aliud præter hæc est Tetragrammaton quod non potest pronuntiari, apud Hebræos, abusive apud illos Adonai vocatur, apud nos vero Dominus. Dicunt vero inscriptum fuisse Laminæ aureæ, Sacerdotis fronti impositæ, sicut dictum est in lege cælatum sigilli Sanctitas Domino Pipi. Alia vero nomina

hæc

haec sunt. El, Eloi, Adonai Sabaoth, Schaddai, Jaith Eserie, & praedicta tria. Quorum est nomen Tetragrammaton, his scriptum characteribus Joth Hep Ouau Heth Pipi. Hoc nomen quo Dominus designatur, quatuor literis scribitur, per Joth, per Hep, per Ouab & per Hepth. Horum medium post duos priores occupat littera quae apud Hebraeos dicitur San id est dentes. Cum sit vinculum quinquè literarum, sic. Principium ipsa dentes in ipsa vivens. Significant quatuor litterae nimirum Ioth principium, & per He significatur ipsa, & per Ouab significatur in ipsa, & per Heth vivens. Ubi primo haec occurrunt corrigenda τελεγίνεγμμα τὸ ἀνεκφώνητον legendum τετραγράμματον ἀνεκφώνητον. Deinde pro μετὰ δὺο legendum μετὰ δύο. tertio pro ἰαωθ legendum עליון. Pro ἐκ τύπων ἐκτύπωμα denique addendum *Eloah*, vel *Elohim Sebaoth*, ut denarius numerus hic possit inveniri. Observandum praeclara haec decem Dei no-

nomina occurrere etiam iisdem fere vocibus & characteribus apud *D. Hier.* Ep. 136. quae est ad *Marcellam*; in qua fit etiam mentio nominis ΠΙΠΙ quod in hoc nostro fragmento non praetereundum censemus, illa quippe voce Deus designatur, vel quia *duobus Iod* Samaritanis nomen Dei repraesentabatur, quae ad figuram π π Graecorum proxime videbantur accedere. Vel voces יהיה vel יהוה à *Graecis* retrograda Lectione & scriptione fuerunt usurpatae, unde facili lapsu πι πι fluere potuit, vel quia *Copto Ægyptii* Deum per articulum designabant. Cum vero πι sit articulus Ægyptiacus ut superiori capite observabamus, hinc fieri potuit ut per πι πι designaretur quasi ὁ ὁ. sicut apud Hebraeos per הו saepe designatur. Vox vero πι πι in hoc *fragmento*, est indicium manifestum, illud esse venerandę antiquitatis. Nam occurrit illa vox tantum apud *Origenem*, *Hieronymum*, & in eximio isto codice manuscripto

Pa-

Parisiensi, in quo *Prophetæ* ex LXX. *Interpretum* versione continentur, & ad cujus marginem, vocem illam πι πι pro יהוה, magna cum voluptate memini me olim multoties deprehendisse, Sed non tantum vox πι πι vetustatem hujus fragmenti prodit, ea quæ ibi notantur de literis nominis יהוה videntur redolere ętatem *Hieronymi.* Sic enim in Libro de *nominibus Hebraicis*, ex *Psalterio*, & in Epistola CLV. ad *Paulum Urbicum*, ιωθ *principium*, *He ista*, ουαυ *Et*, *Heth vita.* *Sin dentes.* Sed Auctor. *fragmenti* nostri altius *Hieronymo* videtur ascendisse, & *Eusebium* in animo habuisse cum ea de literis nomini, יהוה, repræsentaret quæ revera apud Eusebium occurrunt Lib x. προπαρασκ. Εὐαγ. p. 278. ed Gr. τὸ πέμπτον στοιχεῖον ἢ, ὃ ἐστιν αὐτὴ, μετὰ ταῦτα στοιχεῖον ἕκτον λεγόμενον παρ' αὐτοῖς ὐαῦ ὃ ἐστιν ἐν αὐτῇ. ἦθ ὁ ἐστιν ὁ ζῶν. ιωθ ὃ ἑρμηνεύεται ἀρχὴ ἐμετὰ ταῦτα Σὲν ὁπέρ ἐστιν ὀδόντες. Ubi sicut in fragmento nostro ιωθ redditur ἀρχὴ, nam י apud Hebręos *potes-*

tentiam, principium, principatum notat. Male *Hieronymus* reddit *principium, scientia*, confundit יד cum ידעה. Sicut in *fragmento* ἡ notat αὐτὴ sic apud Euseb. ουαι vero vel ουαε notat apud utrumque. ἐν αὐτῇ quod fluxit ex ἐπισημῳ ουαι quod cum בו vel בה legerent, Græce illud reddiderunt ἐν αὐτῇ, ηθ vero *Eusebius* & *Auctor fragmenti* reddunt ὁ ζῶν quasi esset ח non vero ה quod in utroque maximam Linguæ Hebraicæ imperitiam prodit. Quod vero peculiare est auctori fragmenti nostri est insertio literę *sin*, qua veluti temperatur majestas nominis יהוה, secus ἀνεκφωνήτε, & pronunciatur יהשוה *Jehoschua* quo Messias Dominus Jesus, & in illo nomen יהוה nobis repræsentatur. Quę minus in ore Christiano mira nobis videri debent si cogitemus quid quondam *R. Tarphon* prompserit de nomine Dei Dicit quippe iste R זמן הטבע משתמש בשם שדי זמן התורה בשם יהוה וומז המשיח צדקנו בשם יהשוה *Tempore naturæ Deus utebatur*

batur nomine Schaddai, *tempore legis nomine* יהוה & *tempore Meſſiæ juſti noſtri*, *nomine* Jehoſua יהשוה. Nomine *Iehova* cum ש temperato ut fieret magis vocalis. Vel ut אש ignis iræ divinæ extinctus nobis innueretur per *Meſſiam Iehovam*. Vel ut איש homo & יהוה ęternis vinculis uniti nobis repræſentarentur, ſicque nomen Jehovae non eſſe in ſyllabis nominis Meſſiae, ſed revera *Ieſum Meſſiam* in ſe habere gloriam, Majeſtatem, eſſentiam, *nomen Iehovæ*, & illum eſſe *Deum ſuper omnia benedictum*.

§ 10. Hoc etiam facile colligi poteſt ex verbis *Evæ* matris generis humani, quae cum *Cain* generaſſet, ut dolores levaret quos ipſi pepererat miſerrima mortis futurae denunciatio. Illa ſtatim clamabat קניתי איש את יהוה *generavi hominem Deum*, ſic enim meo judicio melius reddi poſſent haec verba quam ſolent ſaepiſſime. „Nunc à doloribus, ſu„ſpiriis, lachrymiſque temperan„dum,

„ dum, acerbo & immiti fato erep-
„ ta mihi eſt vita, ſed jam iſta jactu-
„ ra cum fœnore compenſatur, gene-
„ ravi hominem Deum, qui revera
„ non omnes mortalitatis partes exuit,
„ ſed eſt tamen benedictum ſemen,
„ conteret caput ſerpentis, etſi ho-
„ minem ſe prodat vulneribus ſuis,
„ tamen victoriis de morte, ſepul-
„ chro, ſerpente antiquo reportatis,
„ ſe Deum Jehovam eſſe luculenter
„ comprobabit. Generavi hac vice
„ non hominem ſolum mortalitati
„ obnoxium, ſed *hominem Deum*, θε-
„ άνθρωπον, qui humanitatis humilem
„ ſortem, cum divinitatis gloriâ ęter-
„ nis vinculis ſociavit. *Generavi ho-
„ minem Jehovam.* Nam קניתי no-
„ tat *generavi* & non tantum poſſe-
di. Sic etiam reddenda vox eſt illa
quæ exſtat *Proverbiorum* c. 8. יהוה
קנני ראשית *Deus generavit me ab
initio, ante opera ſua.* Quod mul-
tum ab eſt ut juvet Arianos; quini-
mo, loco iſto, Hæreſis Ariana pro-
ſtrata conteritur. *Sapientia* quippe

nobis repræſentatur ***non creata*** ſed ***generata***, & ***generata ante*** פעלי״ ***opera*** Dei. Diſtinguit generationem ab operibus. Opera Dei non ſunt proprie generata ſunt פעלי״ ***opera*** à פעל ***facere***. Sed ***ſapientia*** inter opera non comprehenditur & ab eorum Categoria & cenſu removetur. Eſt generata, exit à Patre, habet מוצאות מקדם, nobiliori juxta ac intimiori modo debet originem ſuam. Ex hac τοῦ קנה ſignificatione pro ***generare***, fluxit apud Ethnicorum Theogoniam, μυθικὸν quid & fabuloſum, ſed veritati S. Script. aliquomodo ſuperſtructum. Nam cum viderent Gentilium Theologi quod *Gen.* XIV. Deus dicitur אל קנה שמי״ וארץ *Deus generans* & ***creans cælum & terram***; ex illa acceptione τοῦ קנה pro ***generare***, finxerunt Ilum ſeu אל ***generaſſe Uranum & Eſtiam***, cælum nempe & terram, ut legere eſt in fragmentis *Sanchoniatonis* Phœnici Hiſtorici, qui vixit temporibus *Gedeonis*, & quem Græce reddiderat *Philo Biblius* ſeu

He-

Herennius Philo, sed cujus versio periit, detrimento Rei Literariç nunquam satis dolendo, & nunquam reparando. Usus ergo apud Orientales obtinebat ut קנה sumeretur pro *generare*, & sic proculdubio usurpatur ab ipsis mundi primordiis, cum Eva immortalitatis jacturam reparatam sentiens, lætabunda gaudium suum, fidem & spem his vocibus significaret קניתי איש את יהוה. *generavi hominem Jehovam*, cum Messiam sibi promissum in Lucem emisisse, & se esse θεοτόκον apud se reputaret.

§ 11. Eandem fovisse mentem mihi videtur ipse *David* 2 *Sam.* 7: 19. & 1 *Paralipom.* 17:17. ubi cum Propheta spem ingessisset Davidi quod filium esset suscepturus, qui muros Domus Davidicæ esset reparaturus, Imperium Judaicum æternitati transmissurus, totum terrarum orbem sub jugum missurus, famam nomenque Astris terminaturus, gratabundus juxta ac mirabundus David in has

erumpit voces. זאת תורת האדם אדני יהוה *Hæc eſt forma hominis iſtius, æterni Dei.* Et 1 *Paralip.* ראיתני כתור האדם המעלה יהוה אלהי״ *feciſti mihi videre formam hominis iſtius celſiſſimi Jehovæ Dei.* Scio quid ad hæc commentatorum chorus ſoleat annotare. Sed ut ingenue fatear non poſſum adduci ut credam, *Davidem* de *Salomone* hîc tantum cogitaſſe, vel de *Meßia* tantum ſub ſpecie hominis? Nam cui bono iſtud האדם cum articulo, præterea cui bono iſtud מעלה, quî cohærent iſtud יהוה אלהי״, & an in tota Scriptura talium locutionum occurrunt quędam exempla? Deinde quæ à Propheta *Nathane* hoc eodem Capite narrata fuerant, an non ipſam divinitatem requirebant? cum, quę ibi futura nunciantur, tot paraſangis vires humanas ſuperare videantur. Denique cum *Meßias* revera fuerit *Jehova*, facile credibile eſt hoc Davidem non latuiſſe, illaque ſpe ſe lactaſſe ἐξοχωτάτῃ *prole* aliquando ſe beandum, ſe-

que

que parentem futurum האדם מעלה ויהוה אלהנו.

§ 12. Nec tantum *Evæ* & *Davidis* testimonio assurgamus; istis testimoniis pondus addat ipsum testimonium Domini nostri *Jesu Christi*. Nam *Exodi* 3. vocatur *Angelus*, quod de *Patre* non est intelligendum, qui nunquam *Angelus* & *missus* vocari potest. Deinde se vocat אהיה quod certe de *Angelo creato* nullo modo intelligi potest. Nam quomodo populum Israëliticum *suum* vocare potuisset. Quomodo clamores Hebræorum audivisse dici posset, & an ad creaturam & Angelum in Ægypto dirigebantur? Quomodo laborantes Judæos liberasset, semperque se illis adfuturum fuisset pollicitus? Quomodo potuisset se vocare *Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi?* & quomodo *cum Mose Deus loquutus os ad os* dici potuisset? An hæc in meram creaturam unquam cadere potuissent? sic est, *Angeli* sunt *Legati*, sed an ideo nomina Dei de-

bent usurpare. Legati erant *Moses* & *Aaron* ad *Pharaonem*, sed an ideo vocantur, *Jehovæ* & an Deus ore ad os cum Pharaone dicitur loquutus? An Christus Legatus Patris ideo vocatur Pater? An Legati Davidis ad Regem Ammonitarum vocati sunt Davides? An Apostoli, Legati Domini nostri vocabantur Jesus & Christi? An Apostoli Judęorum qui à Patriarcha mittebantur ad aurum coronarium colligendum, Hillelis & Judæ Patriarcharum, de quibus alicubi *Epiphanius*, denominationem induebant? An Gabriel missus ad virginem se Jehovam vocavit? An Angelus missus ad Joannem Euangelistam, Jehovæ titulo magnifico voluit inclarescere? An legati Macabęorum ad Lacedæmonios & Romanos se Macabæos indigitarunt? Denique in tota Historia tam sacra quam exotica an exemplum vel exstat unicum quo tam futilis sententia possit statuminari? Facessant ergo istæ argutię in dedecus & ruinam authorum

rum suorum excogitatæ, *Angelumque increatum hic agnoscamus Dominum nostrum Jesum*, quo nullus meliori jure, ea quæ hic narrantur, potest sibi vindicare. Et eo mihi videtur ipse digitum intendisse, cum dicebat Judæis *Joh.* 8: 58 *antequam Abraham esset* ἐγώ εἰμι. non dicit genitus sum, sed *ego sum.* Ego sum ille יהוה iste אהיה qui Deus est Abrahami, & qui in rubo Mosem alloquens se vocavit εἰμί. Ubi prętereundum non existimo quod dicat Dominus Jesus ἐγώ εἰμι non tantum εἰμὶ *sum.* Nam revera Judęi sententiam de Messia fovebant, quâ Messiam ante mundum conditum aliquo modo fuisse, quis credere facile potuisset. Existimabant quippe res septem ante mundum à Deo productas fuisse, *Legem*, *Pœnitentiam*, *Paradisum*, *Gehennam*, *Solium gloriæ*, *Domum Sanctuarii*, & *Nomen Messiae.* V. *Tract. Sanhedr.* c. 1. & *Nedarim* c. 4. quod de *nomine Meßiae* asserit *Moses Hadarsan in Bereschit*

 Rab-

Rabba ad *Gen.* 41:44. ubi ex Pſ. 72. probat, *nomen Meßiae* לפני שמש *ante Solem eſſe*, & conſtitiſſe antequam ex nihilo ulla creatura emerſiſſet. Sed hoc commentum licet in honorem Meſſiæ excogitatum videatur, infra tamen illius Majeſtatem longiſſime ſubſidit. Nam non ſolum nomen Meſſię ante mundum conditum, ſed etiam illius natura & perſona Divina. Unde Judæis abjecte de illius vetuſtate ſentientibus regerebat, antequam *Abraham eſſet*, eſſet perſona, eſſet in Rerum natura, ἐγώ εἰμι. Non tantum nomen meum, ſed ego, ego ipſe, tota perſona mea, Abrahamum & omnes quotquot exſtiterunt creaturas ætate ſuperavit. Quo etiam reſpexiſſe mihi videtur Johan. c. 17: 5. cum *ad patrem* ſic infit. δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί. *Glorifica me gloria quam habui*, non decreto, non deſignatione, non nomine meo, *ante mundum conditum*, ut cęca Judæorum turba tunc temporis

poris innuebat, *sed gloria quam habui ante mundum conditum*, & quæ ἀνθρωπίας, abjectae sortis, & humanitatis meae nubibus & velamento obscurata & intercepta, radios suos huc usque non debuit propalare & diffundere, nam ἐγώ εἰμι אני הו אני אה'יה, & aeternitatis infinita spatia ipse aeternus impleui.

§ 13. Quod Moses ipse, ex colloquio cum eximio isto Angelo facile animadvertit, & ut testaretur se non demisse sentire de Angelo colloquente, seque illum non cogere in numerum aliorum Angelorum, sed illum pro Dei summo, & Angelorum Rectore & moderatore, habere, illum colit & veneratur, dictis obtemperat, in illum spem & fiduciam suam collocat: Illo fretus Pharaonis minas, vires & rabiem contemnit & despicit, & precibus, etiam istius Angeli tutelam & praesidium implorat. *Sic enim ipse* Moses in gratiam Iosephi, Deut. 33:16. רצון שכני סנה הבואתה לראש יוסף

Benevolentia habitatoris Rubi, ſit ſuper caput Joſephi. Quod certe de Angelo creato non videtur intelligendum. Nam quare potius gratiam implorat unius iſtius Angeli, quam omnium iſtorum Angelorum, qui Iacobum in *Mahanaim* tam ſedulo circumdederunt, & ab hoſtibus conſervarunt. Quare potius opem implorat iſtius Angeli, quam copiarum Angelicarum, quæ in cacumine montis Sinai promulgationi Legis tantum decus conciliarunt. Quare potius hîc in ſubſidium, unum iſtum angelum vocat, quam Cherubinos, Seraphinos, Archangelos, omnes Angelorum ordines qui vident ſemper faciem Dei, & illius thronum & ſolium venerabundi circumdant? Annon ſecurior fuiſſet omnium Angelorum Tutela, & an non uberiorem benedictionem expectare debuiſſet Joſeph, ab omnibus Angelorum catervis, quam ab uno Angelo res Joſephi curante & pro viribus promovente? Sed non eſt quod mi-

miremur, *Mosem* postpositis omnibus Angelis, ad *Angelum* istum *habitatorem Rubi*, oculos intendisse. Est Angelorum *Dominus*, illum omnes adorant Angeli, *si ille pro nobis quis contra nos*; solus, viribus superat omnes Angelorum turmas. Illius manus est omnium robustissima, nec Pharao, nec Magi, nec Ægyptus, nec mare, nec terra, nec inferi possunt, ab ea nos avellere. In illo nobis benedicit pater omni benedictione spirituali & cęlesti, & רצון שכני סנה *benevolentia habitatoris Rubi* est scaturigo bonorum, nullis temporum spatiis, nullis siccitatibus unquam exarescenda. Dicitur vero שכני סנה *habitator Rubi*, quia est *habitator* ἀντονομαςικῶς. Habitavit in Rubo, habitavit in Sinai, habitavit in Tabernaculo, habitavit in Sion, habitavit in Arca & in Sanctuario, sed tandem inquit Euangelista Johannes allusione ad istas habitationes, *habitavit inter nos*, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, non amplius in Ru-

Rubo, in Sinai, in Sanctuario, sed mediis in hominibus, & nobiliori quodam modo, in natura nostra humana κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα θεότητος σωματικῶς. Ideoque propter istas veteres habitationes, & in spem habitationis futuræ sub N. T. Vocatur שכינה Habitatio. Non erit, ut puto, involupe de שכינה hîc disserentem introducere *Maimonidem*, qui primus inter Judęos desiit nugari & desipere, sic enim ille parte 1. More Neboch. c. 25. *habitare etiam tribuitur Creatori, ad exprimendam habitationem & commorationem Majestatis & providentiæ divinæ, ubicunque enim Majestatis & providentiæ signa collocavit, ibi dicitur habitare.* Hinc inquit נאמר וישכון כבוד יי ושכנתי בין בני ישראל ורצון שכני סנה dicitur *Exod.* 24: 16. & *habitavit gloria Dei*, & Exod. 29: 49. & *habitavi in medio filiorum Israël*, & Deut. 33: 16. & *habitator Rubi*; unde patet ex sententia *Maimonidis* per *habitatorem Rubi* non esse intelligen-

ligendum, *Angelum* quendam *creatum*, ſed *creatorem* ipſum, Majeſtatem ipſam Divinam, Deum ipſum *Jehovam*, " שכינה כבוד. Quę omnia Jeſu Chriſto conveniunt quam evidentiſſime.

§ 14. Nec tantum hoc in inſigni loco ſeipſum *Jehovam* nominat, exſtat & alius locus *Zachariæ* cap. XI. ubi Deus Jehova de ſe ipſo ſic loquitur כי דבר יהוה הוא הבו שכרי וישקלו את שכרי ל כסף *& hæc ſunt verba Domini Jehovæ, date mihi meum pretium, & pependerunt pretium meum triginta argenteos.* ויאמר יהוה אדר היקר אשר יקרתי *Et dixit Dominus, Honorificum & magnificum iſtud eſt pretium quod appretiatus ſum.* Jam vero de *Meſſia* hæc eſſe intelligenda, *Euangeliſtæ Matthaei* applicatio non patitur dubitare. Ea quippe de Chriſto eſſe accipienda innuit ſui *Euangelii* c. 27. Et huic interpretationi non leve pondus accedit, ex loco ubi Euangeliſta Euangelium ſuum compoſuit in *Paleſti-*

lestina nimirum, ubi ad Judæos ipsos illud destinavit. An vero *Matthaeus* quondam Publicanus, talia verba *Meßiae* ausus esset accommodare, nisi mos idem apud Hebræos obtinuisset, &. an talibus commentis & applicationibus novis grassatus fuisset per legem & per omnes prophetas, ni & scholam *Hillelis*, & scholam *Schammai*, & *Pharisaeos* & *Scribas* eadem de *Meßia* solitos esse interpretari, utique animadvertisset; Certe non erant ita αὐθάδεις Apostoli, & famæ suæ ita minus securi, ut inter Judæos ipsos, in eorum Synagogis, coram eorum Scribis & Nomodidascalis, ea voluissent urgere, inaudita, torta, violenta, quæ authoritate Doctorum, veterum Traditione, sensu currente Scripturæ, falsi convinci potuissent, uno halitu difflari, & eadem facilitate negari qua ab Apostolis asserebantur? Verum quidem est quod apud Matthæum in hodiernis exemplaribus, ista verba citantur ex *Jeremia*, cum ta-

tamen apud *Zachariam* Prophetam hodie tantum legantur. Sed forsan hoc fluxit, vel quia pro τῦ ζαχαρίυ, legerunt τῦ Ιερεμίυ. Vel quia Zacharias erat binominis, vel quia Zacharias erat Discipulus Jeremiæ, cui verba Discipuli facile adscribi possunt. Vel quia locus Matthæi respicit duo loca Jeremiæ & Zachariæ. Vel quia in exemplaribus Hebraicis Matthæi legebatur רבר ביד הנביא quod dictum fuerat per manum ἐνχειρὶ vel per ministerium Prophetę, unde irrepsit facili & lubrico lapsu ביד הנביא per Jeremiam Prophetam, unde tandem per Jeremiam Prophetam. Vel quia cum Jeremias primus esset Prophetarum, ab illius nomine nomen voluminis Prophetarum arcessebatur. Vel denique quia in editione septuaginta Interpretum omnia quae spectabant Prophetiam Jeremiae ita turbata erant, ut multa extra locum suum omnino repraesentarentur, & quae Ieremiae, aliis, & quae aliorum, Jeremię forsan adscriberentur. Quod

Quod ne nimis temere adfirmaſſe videamur, videatur & hodierna editio *Romana*, magno tamen labore & induſtria adornata, & ſententiæ noſtrę fundamenta quamplurima deprehendentur. Nam pars c. 25. reſpondet c. 46. apud Hebr. 27. reſpondet L. 28. reſpondet LI. 29. reſpondet 47. 30. reſpondet 49. 35. reſpondet 28. 36. reſpondet 29. 37. reſpondet 30. 39. reſpondet 32. 41. reſpondet 34. & ſic de pluribus hujus Prophetæ Jeremię capitibus, quae operoſa quadam Codicis Hebraici & Graeci collatione, diligens lector poterit facile animadvertere. Nec nudiuſtertius natum eſt diſcrimen iſtud. Temporibus *Hieronymi* jam obtinebat, cui diligentiâ ſuâ voluit medicas manus afferre. Sic enim ille praefatione in Hieremiam. *Ordinem viſionum qui apud Græcos & Latinos confuſus eſt ad priſtinam fidem correximus.* Imo ante *Origenis* aetatem, obtinebat iſta confuſio. Sic enim ille Epiſtola de *Hiſtoria Suſannæ ad Julium Africa-*

num.

num. Πολλὰ τοιαῦτα καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ κατανοήσαμεν, ἐν ᾧ καὶ πολλὴν μετάθεσιν καὶ ἐναλλαγὴν τῆς λέξεως τῶν προφητευομένων εὕρομεν. *Multa talia* (addita nimirum, detracta, turbata) *animadvertimus apud Jeremiam, in quo multas transpositiones & mutationes verborum propheticorum invenimus.* Non possum vero adduci ut credam, ista addita, turbata, transposita, apud Jeremiam incœpisse sæculo secundo, & circa tempora Origenis, sed primo seculo & temporibus Apostolorum jam obtinuisse, qui non præjudiciis & opinione preconcepta rapitur, mecum confitebitur. Unde propter istas transpositiones quædam tunc Jeremiæ censebantur, quæ nunc esse aliorum prophetarum, auxilio Hebraicæ veritatis, possumus deprehendere. Sed cum alio loco apud septuaginta Interpretes legerentur, Apostoli qui tam venerande versioni Judæorum ipsorum manibus tritæ & comprobate, & quæ Gentium conversioni, sapienti Dei Providentia,

suppeditata videbatur, semper consultum volebant, illam solebant usurpare etiam cum à veritate Hebraica aliquomodo videretur discedere. Ideo *Matthæus* potuit *Jeremiam* citare, cum tamen apud *Zachariam*, Jehova de Judaeis conqueratur quod tam vili pretio illum appretiassent.

§ 15. Sed ne *Zachariam* Prophetam tam cito dimittamus. Exstat & apud illum, eximius alius locus, quem intactum relinquere nefas existimamus, & quo si quocunque alio, Messias, Deus & Iehova asseritur. Habetur c. 12:10. ubi de Iudæis qui Messiam sunt confossuri, dicit Dominus Iehova, *respicient ad me quem transfixerunt* הביטו אלי את אשר דקרו; Nam licet apud Iohan c. 19: 37. ubi hęc verba citantur non reddatur *ad me*, sed tantum *videbunt quem transfixerunt*, non est quod Sociniani hîc intempestivo zelo Iudaeos adoriantur quasi hunc locum interpolassent, temereque אלי *ad me*, infarsissent. Nam praeterquam quod Iu-

Iudaei ab istis interpolationibus sunt alienissimi, eorum *Masora* in isto loco nullam ingerit variationem. *Septuaginta Interpretes* πρὸς μὲ etiam legerunt, hęc etiam verba agnoscunt *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotion*, & nulla potest excogitari vel fingi ratio, qua ducti Judæi sacrilegas manus in hunc locum injecissent, illumque depravassent. Nam nihil magis contrarium sibi cudere poterant, nec veritati quam tuemur magis patrocinari. Hinc est quod Hebræorum Magistri illa verba admittentes, de falsa tantum horum verborum interpretatione videantur arguendi. Nam per illum transfixum, *Messiam Josephi* intelligunt. Sic *Manasse Ben Israël*, sic *Jalkut* in *Zachariam*. Sic Libellus de *Miraculis Messiæ*, sic *En Israël*, sic etiam ipse *Abarbaniel*, omnium quotquot veritatem Christianam oppugnarunt, infensissimus, & acutissimus. Nam post memoratam sententiam *Abenezræ* qui intelligit מלאך " לפניהם

 במלחמה

במלחמה *Angelum Dei qui Judæos debet præcedere* ſicut quondam in deſerto, poſt notatam ſententiam *R. David Kimki* & *R. Salom Jarchi*, qui hoc intelligunt *de unico vel minimo exercitus Hebræorum milite occiſo, cujus mortem tam moleſte ſint laturi quam ſi unigenitis orbati fuiſſent.* Suam etiam videtur interponere, & urgere ut veriſſimam, de משיח משבט אפרים בן יוסף אשר יהרג וימות במלחמה *de Meßia ex Tribu Ephraim, filio Joſeph, qui occidetur & morietur in bello.* Et videtur etiam velle ſe tueri authoritate *Rabbinorum* veterum qui hunc locum de *Meßia* videntur interpretati. Sic enim idem *Abarbanel, ſunt qui interpretantur de Meßia filio Ioſeph.* כמו שפירשו רזל במס״ סוכה לפי שהוא יהיה גביר חיל משבט יוסף ויהי שר צבאות ״ באותה מלחמה כראשונה והוא ימות באותה מלחמה שלא תהיה מיתתו' על חטא *Sicut interpretantur Rabbini noſtri B. M. in Maſſeceth Sucah, quia ille erit vir fortis*

&

& robustus, ex tribu Ioseph, & erit princeps exercitus Domini, in illo bello in principio, & ille morietur in isto bello, & non propter peccatum Ubi citat *Rabbinos*, & *Talmud* Tractatu *Succah*, & revera c. 5. ea continentur, quæ animus Christianus non facile debeat prætermittere. והאי ספרא מאי עיבידתיה פליגי בה ר דוסא ורבנן חד אמר על משיח בן יוסף שנהרג והד אמר על יצר הרע שנהרו בשלמא למאן דאמר על משיח בן יוסף שנהרג על שנאמר והביטו את אליו אשר דקרו וסכדו עליו כמספר היו'ד & unde planctus iste? *Dividuntur inter se Rabbi Dosa & Rabbanin. Unus dicit hoc intelligendum de Meßia filio Iosephi qui occidetur. Alius de figmento malo quod occidetur. Est tamen pro eo qui interpretatur de Meßia filio Iosephi, quod dictum est, & respicient ad illum quem transfixerunt, & plangent super eum planctu unigeniti.* Hæc revera leguntur in Tractatu *Succah*. Non vero in Tractatu *Sotha*, ut pessime legitur apud

Salomonem Iarchi in hunc *Zachariæ* locum. Sunt quippe Tractatus *Talmudis* inter ſe admodum diverſi. Sed in eo non tantum error irrepſit apud *Salomonem Iarchi.* In *editione Polonica*, expunctus eſt iſte locus, ut Chriſtianis occultaretur grande iſtud myſterium, veteres nimirum Hebræos ad tempora uſque *Talmudis* compilati, verba Prophetæ *Zachariæ* de *Meßia* eſſe interpretatos. Nam quod aliquis ibi invenitur qui hoc de *figmento malo trucidando & abolendo* hęc intelligenda cenſuit, eſt deliriorum omnium ineptiſſimum, cum propter peccatum originale expunctum & emaculatum, non ſint lachrymæ fundendæ & ſuſpiria ducenda, imo propter tantam liberationem, geſtiens animi gaudium ſit ubique ſignificandum. Maneat ergo fixum & inconcuſſum inter Chriſtianos, veteres Hebręos, imo neotericos quam plurimos, hęc de alio quam de *Meßia* non poſſe intelligi. Non quidem de *Meſsia* tan-

tum *filio Ioseph.* Nam fabula de duplici Messia, est impudentissima, juxta ac ineptissima. Nam nec in tota Scriptura, nec apud veteres Judæos ętate Christi suppares, illius stultissimi commenti occurrit vola vel vestigium. Fit mentio *seminis mulieris*, seminis *Abrahami*, *seminis Davidis*, sed nullibi vox *seminum* occurrit, ad duos Messias nobis repraesentandos. Deus ut ingratitudinis insimulet Judaeos dicit quod illis suscitaverit *Mosem*, *Aaronem*, *Miriam*, sed ad erigendas spes Judaeorum, non dicit quod sit missurus *Messiam filium Davidis*, & *Messiam filium Iosephi*. *Iacob* moriturus, arcana multa spiritu prophetico reseravit, & quae fata liberos suos manerent, evidenter aperuit. Tribum quidem *Iuda* in illam spem erigit, quod ex illa, *Silo* Messias esset tandem aliquando oriturus; sed de *Silo* ut Messia *Tribus Iosephi* altum in Testamento suo prophetico silentium, & istam Tribum alio decore

beandam, aliisque privilegiis cumulandam significat. Sic apud omnes Prophetas cum res Judaeorum erant accisae, ad Messiam saepissime, unicam spem Israëlis, oculos intendebant, sed ad duos Messias respexisse, stultissimum est asserere. Fit mentio *Messiae, filii Davidis. Mater* illius memoratur. *Locus* & *tempus* nativitatis designantur. *Officia* repraesentantur, *nomina* nobis enarrantur. Nihil intactum relinquitur quo ad illius cognitionem possimus pervenire. Sed quaenam futura Mater Messiae filii Josephi? Ubinam nascetur proles illa bene dicta. Qua provincia defungetur, quo nomine superbiet, & quia pro patria, pro lege, pro Gente, pristinae gloriae tandem restituenda, debet occumbere & mortem oppetere, an ista omnia erant silentii sipario involvenda, quae de Messia Filio Davidis, tantâ cum cura, ne dicam jactantia narrantur & memorantur? Deinde cum *Judas, Herodes*, pro Messiis se obtru-

tru-

trudebant, an illis controversia movebatur, & quaerebatur an essent Messias filius David, vel Messias filius Ephraim? An cum *Iesus Nazarenus* se Messiam depraedicabat, illum de alterutro Messia interrogabant Iudaei? Et si tunc invaluisset sententia de duobus Messiis, uno filio Iosephi morituro & aerumnis conficiendo, altero filio Davidis gloria cumulando, & aeternum regnaturo, an Iesus pauper, egenus, pacificus, armis inidoneus, se tanquam Messiam Davidis filium exhibere voluisset, nulla filii Iosephi, miseriarum & aerumnarum facta mentione? Fingamus apud Iudaeos, qua sunt de duobus Messiis imbuti sententiâ, nunc aliquem ex surgere qui se Messiam jactaret. An de duobus Messiis nullam faceret mentionem? si esset egenus, miser, languens & mortis imminentis ludibrium, modo cucurbitam pro cerebro non gestaret, an credibile est tam pessime rebus suis consulturum, ut praeterita Mes-

siae filii Iosephi memoria, pro augustissimo, & triumphante Messia Davidis filio, ab omnibus haberi vellet? Cur ergo idem accidisset Jesu Nazareno? An ita male res suas novisset, & sibi defuisset? An Jesus ille scilicet astutus, versipellis, planus, magus, ita se prodidisset, & tam turpiter impegisset? An Flavius Josephus Historiographorum Judaicorum longe diligentissimus, aliquid de duobus Messiis memoriæ prodidit? Cum secundo sęculo *Bar Cosiba* se Messiam proderet, & bella Dei, & Judæorum fortiter primo, & strenue agitaret, an alium quam Messiam filium Davidis se haberi voluit, & cum adverso Marte tandem obrueretur, an de duobus Messiis aliquid cogitavit? an dixit se saltem esse Messiam filium Iosephi, an contendit se illum esse de quo Zacharias הביטו אלי אשר דקרו *respicient ad me quem transfixerunt*, an ad commentum istud tanquam ad sacram anchoram se recepit, quo nomen suum tueretur,

retur, famamque suam ab impostu-
rę labe liberatam & vindicatam asse-
reret? Denique exeunte seculo secun-
do & ineunte & adolescente tertio,
an *Justinus Martyr* cum *Tryphone*
Iudæo tam acriter & acute dispu-
tans, an *Tertullianus*, an *Cypria-
nus*, qui Iudæorum fabulas & deli-
ria tam feliciter invaserunt & profli-
garunt, de duobus Messiis aliquid
scripto mandarunt? Et an istam fa-
bulam vulgarem & Iudaeis familia-
rem, ultimum Iudæorum asylum &
κρησφύγετον, prætermisissent, & inta-
ctam reliquissent? Illis ergo Iudæis
& Iudæorum antagonistis ignota
prorsus fuit, ista fabula. Quam tan-
dem adinventam Iudęi ubique ob-
truserunt ut tanquam capite Gorgo-
nio Christiani obmutescerent, ęter-
no silentio damnarentur, & despe-
ratione & horrore perculsi, rigerent
& lapidescerent. Invenitur quippe
in Talmude *Massechet succa*, in *Tar-
gum* in *Cantic.* c. 4. & 7. apud *Jar-
chi* in Es. 24. & Zach. 12. Apud *Aben-
esram*

efram in Zachar. & Malach. 3. apud *Kimki* in Zachar. 12. & tandem apud omnes his pofteriores Iudæos, quorum utramque paginam implet, fabula de duobus Mefsiis uno *filio Davidis*, altero *filio Jofephi.* Videtur vero mihi origenem arceffere à *Judæis* & *Samaritanis.* Nam Iudęi ex *Tribu Juda* oriundi *Meffiam* filium *Juda*, *Ramum Ifai*, *Germen Davidis* ubique deprędicabant, fecundum fententiam Prophetarum. Samaritani vero *Jofephum* & *Ephraim* caput Decem Tribuum agnofcentes, *Meffiam* quidem admiferunt, fed cum Prophetas non admitterent, & à familia Davidis divortium feciffent, Mefsiae alios natales, & aliam originem excogitarunt, & fimultate, invidiâ, ἀμετρείᾳ τῆς ἀνθολκῆς, Mefsiam ex *Iofepho* capite fuo oriundum jactarunt; ficut Iudaei, *Davidi* & *Iudæ*, Mefsiae fui natales folebant adfcribere. Quam utramque fententiam, errantes & palabundi Iudaei, poft excidium Hierofolymitanum tan-

tandem aliquando conflarunt, ut à Christianorum casibus facilius se expedirent, & eorum impetus & ictus securius declinarent. Nisi malimus asserere, Iudaeos ad omnia commenta sine discrimine pronos, istud hausisse ex camarina & impuritatibus *Marcionitarum* ineptissimorum hęreticorum, qui *duos* esse *Jesus*, & *duos Messias* asserere non erubescebant. Sic enim de illis Tertull. Adversſ. Marcion. l. 4. c. 6. *Constituit Marcion alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus à Deo quondam ignoto revelatus sit, in salutem omnium Gentium; alium qui à Deo creatore in restitutionem Iudaici status, sit destinatus, quandoque venturus.* Quę cum in gratiam Judęorum ficta, & excogitata videantur, non mirum est si à Judæis avide fuerint usurpata & interpolata, ad duos Messias asserendos, unum filium *Davidis* Triumphantem, alterum filium *Iosephi*, qui debeat confodi, & ad quem pro patria oppetentem, &

vul-

vulneribus confossum, Judæi languentes oculos & madentia lumina debeant intendere. Enim vero de tali *Pseudo-Messia*, non est intelligenda prophetia *Zachariæ*, sed de *Jesu Messia filio putativo Iosephi*, filio *vero Davidis*, *unico filio Dei*, qui bella Dei agitavit, qui inimicos prostravit, qui non propter peccata sua occubuit, qui est *eximius* ille *confossus*, qui omnium oculos debet in se erigere, qui spiritum gratiæ largitione regia uberrime debet effundere, & quem omnes familiæ totius terrarum orbis debent pœnitentiâ, fide, cultu, prosequi & venerari.

§ 16. Et revera missus est ad omnium populorum commodum. Ideo *Zachariæ* 2: 12, 13. miro præconio prosequitur conversionem Gentium & dicit *se Iehovam missum fuisse post gloriam*, *& ad conversionem Gentium* כה אמר יהוה צבאות אחר כבוד שלחני אל הגיים וידעתם כי יהוה שלחני *Sic dicit Dominus exercituum*, *misit me*, *alteram gloriam*, *vel*

vel post gloriam adgentes, & cognoscetis quod Iehova exercituum misit me. Ubi Deus mittens est Dominus *Iehova*, & qui se mittendum dicit, est etiam *Jehova* exercituum, qui mittitur אחר כבוד *altera gloria.* Nubes, & columna Nubis, Arca propitiatorii, dicuntur in Scriptura Sacra *gloria Dei.* Quia erant symbola majestatis & presentiae divinae. Sed Messias est *altera gloria*, non columna nubis, non arca, sed φῶς ἐξ φωτὸς, θεὸς ἐκ θεοῦ, gloria ex gloria effulgens, in quo Deus Pater habitat, & symbolum majestatis divinae, quo nullum nobilius & augustius unquam fingi, & excogitari poterat. Missa est vero ista gloria ad *Gentes.* Columna Nubis, Arca Fœderis, ad solos *Israëlitas* quondam dirigebantur, sed Christus columna ista mystica, tot beneficiis fœta, tanta luce coruscans, alas umbrae suae, tam longe lateque explicans & exporrigens, Christus Arca Novi fœderis, tot miraculis insignis, in quo, virga

facerdotii, Tabulæ legis gratiæ, opes & divitię Regię Majeftatis, Chriftus inquam non ad folos Ifraëlitas, fed ad omnes omnino populos deftinatur. Nec lucem fuam in *Arabia* tantum fpargit, fed gratiæ fuæ radios per totum terrarum orbem fpargit & diffeminat, non viam quandam fternit laboranti cuidam populo, in terram aliquam arboribus confitam, lacte diffluentem, vini feracem, ubi largiter fe exerant, Cereris & Bacchi laetitiae. Viam parat & januam aperit omnibus populis terrae quâ poffint ad cœlos ipfos penetrare, ipfâ medulla palatii divini fuftentari, voluptatum & deliciarum flumine ora fua proluere, & ipfo Deo impleri & fatiari. Mofes gloria Dei, vultu radiante & corufcante deftinatur liberator Ifraëlitarum, qui ab unius Gentis Tyrannide illos liberaret & in libertatem affereret. Sed Meffias, alter Mofes, altera gloria deftinatur ad liberationem omnium Gentium, & ut illas omnes à tyrannide

nide peccati, ſepulchri, Diaboli vindicatas æternæ libertati reſtitueret. Angelus ad iſta non eſt ἱκανὸς. Sub onere tanti ponderis obrueretur creatura, à ψιλῷ Propheta, Iudice, Rege, Sacerdote, opus tam moleſtum & laborioſum non erat expectandum, & qui tot ſalvandos liberaret, qui tot hoſtes conficeret & debellaret, qui tot cladibus ſe eriperet, qui tantos agitaret triumphos, debebat eſſe יהוה צבאות & *Deus exercituum.*

§ 17. Hoc eſt quod patris ipſius Teſtimonio comprobatur Hoſ. 1: 7. Nam ubi, cum miſericordiæ Divinæ ſinus, tandem aliquando explicandos, aſſereret, in gratiam populi ſui, addit והושעתם ביהוה אלהיהם *illos ſalvabo in Jehova Deo illorum.* Tanta eſt illa ſalus quâ illos cumulabo, ut à nullo præter Deum, poſſit parari & promoveri. *Noa* generis humani miſerandas reliquias, arcâ ſuperſtites ſervavit. *Abrahamus* Lothum in libertatem aſſeruit, *Angelus* ipſum Lothum flammis Sodomi-

ticis eripuit, *Gideon*, *Jephte*, *Samson.* Spes & animos Judęorum fractos & labascentes variis rebus gestis, & victoriis erexerunt. Integrum *Sennacheribi* exercitum abstulit una nox, & unius Angeli potentissimis & repetitis ictibus, vindicatum Numen, tranquillatus est Ezechias, & Hierosolyma liberata. Sed quid istis liberationibus cum æterna salute nostra? Istis promovendis pares erant homines, & Angeli, sed qui nos æterna salute bearet, nullus erat prę-ter *Deum*, præter *Messiam* יהוה אלהינו. Huc forsan traherent eruditi nomen celebris istius imaginis, quæ ineunte sæculo 7. per exercitum Christianorum solebat circumgestari. Nam cum Israëlitę, Arcam ut vexillum ante exercitum circumferrent, sicut Romani Aquilas in castris circumferebant, sic Christiani 7. sæculi, ad superstitionem jam deflectentes & ἐθνικῇ quadam συνηθείᾳ imaginibus assuescentes, imaginem quandam solebant loco Aquilarum Romanarum cir-

circumferre quæ vocabatur ἐλιφέδα, Hoc elici posse existimarunt viri non mediocriter eruditi ex l. 2 c. 3 *Histor. Theophylacti Simocattæ*, ubi dicitur quod Priscus, cum videret tumultuantem exercitum, voluerit illum compescere, nec se melius hoc præstiturum apud se reputavit, quam si imaginem Servatoris nostri circumducendam gereret, ad cujus præsentiam tumultus cohiberentur, & rumores evanescerent. Ergo Priscus dux τῷ ἐλιφρέδα vel ἐλιφέδα τὸ θεανδρικὸν ἄγαλμα ἐδίδο περινοςεῖν περιάξας τὸ ςρατόπεδα. τὸ δὲ πλῆθος μηδὲν ἐντεῦθεν σωφρονιζόμενον ἔβαλεν πρὸς τὸ ἀπόρρητον λίθοις. *Eliphedæ Dei hominis imaginem dedit, & jussit circumducendam per Castra. Exercitus vero non moderatior evasit & lapidibus cœpit impetere inenarrabilem imaginem.* Invenitur hic locus, apud Photium T.m. Lxv. Iisdem fere verbis. ὁ δὲ Πρίσκος ἐλιφρέδα vel ἐλιφέδα δοὺς τὸν ἀχειροποίητον, δι᾽ αὐτῆς ἐκλιπαρεῖν τὸ πλῆθος ἐπέχναζεν. οἱ δὲ καὶ ταύτην λίθοις ἔβαλον. *Priscus*, inquit inter-

pres, *Elipheda, imagine non manu-facta illis tradita placare tentavit gregarium militem: sed illam etiam lapidibus petierunt.* Illa vero imago dicebatur ἐλιφέδα ut volunt viri Docti, & Linguae Hebraicae originem suam debere existimarunt. Quasi dicta sit ἐλιφηδα ab אלי פדה *Deus meus liberator est Redemptor.* Ut tamen verum fatear, vereor ne usque quaque vera sit ista conjectura; nam licet ex versione Latina colligi possit, imaginem ipsam vocatam *elipheda*, ex originali aliud possumus colligere Nam dicitur *illa imago tradita* τῷ ἐλιφέδᾳ apud *Theophylactum*, & ἐλιφέδᾳ apud *Photium.* Adeo ut is, cui tradita fuit, vocatus fuerit ἐλιφέδα, non vero imago ipsa. Et quod rem extra controversiae aleam statuit, hoc nos docet ipse *Theophylactus*, Photio ducentis annis vetustior; nam l. 2. suae *Historiæ Mauritianæ*, cap. 3. notat quod Dux Philippicus τὸ Ῥωμαϊκὸν διεκόσμησε, καὶ τριτταῖς κεραίαις τὸν μάχιμον διετάξατο.

καὶ

καὶ τὴν μὲν κεραίαν τὴν εὐώνυμον τῷ Ἐλιφέ-δᾳ ἐπέτρεπεν. ἄρχων δ' ἦν τῆς Ἐμέσης. *Romanum exercitum ordinavit, & in tria cornua distribuit; Sinistrum cornu concessit Eliphidæ qui erat Emesæ præfectus.* Unde patet non imaginis fuisse nomen elipheda, sed præfecti Emesseni, cui post Philippicum, Priscus Dux exercitus tradidit imaginem τὸν ἀπόῤῥητον καὶ ἀχειροποίητον. Nisi forsan quis contendat præfectum, nomen suum arcessere voluisse à nomine istius celebris imaginis, quę cum Christum repræsentaret θεάνθρωπον, dicta est eliphida אלי פדה *Deus meus salvator.*

§ 18. Sic Messias ab Angelis vocatur Deus & Jehova Esai. 6. collato cum Joh. 12. sic Psalm. 102. collato cum Hebr. c. 2. sic Psal. 68. collato cum Ephes. 4. Nam cum in isto Psalmo dixisset Psaltes, præconio suo majestatem divinam & Jehovam eximie prosequutus, *ascendisti in Altum, Captivam duxisti captivitatem, &* לקחת מתנות באדם *Dona accepisti ho-*

hominibus conferenda; Hoc Apoſtolus Paulus intelligit de Chriſto ad Epheſ. c. 4 Ἀναβὰς εἰς ὕψος ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Quibus verbis Chrittum Jehovam eſſe contendit & omnibus creaturis illum ſuperiorem conſtituit. Angeli deſcendunt & iterum in cœlos aſcendunt. Sed iſtis largitionibus nunquam ſe commendarunt. Enoch & Elias, in cœlum aſcenderunt, ſed captivos non duxerunt hoſtes, & beneficiis cœleſtibus amicos ſuos non cumularunt. Moſes ad cacumen uſque montis Sinai penetravit, ſed illinc Legem tremendam attulit, & Spiritus Prophetici fontes Iſraëlitis hauriendos non potuit aperire. Summus Sacerdos in Sanctuarium ſemel in anno aſcendebat & ingrediebatur, ſed ſępiſsime revertebatur nullis beneficiis cumulatus, quæ in populum languentem & expectantem effunderet. Sed *Dominus noſter Jeſus* non Sionem non Sinai montes aſcendit. Cœlos ipſos pene-

penetravit, & occupatis omnibus bonorum cœlestium fontibus, remotis omnibus obicibus, illa super homines effundi & derivari curavit. Quod *Apostolus* qùa erat sagacitate & prudentia apposite urgebat, apud *Ephesios fideles*, qui inter *Idololatras Ephesios* vivebant & quos ad ravim usque videbant jactare suam *magnam Dianam*, & *illius imaginem*, quam cœlo ipso delapsam, ineptissime existimabant. Ut verò Apostolus Ephesios avocet à tam inani cultu, urget Descensum Christi εἰς κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Urget ascensum Christi ad superiores cœli partes, urget Lumen Domini nostri longe circumfulgentis, urget dona Spiritus Sancti in fideles è cœlo labentis, & in cordibus nostris imaginem Dei effingentis, & reparantis, urget majestatem adorandam Christi, quam David multis retro seculis jam deprædicaverat.

§ 19. Unde patet in *Lege*, *Prophetis*, *Psalmis*, id est per totum

Vetus Testamentum *Messiam vocari Iehovam*; & meo judicio, hæc est genuina ratio cur in N. T. semper vocatur κύριος. Nam cum sub V. T. vox Hebraica *Iehova* redderetur Grçcis Lxx Interpretibus κύριος, & apud Apostolos vulgaris esset ista interpretatio, hinc est quod sub voce κύριος semper fere veniat *Dominus noster Messias*. Quod nullo unquam illustriori loco potest comprobari quam 1 Cor. 8: 5, 6. *Sunt plures Dicti Dii in cælo & in terra*; plurima Idola אלהי" ובעלי". Plurimi Angeli & principes qui dicuntur אלהי" ואדני". Plurimi magistratus & Doctores qui vocantur אלהי ומרי" רבני" Sed nobis inquit Apostolus, ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ πατὴρ, καὶ εἷς κύριος Χριστὸς δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ, *Nobis unus est Deus pater & unus Dominus Christus à quo sunt omnia, & nos per ipsum.* Ibi pater nobis repræsentatur, tanquam Deus summus à nullo originem trahens. Christus vero nobis repræsentatur ut Jehova, id est, κύ-

ριος

& Dominus. Nam revera Dominium, Imperium, Regnum, nunc pertinet ad Christum, & ad Christum pertinet peculiari modo denominatio *Jehovæ.* Nam quatenus *Jehovæ* vox notat *æternitatem*, competit Patri, Filio, & Spiritui Sancto, qui tres in scriptura absque ullo discrimine Jehovæ & æterni dicuntur. Quatenus *Jehova* notat *fontem omnium entium*, competit tribus personis Patri, Filio, Spiritui Sancto, qui operas suas contulerunt, ad condendum totum terrarum orbem, illumque è nihili tenebris eruendum. Quatenus *Jehova* notat *fidelitatem*, & *veritatem in promissis*, nulla trium personarum, istâ nobilissima Jehovę denominatione absque maxima injuria unquam fraudari potest. Pater est Jehova, stetit promissis, & misit filium. Filius est Jehova, fidem liberavit, & carnem nostram induit. Spiritus Sanctus est Jehova, fidem implevit, & sub Euangelio largissime cum fidelibus sese communicavit.

Quod mihi revocat in mentem id quod ſolent Hebræi. Doctores de *Divinis ſephiroth* μετὰ πολλῆς φαντασίας ſæpiſſime jactare. In Deo quippe decem ſephiroth memorare ſolent hoc ordine diſpoſitas

Corona כתר

Intelligentia בינה   הכמות Sapientia

Potentia גבורה   הסד Miſericordia

תפארת

Decus

Majeſtas הוד   נצח Victoria

סוד fundamentum.

שכינה seu מלכה

Quas omnes *ſephiroth* nomine Jehovæ comprehendi, & deſignari contendunt. Stulti ac infœlices, cum decem reales enumerationes & menſuras, in Divinitate ſibi fingunt, beati & ſaniores ſi tres כפירות, tres מדת τρία πρόσωπα, τρεῖς ὑποστάσεις tantum voluiſ-

luissent admittere, majestatis nominis Jehovæ ęqualiter participes. Quatenus tamen, vox *Jehova* denotat *erit*, & novum futurum essendi genus, adventum personalem, tunc denominatio *Jehovæ* jure vindicatur *secundæ personæ*, & *Domino Meßiæ*, cum realiter, personaliter, venit in mundum, cum fuit aliter quam erat antea, cum induit novum esse, & λόγος σὰρξ ἐγένετο.

§ 20. Ideo mihi videtur vox Jehova etiam in complexu suo comprehendere significationem τοῦ ἐρχομένου. Hoc patet *Apocalypseos* primo, & quarto, & undecimo. Ubi ut Apostolus redderet integram significationem vocis *Jehovæ*, consulto volens abstinere à pronunciatione *istius* vocis, & quia forsan ignota erat, & quia sensum illi adæquatum nondum poterant assequi Judæi, Apostolus reddit, ὁ ὢν ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, non dicit tantum, *erit*, *futurus est*, *est* ἐσόμενος. Sed ἐρχόμενος. Deus poterat *esse*, *esse erit*, *esse futurus*, esse ἐσό-

με-

μένος, etiam si non esset ἐρχόμενος. *Jehova erit*, ἐρχόμενος, notat *adventum*, *novum esse futurum*, quod ex æternitate naturæ, vel promissionum fidelitate nunquam colligi potest. Sed in *filio Dei*, in *Messia* novam istam futuritionem, novum istud essendi genus facile possumus animadvertere, unde peculiari quodam modo denominationem *Jehovæ*, & τοῦ ἐρχομένου jure sibi in Scriptura vindicavit.

§ 21. Unde mirari non subit, quod revera tam frequenter Messias in N. T. vocetur ἐρχόμενος. Sic Luc 7. Σὺ εἶ ἐρχόμενος. Joh. 1. ὁ μετά μου ἐρχόμενος. sic Joh. 12. εὐλόγητος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου. Quia revera est *futurus*, *venturus*, per antonomasiam. Venit ἐν σαρκὶ, cum tam mirando modo aptavit sibi corpus, venit ἐν νεφέλῃ, cum nubibus, tempestatibus fœtis & gravidis, involvit miserrimos Judęos, iræque laxatis habenis & repagulis, Hierosolymam solo æquavit, Templum funditus evertit, Rempublicam pessumdedit, perduellesque Judęos,

dęos, ferreo jugo, horrendaque calamitate involvit & innodavit. Veniet ἐν δόξῃ cum ultimo judicio collectis omnibus Sanctis, nos è mortuis suscitabit, æterná redemptione nos cumulabit, & æternùm in Sanctis suis glorificabitur. Ideo etiam vocatur *Jehova*, & dicitur adhuc, ἐρχόμενος, quia adventu ultimo, & augustiore nondum se commendavit, Nam sicut olim Deus dicebat *quod nondum sub nomine & significatione Jehovae sese manifestasset*, quia licet varia fidelitatis, & veritatis suæ argumenta exeruisset, nondum liberatione illa Ægyptiaca, *se Iehovam comprobasset*. Sic licet se Jehovam, innumeris jam argumentis evicerit, & incarnatione, Gentium conversione, Judęorum clade & ruina, ęternis monumentis, asseruerit. Nondum tamen se *Iehovam* & ἐρχόμενον *plane & plene confirmavit*. Deest adhuc *ultimus adventus*, in quo nos à morte liberatos æterna fœlicitate cumulabit, & non amplius suasionibus,

bus, & rationum momentis, sed fulminibus in improbos vibratis, & contortis, sceptris & coronis, in gratiam & gloriam fidelium erogatis, se verum esse ἐρχόμενον & Jehovam æternum confirmabit.

Ναὶ ἔρχου יהוה ὁ ἐρχόμενος
Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ
Ἄχρονος ὢν, ἀκίχητος ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ
Ἰσοφυὴς, γενετῆρος ὁμήλικος, υἱὸς ἀμήτωρ.

Amen.

CAP. IV.

Asserens Jesum Christum esse Justitiam Nostram.

ARGUMENTUM.

In dicto nostro Prophetico, יהוה צדקנו, justitia *primo sumitur pro,* justo. *Substantiva, more loquendi apud Hebræos, usurpatur ad* Ἄυξησιν. *In loco* πολυθρυλλήτῳ, Hagg. 2: 10. שלים, pax, *sumitur pro* pacifico. בית, Οἶκος, Ædes, *pro* Templo. מקום, Τόπος, Locus, *pro* Tem-

Templo: *Quod probatur ex locis S. Scripturæ*, Exod. 20: 24. Joh. 11:48. *Et Rabbinorum præterea adagiis.* Pax *non fuit in Templo Zorobabelis, à jactis fundamentis, usque ad finem* Florus *emendatus.* Aureus Cillus. *Asini cultus, Iudæis imputatus. Templum secundum æternis ruinis obrutum. Iudæorum fabula de tertio Templo exploditur.* Messias *omnium* justissimus, *&* sanctissimus. Jacobus *frater Domini, vocatus* Ophlias, *quasi* עפלי עם, turris & Munimentum populi. *Falsa numina sunt* אלילים, non entia. *Ethnicorum numinum scelerata vita.* Arnobii *sarcasmus. Locus* Zeph. 3: 5. יהוה צדיק בקרבה, *illustratus.* Plutarchi *querela solum* Aristidem *inter belli duces*, justi, *titulo condecoratum esse.* Messias *vocatus* שמש צדקה, Sol justitiæ, *Mal.* 4: 2. *Ethnici solem adorantes illum vocabant* Sadocum *&* Σωτῆρα. Sol *cum alis amplissimis repræsentatus apud* Ma-

Macrobium. Basilidianorum *&* Valentinianorum *gemmæ solem referentes cum nomine* רפאל, Sanantis Dei. *Ægyptiorum Deus* Κνὴφ, *ab Hebraico* כנף. *Loco difficili* Jes. 18:1. *lux affertur.* Osyridis *&* Isidis *simulachra, per omnes Nili alveos navigiis delata.* Sesostris *miranda navis.* Sol *apud Idololatras vocatus* Sedec, *justitia. Insignis locus*, Ies. 19:18, 19. עיר ההרס יאמר לאחת, *nomen unius istarum urbium vocabitur* Heres. *Variæ horum verborum versiones.* קרתא בית שמש. Ἀσεδὲκ. Ain Semes. Ἡλίȣ πόλις. Iupiter Sadec. Διόσκȣροι, Filii Σύδυκ. Sanchoniathonis, *&* Damascii *testimonia.* Æsculapius, Esmunus *vocatus*, *quia* השמיני, Ὄγδοος, Octavus. Κάβειροι. צדק, *apud Hebræos* planeta Iovis. בגד, venit Gad; בא מזל טוב, venit stella bona; בא כוכב צדק, venit stella Iovis. *Angelus* Sidkiël. *Nummi, nomine* Sadkiël *inscripti.* Isis, *numen masculinum & fœmininum*

ninum. Isis, *tanquam à* ישיש, *antiquissimo.* Diodori Siculi *testimonium.* Jehovah, antiquus dierum. Isis *apud* Plutarchum *Nuncupata* Δικαιοσύνη *Eximia quædam de hâc re* inscriptio, *quæ asservatur Venetiis, in Familia Maurocena.* Christus *non tantum est* justus in se, *sed &* justitia nostra, *& in societatem justitiae suae nos admittens. Cui veritati confirmandae affertur locus*, 1 Ioh. 2: 1. Advocatus justus, *id est, justificans. Loca, Jes.* 53: 11. 1 *Cor.* 1: 30. *illustrantur. Opponitur* Christus, Adamo, Mosi, Sacerdoti summo. *Dictum Johannis Baptistae*, Ecce agnum Dei, qui tollit peccata mundi, *fuse enarratur. Pharisaeorum supercilium Merita sua crepantium. Sacrificia Levitica delendis peccatis irrita.* Festum expiationum, *&* Festum Tabernaculorum. *Duo* hirci Cippurim, *unus pro* Deo, *alter pro* Azazel. *Christus verus agnus Cippurim,*

portans peccata Mundi. Aries, & Hircus, Dan. 8:3. *&c. inter se digladiantes. Hirco repraesentatur* Alexander Magnus. *Graeci, & Macedones dicti Ægaei, Capellae, & Hirsuti.* Iuvenalis *illustratus. Graeci omnia fere magisteria occupantes. Ariete repraesentatur* Darius Codomannus. Aries *in Moria, suppeditatus* Abrahamo. *Elegans Vaticinium*, Dan. 9:24. *de* צדק עלמים. Iachiadæ *in hunc locum* παρερμηνεία. *Verior Explicatio. Pontificiorum* justitia infusa, *& Weigelianorum* justitia essentialis *exploduntur. Christus invenit* αἰωνίαν λύτρωσιν; *Hebr.* 9:12. Iachiadæ, *ad* Dan. 11:35. *inepta Commentatio.* Ionathanis *Paraphrastae Chaldaei ingenua confessio.* Messias *à Judaeis vocatur* איש כופר, homo expians. אשכול הכופר, Βότρυς Κύπρου. כופר, *est Arabum* אלחנה, Alhenna. *Hebraeorum Doctorum ineptiae* אשכול כופר, *in* איש כול כופר, *Commutantium.*

Ec-

Ecclesia Apoc. 12:1. *repraesentatur gestu & Habitu Triumphantis. Luna, imperii Romani Symbolum.* Iuvenalis, Martialis, *&* Papinii Statii *Testimonia. Zonaras notatus. Patricii Romani figuram C pedibus gestantes. Triumphantes olim, Jovis tunicâ induti. Variorum Authorum testimonia. Quaenam sint* vestes albę *&* splendentes, *de quibus passim in* Apocalypsi. *Iudaeorum jactantiae.* Δικαίωμα *pro* ritibus *&* Cæremoniis *à Deo institutis.* Proselyti תושב, Habitationis, *&* proselyti צדק, justitię. *Phrasis Paulina,* Iesus νόμȣ τέλος, *fusius explicata.* Τέλος, *finis, & vectigal.*

§ 1. SUperioribus capitibus evicimus 1. hunc locum esse intelligendum de *Meßia* confitentibus ipsis sapientioribus Judæis, qui non instar aliorum veritati & pudori nuntium remiserunt; & quibus sub sinistra papilla saliunt adhuc & subsultant

quidam motus bonæ fidei, & ingenuitatis superstitis, & non plane extinctę. 2. de Nominis יהוה significatione & pronunciatione quædam disseruimus. 3. *Jesum Nazarenum* suavissimum Messiam nostrum *verum esse Jehovam* variis argumentis *comprobavimus*. Ut vero Lectorum votis & consilio nostro omnino respondeamus, & hoc quicquid est laboris nostri ad umbilicum tandem perducatur, superest ut *Jesum Deum*, esse *justitiam nostram* his ultimis si fieri possit, capitibus asseramus & confirmemus, juxta hæc verba Prophetæ זה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *illud est nomen quod vocabitur Adonai justitia nostra.*

§ 2. Hic vero *justitia* sumi potest pro *justo*, more loquendi apud Hebræos longe frequentissimo. Cum enim adjectivis careant, utuntur substantivis. Et substantiva etiam sæpissime usurpant, ad αὔξησιν, & ut res nobiliori, excellentiori & ἐμφατικωτάτῳ modo possint repræsentare; sic

ſic Lux pro Lucidiſſimo; Tenebræ pro denſiſſimo & opaciſſimo, ſapientia pro ſapientiſſimo, vita pro vivente, veritas pro veraciſſimo, via pro ὁδηγῷ tutiſsimo, & Salus pro Salvatore excellentiſsimo. Sic eſt intelligendus locus ille πολυθρύλητος *Haggai* cap. 2: 10. גדול יהיה כבור הבית הזה האחרון מן הראשון אמר יהוה צבאות ובמקום הזה אתן שלום. Quę ſic reddenda exiſtimo. *Major erit gloria Templi hujus ultimi quam prioris, dicit Deus exercituum, & in Templo hoc dabo pacem* i. e. *pacificum.* בית reddimus per *Templum*, ſic בית דגן *domus Dagonis* pro *Templo Dagonis.* Sic בית ברית *domus Beriti* pro *Templo Beriti ſeu Baal Beriti.* Sic ביתאל *domus Dei* pro *Templo Dei.* Sic בית און *domus Aven & vanitatis* pro *Templo vanitatis.* Sic οἶκος apud Græcos & *Ædes* apud Latinos pro *Templo* occurrit frequentiſsime. Reddimus vero מקום per *Templum.* Nam revera מקום apud Hebręos iſto ſenſu ſolet

 etiam

etiam usurpari. Hinc *cælum* apud illos vocatur מקום quia est *Templum Dei.* Sic pro Tabernaculo vel Templo videtur sumi debere Exod. 20:24. בכל מקום אשר אזכיר שמי אבוא אליך *in omni loco* (Tabernaculo Templo primo, Templo secundo) *in omni Templo in quo faciam memorari nomen meum veniam ad te.* Hoc est quod volunt Hebræi his elegantissimis verbis בכול מקום שצדיקים עומדים שם הוא נמצא עמהם *in omni loco in quo stant justi illic, ille ipse, invenitur cum illis.* Et alibi iidem Doctores שנים שיושבים שיש בניהם דברי תורה שכינה שהיה בניהם *ubi duo consident sermonem habentes de lege, Sechinah* (seu gloria Dei) *est inter ipsos.* Ad quæ verba *Doctorum* & *Exodi* alludens Dominus noster dicit *Matth.* c. 18:20. οὗ γὰρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν, non rapinam ducens se æqualem Deo constituere. Sechinah erat in medio Israëlitarum, sed *Christus* est vera *Sechinah* & vera gloria Patris.

Patris. Pater inter justos habitabat, sed Christus inter fideles. Ubi fiebat memoria nominis Patris, ibi benevolus aderat; ubi fit memoria nominis Jesu, est pręsens in medio suorum. Sed est pręsens ubique per totum terrarum orbem, οὗ εἰσι δύο ἢ τρεῖς, sed Pater במקום in loco in Templo quod locus vocabatur. Sic intelligendus *locus* ille insignis Joh. c. 11: 48 ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος, *venient Romani & tollent Gentem nostram & Locum nostrum*, i. e. Templum quod vocabatur Locus allusione ad *Exod.* 20: 24 & ad hunc versum *Haggai* 2. ubi dicitur, in hoc *Loco* h. e. in hoc Templo במקום הזה, *dabo pacem* i. e. pacificum. Nam revera pax non fuit in illo Templo, à jactis Templi hujus secundi fundamentis, ad illius finem usque, variis tempestatibus agitata fuit hęc domus, & multo tranquilliora fuerunt primi Templi tempora. Nam cum secundi fundamenta ponerentur, *Samaritani* totum

negotium variis vexationibus turbarunt & interceperunt. Post erecta mœnia, Israëlitę suspiriis, gemitibus, lachrymis, illius decus & gloriam non leviter contaminarunt, cum illam infra primi gloriam longe subsidere confiterentur. Post aliquot elapsos annos *Antiochus* Templum invasit, horrendo idolo zelotypiae contaminavit, prophanatoque Atrio, Aris, Sanctuario ipso, nihil intentatum reliquit quo Templi & veri numinis gloria fœdissime conculcaretur. Sed hic non substitit dedecus, & lugenda profanatio. Longa opprobrii & ignominiarum serie, expertum est hoc Templum, *Lysimachi* furores, *Zelotarum* rabiem, *Crassi* contumelias, *Pompeii* depraedationes, qui ingressus Templum, *vidit* inquit Florus *grande impiae Gentis Iudaicae Arcanum patens, sub aureo uti caelo.* † Ubi forsan legendum pro *uti,*

† *Locus hic Flori vexatissimus, occurrit l. III. c. 5. vide quae notavit ὁ πάνυ Graevius, in notis, ad*

uti, *vitem*, ut eruditi pridem monuerunt. Et forsan pro *caelo* legendum *Cillo* ut in illo versu:

Nil praeter nubes & cilli numen adorant.

Et in alio:

Et cilli summas advocat auriculas.

Sic in loco Flori *aureo Cillo* i. e. aureo asino, nam *asini cultus* Judaeis adscribitur ab *Ægyptiis*, *Graecis*, *Latinis*, & forsan ab ipso *Floro* in contumeliam Judaeorum, & Numinis, & Templi. Templum vero paulo post *Pompeji* tempora funditus evertitur ab *Herode*, qui ratus nec ad gloriam Templi Salomonis, nec ad supremi Numinis gloriam satis accedere, illud multo ditius, nobilius & elegantioris structurae repa-

ad hunc locum, ut & Cl. le Moyne in epistola ad Cel. Grævium, quæ invenitur, in addendis ad notas C. Grævii edit. Traj. 1680.

 rari

rari & ædificari curavit. Sed fluxa fuit & caduca tota ista gloria, & post 70. annorum curriculum, à Romanis expugnatur, evertitur, comburitur, non relinquitur lapis super lapidem & tali strage afficitur, cui nec rerum mundanarum vicissitudo, nec Judæorum zelus, nec Imperatorum indulgentia, nec *Barcocabæ* ingentia & terrenda molimina, nec *Juliani Apostatæ* nefanda consilia, unquam mederi potuerunt, adeo ut æternis ruinis sepultum & obrutum jaceat. Quæ cum ita sint non magis pax illi concessa dici potest, quam mediæ aëris Regioni, quę tempestatum, turbinum, fulgurum, fulminum, tonitruum videtur Theatrum perpetuum, vel mari, quod licet tranquillitatis & serenitatis speciem prę se ferat, momento turbinis instar inflatur, crispatur, convellitur, spumat, mugit, exundat, insanis fremitibus, scopulos & littora quatit, & à fundo ad imum usque turbatur & concutitur. Hoc animadverterunt ipsi

ipſi Judęi, qui cum pacem in ſecundo Templo nullo modo fuiſſe animadverterent, de tertio quodam Templo pacis futuro ſanctuario cœperunt cogitare. Sed vana eſt illa de tertio Templo fabula, ad quam tanquam ad ſacram anchoram non ſe recepiſſent Judæi, ſi per *pacem*, *pacificum Meſſiam* intelligere voluiſſent. Nam revera Deus præſentia pacis i. e pacifici cohoneſtavit ſecundum Templum, ad cujus gloriæ fulgorem tota primi Templi gloria debuit abſorberi, & penitus evaneſcere. Hinc jure ac merito dicit hic Dominus noſter, *major erit gloria ſecundi Templi, quia dabo illi pacificum.* Dederat primo Templo *Joſaphatum*, *Joſiam*, *Ezechiam*, ſed non dederat *pacificum*, quem tot prophetæ & Reges ipſi anhelarunt, & videre deſiderarunt. Dederat primo Templo *Salomonem*, pacis ſectatorem. Sed oppoſitione ad Salomonem, dicit Deus *ſe daturum* ſecundo Templo, *pacem ipſam*, ipſum

paci-

pacificum, qui infinitis passibus ipsum Salomonem longe post se sit relicturus, & cujus sola præsentia secundo Templo multo majorem gloriam conciliavit, ea, quam primo Templo, Ezechias, Josias, Josaphat, Salomon simul conciliarunt. Nam sicut *Betlehem*, Mich. 5. dicitur *non minima*, id est maxima, *quod ibi maximus rerum Dominator oriri & quod ille qui haberet exitus ab æterno, illic nasci deberet.* Sic Templum secundum, cęterum humile, & infra primi elegantiam, dignitatem, & gloriam subsidens, nobilissimum evasit præsentia *Domini nostri*, & cęlos ipsos æquasse videtur, præsentia hospitis omnium augustissimi, praesentia *pacis* id est *Messiæ pacifici.*

§ 3. Dicitur ergo hoc in loco JEHOVA JUSTITIA, id est justus & omnium justissimus. Justus & Sanctus in se, qua justitia & Sanctitate magis gloriatur quam omnibus aliis suis divinis attributis. Quod videre est isto epiphonemate quo illum prosequun-

quuntur *Seraphim* ipsi Esai. c. 6. *Sanctus Sanctus Sanctus Jehova exercituum.* Est *Jehova* quia est Sanctus, & ter quaterque Sanctus & justus; est *Jehova* exercituum quia Sanctitas & justitia sunt illi instar turmarum, illis munitur & roboratur, & illius sceptrum est fundatum, sed fundatum in justitia & aequitate, quae fundamenta nullis motibus unquam concuti possunt. Sic *Iacobus frater Domini*, vocabatur Δίκαιος *justus*, & dicebatur etiam *Oblias* vel *Ophlias*, περιοχὴ λαοῦ, non ab עז לעם *Robur populi* ut voluit vir Doctissimus, sed ab עפלי עם *Turris & munimentum populi*, illius ὀχύρωμα, quia *Iacobus* sanctitate & justitia sua, videbatur ἀντιλήπτωρ & *Tutela populi. Messias* ergo dicitur *justitia* & *justus*, & justitia sua est propugnaculum & Tutela suorum, est Deus exercituum, est Jehova, id est, ille qui est; nam si non esset justus, revera non esset, justitia entis, est illius existentia, proprietates entis non sunt unum verum bo-

bonum, ſed unum verum juſtum. Hinc Diaboli impœnitentes dicuntur *non eſſe*, dicuntur *mortui & eſſe nihil*, quia juſtitia & Sanctitate ſunt deſtituti, & Falſa Numina ut, אלילים habentur tanquam *non entia*, quod juſtitiæ & Sanctitatis ſenſu & cura nullo modo tangantur. Sed eſt prima ſupremi Numinis cura, qui *juſtus & juſtitia* dicitur ἀντονομαστικῶς. Qua denominatione etiam inſignitur oppoſitione ad falſa Numina, injuſtitiæ & iniquitatis horrenda mancipia. Quis enim neſcit *Saturni* impietatem, *Jovis* adulteria, *Veneris* libidines, *Cereris* & *Baubus* pudenda ſolatia, *Martis* ſanguinolenta conſilia, *Bacchi* furores & corybantiaſmos, *Mercurii* latrocinia, *Cybelis* & *Attidis* laſcivias, *Herculis* μηλαμπύγου indecoros habitus, & alia infinita à juſtitia, ſupra quam dici poteſt, longe alieniſſima. Hinc eſt quod rebus iniquiſſimis & turpiſsimis movebantur, capiebantur & delectabantur ſummopere iſta impura juxta

ac

ac falſa numina. Audiamus *Arnobium* ſarcaſtice juxta ac acute illa exagitantem L. 7. *ponit animos Jupiter ſi Amphitryo fuerit actus pronunciatuſque Plautinus, aut ſi Europa, ſi Leda, Ganymedes fuerit ſaltatus, aut Danaë, motum compeſcit irarum. Tranquillior, lenior Mater magna efficitur, ſi Attidis conſpexerit priſcam refricari ab hiſtrionibus fabulam. Obliterabit offenſam Venus, ſi Adonidis in habitu geſtum agere viderit ſaltatoriis in motibus Pantomimum. Indignatio relangueſcat Alcidæ, ſi Tragœdia Sophoclis, cui Trachiniæ nomen eſt, Euripidis, aut Hercules actitatur. Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi ſuis in Ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum à Lupanaribus in theatra. Itane iſtud non eſt Deorum imminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſſimas res eis, quas reſpuat cenſor animus, & quarum actores inhoneſtos eſſe jus veſtrum, & inter capita computari judica-*

dicavit infamia. Sed quam alienus ab istis moribus *Jehova justitia.* Est justus in se, justus in affectibus, justus in operibus, & cui definitio justi apprime conveniat. ἐκ τοῦ τὰ δικαῖα πράττειν ὁ δίκαιος γίνεται inquit *Aristoteles* L. 2. Ethic. cap. 4. sed *Iehova justitia*, æquitati promovendæ semper incumbit, & omnia quæcunque peragit, ad justitiam omnia referre contendit & allaborat. Ideo vocatur *justus* Act. 4. Esai. 53. & alibi. Sed intactum non possum præterire locum *Sophon.* 3: 5. יהוה צדיק בקרבה *Iehovah justus in medio illius:* loquitur de *Hierosolyma* quam presentia sua voluit illustrare Dominus Messias. Ille ipse Messias fuit in medio Hierosolymorum. Non Tabernaculum, non nubes, non Arca, non symbolum aliquod visibile æternę Divinitatis. Sed *Adonai justus* יהוה צדיק qui post varia incarnationis suę exhibita præludia, & rudimenta, tandem ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν; *Caro tandem factus est*, & innumera Hierosolymis præ-

prçsentiæ suæ realis exeruit monumenta, & non tantum Deus in medio illius, sed Deus justus, nullis gravis & molestus, omnibus benignus & æquus, jura Dei, Legis, prophetiarum, typorum, ceremoniarum, veritatis, populorum, Regum, contra Pharisæorum, & falsorum Doctorum tyrannidem & fraudes, intrepide, strenue, & alacriter asserens. Quibus consiliis & gestis *Rex justus* salutatur Zachar. 9. & à *Melchisedeco* Rege justitiæ delineatur & adumbratur. Non dedignatus nomen justi. Quod apud Reges terræ sæpissime sordere videtur. Hinc querela *Plutarchi* in vita *Aristidis*, quem solum inter belli Duces justi titulo condecoratum fuisse cum indignatione memorat. *Nullus Rex inquit justi cognomen appetiit. Sed potius studium regibus fuit ut urbium expugnatores, & fulmina dicerentur, quia viribus & potentia præstare, quam virtute maluerunt, quamvis ea nihil pulchrius, nihil honestius,*

M *nihil*

nihil divinius. Verba cedro dignissima, & quæ *Plutarchus*, qui vivebat ineunte sæculo secundo non in contumeliam omnium regem scriptis consignasset, si novisset Dominum *Jehovam justitiam*, Regem Regum & Dominum dominantium, qui licet innumeris aliis titulis jure possit superbire, *Sancti & justi* titulum eligit, quo divina sua majestas nobilius posset commendari. Propterea *Sol justitiæ* voluit indigitari Malach cap. 3 וזרחה לכם שמש צדקה ומרפא בכנפיה *Vobis orietur Sol justitiæ, & sanitas in alis illius.* Est Sol inquit Dominus est Sol splendore suo omnem Solis & siderum gloriam absorbens, est Sol spargens ubique coruscantes radios. Sed radii quos spargit, gloria qua vestitur, jubar quo veluti diademate illius frons ornatur, est *justitia*, Sanctitas qua nihil splendidius potest excogitari. *Vobis orietur Sol justitiæ, & sanitas in illius alis.* Quod videtur memoratum contra Ethnicos, idolatriæ immersos qui

So-

Solem adorabant, quem vocabant etiam *Sadocum*, justum, cui *alas* tribuebant & quem Σωτῆρα & sanitatis conservatorem deprædicare non verebantur. Hinc solebant *Solem* cum alis amplissimis & explicatis repræsentare. Est locus eximius apud *Macrobium* quo hujus rei veritas facile confirmatur. *Mercurium pro Sole censeri multa documenta sunt. Primum quod Mercurii simulachra pennatis alis adornantur, quæ res monstrat Solis velocitatem. Nam quia mentis potentem Mercurium credimus, & Sol mundi mens est, ideo pennis Mercurius quasi ipsa natura Solis ornatur. Hoc argumentum lucidius Ægyptii absolvunt, ipsius Solis simulachra pennata fingentes.* Ideo in Gemmis Basiliadianorum & Valentinianorum, qui Ægyptiorum fuerunt miseranda & detestanda propago, quique ex Gentilismo Judaismo & Christianismo hæreses suas conflarunt, occurrit figura hominis *Solem* repræsentantis, capite radiato,

pennis ad humeros & ad latera explicatis, & ab adversa parte exstant nomina *Michaëlis*, *Gabriëlis*, *Paltiëlis*, & *Raphaëlis*, רפאל *sanantis Dei* quasi Sol alis istis sanitatem ingeneraſſet, & cum mortalibus & ęgrotantibus benigne communicaſſet. Nec forsan quis à vero aberrare existimabitur, si ab alis Deum Ægyptiorum vocatum Κνὴφ vel Κνήφι, afferat. Hoc *Strabo*, *Plutarchus*, *Porphyrius*, *Eusebii* mira diligentia non patitur nos ignorare. Hic quippe dicit lib. 3 prep. Ev. c. 12. ex *Porphyrio* δημιουργὸν Αἰγύπτιοι κνὴφ προσαγορεύουσι, quod ad כנף Hebraeorum proxime accedere non ignorant φιλεβραῖοι. & quod forsan hauserunt Ægyptii ex nomine מרחפת naturae primordia fovente & promovente, Gen c. 1. Sed ut ingenue fatear facile à me impetro ut credam, ad istud *numen alatum* alludi Es 18. הוי ארץ צלצל כנפ״ השלח בים צירי״ ובכלי גמא על פני מים *Væ terræ umbræ alarum, quæ mittit legatos super mare, & in navibus*

vibus papyraceis super faciem aquarum. Locus qui diligentiam & acumen eruditorum exercuit, sed præcipue *viri incomparabilis*, † qui reddit *væ terræ sistri alati, quæ mittit legatos in navibus papyraceis ad Adonidis & Solis reditum apud Biblienses in Syria annunciandum.* Quę sententia, *Luciani*, *Cyrilli Alexandrini*, & *Procopii Gazæi* testimoniis egregiè confirmatur. Sed ut loco difficili non desit qualiscunque sit industria nostra, existimo idololatriam Ægyptiorum hic eleganter à Propheta notari. Adorabant vero *Osyridis* sive *Solis* simulachra pennata, ut modo vidimus ex* *Macrobio*, adorabant etiam *Isim* sive terram, cujus simulachrum per omnes *Nili* alveos solebant deportare, diversis stationibus in urbibus & vicis illius festa celebrare, & variis tripudiis Deæ simulachrum excipere. Navigio deferebatur, quod patet ex *Plutarcho* de *Iside & Osyride*, præficie-

† *Est Bochartus, in Phaleg l. 4. c. 2.*

batur mari, apud *Lucianum in Dialogo Deorum*, *Liburna & Navigii* figura repræsentabatur apud *Germanos* memorante *Tacito*, & illius *Festum* celebrabatur mense *Martio*, hoc nomine notatum in veteri *Calendario Rustico*, ISIDIS NAVIGIUM. Quæ omnia forsan fluxerunt ex miranda illa nave quam *Sesostris* post innumeras suas peregrinationes *Numini Thebano* consecravit, referente *Diodoro Siculo*. Quicquid sit Navigiis & per alveos Nili decursitationibus ad Thebas usque & Æthiopas, colebatur Isis & illius simulachra. Hinc propheta dicit *væ terræ quæ navibus papyraceis* seu *junceis mittit imagines super faciem aquarum*. Alterum numen, cujus cultui se turpiter alligabant, erat *Osyris* seu *Sol* quem etiam navigio impositum repræsentabant & colebant Ægyptii, ut patet ex *Martiano Capella*. *Eusebio*, & *Porphyrio*; & cujus ἀγάλματα *pennata* adorabantur, ut ex *Macrobio* & *Basilidianis* supra memo-

mo.

morabamus, quod numen eleganter *umbra* vocatur, cum falsa numina sint umbrâ leviora, cæca, fluxa, evanida, & pennis & alis suis adhuc impotentiora. „*Vae* ergo, inquit pro-„pheta, *vae qui fidant talibus Nu-„minibus. Vae vobis Ægyptii*, „tutela vestra nihil est præter um-„bram, pennæ, alę illæ, quas coli-„tis, non sunt asylum aptum foven-„dis rebus vestris, & licet *Solem* vi-„deamini vos colere velle, *umbrae*, „צלצל *tenebrarum duplicatarum*, no-„ctis ipsius estis cultores, væ vobis „est expectandum, & horror, stri-„dor, frigus tenebrarum exteriorum. „Vobis vero fidelibus, orietur Sol, „Sol pennatus, Sol sanitatis, vitę „immortalitatis, fons plane inex-„haustus, denique Sol qui non cœ-„co impetu beneficia sua spargat & „disseminet, sed vobis timentibus „nomen meum orietur *Sol justitiae*. „שמש צדקה.

§ 4. Ubi non possumus pręter-mittere astutiam, & pravam Diaboli

æmulationem, qui ut falsis Numinibus famam aliquam conciliaret, nihil fere in Scriptura reliquit intactum, quo fabulas suas posset afferere & non tantum simplicioribus, & rudioribus, sed politioribus & emunctioribus, vanitates suas venditare & obtrudere. Nam quia *Messias* dicitur *Sol justitiæ*, Solem apud idololatras eadem denominatione curavit insigniri. *Sol* quippe vocabatur *Sedec* justitia vel justus. Hoc confirmari potest ex loco insigni qui occurrit Es. 19. ביום ההוא יהי חמש ערים בארץ מצרים מדברות שפת כנען ונשבעות ליהוה צבאות עיר ההרס יאמר לאחת *In illo die erunt quinque urbes in terra Ægypti quæ loquentur labio* Canaan, & jurabunt Domino exercituum, & nomen unius istarum urbium erit Heres.* Lxx vero Interpretes hunc locum sic reddiderunt τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔσονται πέντε πόλεις ἐν Αἰγύπτῳ λαλοῦσαι τῇ γλώσσῃ χανανίτιδι καὶ ὀμνύοντες τῷ ὀνόματι κυρίου σαβαὼθ, πόλις ἀσεδὲκ κληθήσεται ἡ μία πόλις, Quæ ultima verba

ba vulgatus sic reddit, *Civitas Solis vocabitur una.* Jonathan paraphrastes Chaldæus reddit קרתא בית שמש *urbem domus Solis.* Quibus congrua legere est apud Interpretem Arabicum, hujus enim loci ultima verba sic reddit מדינת עין שמש תדעי ואחדה מדינת. *Urbs Ainsemes vocatur una urbium*, Syrus ab Hebræo non recedit in eo quippe legit, הרם תתקרא *Heres vocabitur.* Sed alii interpretes reddunt עין שמש, בית שמש *Asidec*, id est *civitas Solis.* Quod expressius legere est in reliquiis versionis *Symmachi*, ubi pro עיר הרם habetur ἡλίου πόλις. *Ain semes est Heliopolis* Hoc firmatur testimoniis *Simeonis Sethi*, & *Avicennæ.* Primus Græce scripsit, alter Arabice, primus cum loqueretur de *Ballamo*, γίνεται inquit πλησίον Αἰγύπτου ἐν χώρᾳ παρὰ Αἰγυπτίοις μὲν Ἡλίου πηγὴ ὀνομαζομένη, παρὰ δὲ τῶν παλαιοτέρων Ἡλίου πόλις. Avicenna vero illo posterior reddit עין שמש *Ain semes.* Quæ civitas in scriptura dicitur און & *Abulfedæ Geographo*

apud Arabes prestantissimo, יקול לנהא כאנת מדינה פרעון *dicitur quod fuerit civitas Pharaonis*. Mitto alia quæ non sunt hujus loci. Hæc sufficiant ad demonstrandum *Ain semes* esse *Heliopolim urbem Solis*, quam LXX. Interpretes per *Hasedec* designare voluerunt, quia *Heres* vel *Cheres* Solem notat Ægyptiis, & quia *Sol* apud Ethnicos *Sedec* vocabatur, *justus* vel *justitia*, ex hoc eximio loco *Malachiæ* ubi de *Sole justo* vel *justitiæ* שמש צדקה, tam celebris fit mentio. Sed sicut ex *Malachiæ* שמש צדקה, *Sol* vocatus est *Sadec*. Sic quia *Jehova* in Scriptura dicitur *Sadic*, JEHOVA JUSTITIA יהוה צדקה *Jupiter* apud Gentes dictus est etiam *Sadec*. Hujus rei præstantissimum testimonium legere est apud *Eusebium* ex *Sanchoniatone* seu potius *Philone Byblio* illius interprete Ibi quippe narratur Διοσκούρους, *Dioscuros* filios Jovis, esse filios Σύδυκ *Sydyc*, id est justi. Et de *Sadoco*, seu *Jove*, eodem loci

ci creberrima est mentio: sic in fragmentis *Damascii* ubi de *Æsculapio* verba facit ὁ ἐν Βηρυτῷ Ἀσκληπιὸς οὐκ ἔστιν Ἕλλην οὐδὲ Αἰγύπτιος, ἀλλά τις ἐπιχώριος Φοῖνιξ. Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοιτο παῖδες οὓς Διοσκούρους ἑρμηνεύουσι καὶ Καβείρους. Ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Ἔσμουνος ὃν Ἀσκληπιὸν ἑρμηνεύουσι. *Qui est Berytι Æsculapius non est Græcus nec Ægyptius sed Phœnix indigena. Sadyco enim seu* (Jovi justo) *filii fuerunt Dioscuri seu Cabiri. Octavus vero inter illos fuit Esmunus quem AEsculapium interpretantur. Esmunum* existimaveram *AEsculapium* vocari quasi *medicum*, & *Aliptam* à שמן *ungere*, & unguentis curare. Sed apud *Damascium* sic dicitur quia erat השמיני ὄγδοος *Octavus*, vel ἀπὸ θέρμης τῆς ζωῆς *à Calore vitæ*, nam in eo אש & חמה *ignis* & *caloris* adhuc apparent vestigia. Κάβειροι sunt כברים *Magni*, & Κάβειροι & Ἔσμουνος dicuntur filii *Sadoc* vel *Sydic* id est *justi* seu *Jovis*, qui ex יהוה & צדק suam sortitus est denominationem. Quod

He-

Hebræos ipſos non latuit qui *Jovem* per צדק *Sedec* deſignare conſueverunt. Hinc eſt quod *Planetam Jovis* vocent צדק, & Geneſ 30. ubi habetur locus ille difficilis בגד *venit Gad*, quidam reddunt בא מזל טוב *venit bona ſtella*, alii vero בא כוכב צדק *venit ſtella & planeta Jovis* qui in *Sepher Jetſira*, in *Zohar*, in *Bereſchit Rabba*, & innumeris aliis locis ſæpiſſime vocatur *Sedec*, & Angelus qui illi præeſſe creditur Judęis, vocatur etiam *Sidkiël*. Hoc patet ex nummo ante trecentos annos cuſo ad *Aureliam* nuper effoſſo, ubi cum 7. planetarum figuris hæc Angelorum nomina occurrunt, *Raphaël*, *Michaël*, *Gabriël*, *Samaël*, *Anaël*, *Zadkiël*. Ubi *Sadkiël* debet ſumi pro *Jove* juxta alium nummum, ubi *Jupiter* fulmine terribilis & ſedens repræſentatur cum aquila ſymbolo ſuo, & cum hac inſcriptione *Satkiël*, quod Jovem denotat, & angelum qui apud Rabbinos habetur pro Jovis Rectore & intelligentia. Nec hodie vel nudius

dius tertius obtinuit hæc Judæorum vana prorſus & futilis ſententia. Illius apud *Epiphanium* ipſum jam occurrunt veſtigia. Diabolo in aliud non magis annitente quam ut veri Dei nominibus falſa ſua Numina veſtiret & condecoraret. Cujus fraudis indicium exſtat in *Iſide* Numine de quo ſupra. Dico de quo ſupra, nam habetur pro *mare* & *fœmina*, ut *Lunus* & *Luna* ut Ζεὺς:

Ζεὺς ἄρσην γένετο Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο γυνή

Iſis vero dicebatur quaſi παλαιὸς & παλαιὰ quod ab ישיש fluxiſſe videtur quod Antiquiſſimum ab omni memoria remotiſſimum, & ἰσχαπογέροντα significat. Sic de *Iſide* Diodorus Siculus L. 1. *Biblioth.* Φασὶ δὲ τινὲς τὴν Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιάν. *Dicunt quidam quod Iſis antiquam & vetuſtam ſignificat.* Quod nomini *Jehovæ Antiquo Dierum*, & qui eſt מימי קדם *à diebus antiquis* optime conveniens eſt. Sed quod magis miran-

randum in ipſa *Iſide* Antiqua, nomen *juſtitiæ* deſiderari non paſſus eſt impudens ille ſpiritus, veritatis corruptor & depravator perpetuus. Nam apud *Plutarchum* inſigni illo libro de *Iſide* & *Oſyride*, Iſis dicitur nuncupata Δικαιοσύνη *juſtitia*, quod mire confirmatur inſcriptione eximia quæ habetur *Venetiis* inter Cimelia *Maurocenorum*, quam quia varia notatu digniſſima continet, hîc exſcribere non gravabimur:

‡ ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕΡΕΥΣ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ
ΕΝ ΤΩ ΕΠΙΝΑΥΣΙΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩ
ΚΑΙ ΟΙ ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙ ΚΑΙ ΟΙ ΘΕΡΑΠΕΥΤΑΙ ΥΠΕΡ
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ
ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΙΣΙΔΙ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ ΙΔΡΥΣΑΝΤΟ

‡ *Vide omnino hanc inſcriptionem apud* Seldenum *in addendis ad l. 2. de Synedriis. Inſpiciantur quoque quæ Cl. le Moyne ad hanc inſcriptionem notavit in epiſtola, Anno* 1686. *Kal. Maj. ad Ampliſſimum Cuperum data, quæ annexa eſt, Harpocrati & monumentis antiquis Annal. Cuperi edit. Traj.* 1694.

Quæ

Quæ verba Latine sic sonant:

Gajus Gaji Filius Acharnensis Sacerdos factus,
In Nausii Archontis Anno
Et Melanephori, & ministri pro
Populo Atheniensium & populo
Romanorum Isidi justitiae dedicarunt.

Hic se offerret excurrendi & exspatiandi latissimus campus, sed forsan jam satis excursuum & digressionum, suffeceritque observasse *Isidem* dictam *justitiam* non toleranda depravatione, & usurpato excellentissimo nomine, quod sine nefario ausu & consilio, alteri tribui non potest quam *Jehovae* qui in se *justus* est, qui intra justitię fines

Quos extra citraque nequit consistere justum.

Omnia sua consilia exequitur & promovet, & qui jure ac merito dicitur

tur in nostro textu JEHOVA JUSTITIA.

§ 5. Sed non tantum dicitur *justus*. & *justitia* ratione justitiae essentialis vel justitiae distributivae, vel ratione complexus omnium virtutum, nam δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι apud *Aristotelem*, etiam isto insigni titulo ornatur respectu nostri & quia est non tantum *justitia* sed *justitia nostra*, non tantum *justus in se*, sed nos *justos reddens*, & in societatem justitiae suae nos benignissimè admittens. Hoc fuisse judicio confirmatur loco qui occurrit 1 Joh. 2:1. ubi dicit Apostolus: *si peccavimus*, *habemus Advocatum Jesum Messiam justum*, i. e. justificantem, & qui justitia sua, peccata nostra tegit, abolet, & expungit. Nam sicut Joh 6. ἄρτος ζῶν *panis vivens* est panis ζωοποιῶν *vivificans*, sic *Advocatus justus* est *Advocatus & justificans*. Habemus inquit *Apostolus Advocatum justum & justificantem* Oppositione ad *Mosem* qui pro populo in-

intercedebat, ſed populi peccata non poterat amovere. Oppoſitione ad *ſummum Sacerdotem* qui non erat Advocatus juſtificans, qui licet in ſanctuario intercederet pro populo, ſępe Dei juſtam indignationem placare non poterat. Oppoſitione ad iſtos *interceſſores* de quibus Eſ 43: 27, 28, 29. אביך הראשון חטא ומליציך פשעו בי ואחלל שרי קדש *Pater tuus primus peccavit & Interceſſores tui prophanarunt contra me, ideo vulnerabo principes ſanctuarii.* Quia populi interceſſores peccatis ſunt contaminati, Deus minatur ſe indignationi ſuae habenas laxaturum, cum interceſſore peccatis inquinato nullo modo placari poſſit, & palmis manibuſque impuris ira divina compeſci, & potentiſſimi brachii fulmina non poſſint amoveri. ,,Sed *ſi pec-* ,,*cavimus*, inquit Apoſtolus, non ,,debet ita terreri conſcientia noſtra, ,,non ſpes omnis debet decollari, af- ,,fulgent radii inexpectati ſolatii, *ha-* ,,*bemus Advocatum juſtum*, Ad-

N ,,vo-

„ vocatum juſtificantem qui unâ ma-
„ nu puriſſimâ, peccata noſtra tegit,
„ alterâ judicis φοβεροτάτου fulmina ex-
„ torquet, & in ſuum proprium de-
„ rivat caput, illa ſanguine ſuo mol-
„ lit, frangit, & penitus extinguit.
Habemus Advocatum juſtum & juſtificantem alluſione ad locum illum Eſ. 53:11. בדעתו יצדיק צדיק עבדי לרבים ועונתם הוא יסבל. *in cognitione ſua juſtificabit juſtus ſervus meus multos, & eorum peccata ille ipſe bajulabit.* Eſt *ſervus*, ſed ne in ordinem vulgarium miniſtrorum cenſeatur & cogatur, eſt *ſervus juſtus*, & ne illius juſtitia tanquam illi propria exiſtimetur, illius alios participes reddere aſſeritur, *juſtificabit multos*, & illos juſtificabit *ſcientia & cognitione ſui.* Oppoſitione ad *Moſem* qui fuit ſervus, ſed ſervus non omnino juſtus, qui alios non juſtificavit, qui cognitione ſui nullum populo commodum ſpirituale procuravit. Imò cujus cognitio adeo difficilis, ut illius lumen populus ferre non poſſet,

nec

nec fixis oculis coruſcantem Moſis vultum, impune contemplari. Sed Jeſus eſt ſervus juſtus, juſtus fideles juſtificans, benigna luce ſua nos fovens & recreans, adeo ut ἡμεῖς πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι, τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, in gloriam eminentiſſimam, à gratia ad gloriam, à juſtificatione ad ſanctificationem. Quod confirmatur eximio alio textu qui occurrit. 1 Cor. 1: 30. *ſumus in Christo Jeſu* ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία, δικαιοσύνη, ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις, *qui factus eſt nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio* & *redemptio.* Naturaliter eramus in *Adamo*, qui miſere nobis factus eſt inſipientia, injuſtitia, corruptio, & ruina. Sed quam diſpares ſunt vices noſtrę, quam beatiora iſtis ſucceſſere fata & tempora, nunc ſumus in *ſecundo Adamo* in Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui *factus eſt nobis redemptio*, nos à morte, ſepulchro, & inferis liberando; *factus eſt nobis ſapientia*, tenebras

plusquam cimmerias, quibus obvolvebamur, amovendo & dispellendo, *factus est sanctificatio*, gratiâ suâ victrice corda nostra flectendo, & affectus dirigendo, *factus denique justitia*, vastissimis justitiæ & purpuræ suæ oris, peccatorum nostrorum laceros pannos & peniculamenta tegendo & obvelando.

§ 6. Hoc ipsum est quod nobis significare voluit *Johannes Baptista* magnus ille praecursor, & aurora solis justitiae. Nam cum ad se properantem videret Dominum nostrum Jesum Christum, & Judaeorum oculos & animos ad illum vellet convertere, ecce inquiebat, *ecce agnum Dei qui tollit & portat peccata mundi*. Quibus elegantissimis verbis ut major lux affundatur, observandum est Johannem sic Dominum nostrum designare voluisse, ut Judaeos Pharisaeos praecipuè argueret, & humiliores de seipsis animos illis ingereret. Nam quo erant fastu & elatis superciliis, retibus suis litabant, &

ope-

operibus manuum suarum suffenc sacrificabant. Nil nisi vires suas crepabant, cœli gloriam non ultra meriti sui fastigium assurgere temere existimabant, & virtuti suae se omnia debere, illaque viam ad aeternitatem sibi sternere impudenter jactitabant. Ut vero vanitatis istius cristae contererentur, ut fastus tam inepti alae amputarentur, omniaque nos Deo debere impudentissimis istis constaret, J. B. muneris Sacerdotalis Christi optime conscius, illum prima salutatione ut *Agnum* salutat, & non semel sed bis, ut hoc animis Pharisaeorum magis inculcaretur, has voces ingeminat, *ecce agnum Dei qui tollit peccata mundi.* Deinde alii ad aliud extremum ruentes & viribus suis diffisi, illis temporibus, cultui Levitico & sacrificiis multum tribuere videbantur, & jugi sacrificio confisi istis victimis se peccatorum veniam consequi falso sperabant. Quam sententiam ut ab eorum cordibus semel revellat Johannes, ab

istis victimis ad Christum oculos & spes Judæorum derivare & declinare contendit, & his solatii & doctrinæ plenissimis verbis, illos docet non ita fatue sapere, ut in alio salutem quærant quam Domino nostro Jesu Christo. *Ecce*, inquit, *agnum Dei qui tollit peccata mundi.* Sed quid vetat, quin addamus & illud, Joh. Bapt. ratione habita ad circumstantiam temporis, istis verbis Dominum nostrum voluisse designare. Nam cum illa proferret, incidebant tempora in *festum cippurim* seu expiationum, & *festum* sequens *Tabernaculorum.* Hierosolymam confluxerant Judæi maximo numero ab omnibus terræ angulis, ad expiationem peccatorum totius anni, & gaudium festi Tabernaculorum, quod qui non viderat inquiebant magistri, nullius veri gaudii unquam conscius fuerat. Cum ergo talia contingerent tempora, cum Hierosolymis & circumvicinis locis tanta foret hominum copia, qui ad Johannem Bapti-
stam

ſtam tanquam maximum Prophetam, curioſitate & zelo moti excurrerent, & confluerent, ille non prætermiſſa tam commoda occaſione, & ſui & Chriſti miniſterii rationem ingerendi, alta voce, repetitaque oratione turbas ſic adoritur, *ecce agnum Dei qui portat peccata mundi.* Ecce inquit tanquam magnum miraculum, & particula ad attentionem extorquendam compoſita, *ecce agnum.* Non hircum, non hircum cippurim & expiationum, ſed *ecce Agnum*, & *Agnum Dei.* Inter hircos cippurim & expiationum, *unus* pro *Deo* ſorte eligebatur, *alter* pro *Aſaſel* Sed nunc tali diviſione non opus eſt, ecce *Agnus* non ſorte electus ſed à Deo ipſo nobis ſuppeditatus, *ecce Agnus Dei*, vera Dei ſors & poſſeſſio, ſoli Deo immolatus & conſecratus. Hircus cippurim videbatur portare peccata, & illi manus Sacerdotis & populi imponebantur, ut onuſtus ſpoliis iſtis ſordidis, peccatis ceremonialibus & typicis,

illa in desertum deportaret procul ab Hierosolymis, à Templo, ab Arca, & præsentia supremi & placati numinis. Sed inquit Joh. Bapt. ecce *Agnum Dei*, Agnum cippurim & expiationum, Agnum qui portat *peccata vera*, realia & non typica, qui portat peccata non in desertum tantum longe ab Arca & præsentia Dei; sed qui illa plane expungit & illa tam longe removet à præsentia Dei, quam occidens ab oriente distat & disterminatur. Hircus expiationis tollebat & portabat peccata unius anni, & unius tantum gentis, sed inquit Johannes Baptistâ, „ô in Jesu nunc „vobis tam benigne occurrente mul„to majora possumus adipisci, est „quippe Agnus Dei qui portat pec„cata mundi, non unius gentis, sed „omnium mundi populorum, & „non peccata unius tantum anni, „sed peccata quæ ipsius mundi cunas „& primordia contaminarunt, pec„cata omnium seculorum, nam est Agnus ἐσφαγμένος ἀπὸ τῆς καταβολῆς κόσμου,

Ecce

Ecce Agnum Dei qui tollit peccata mundi. Sed non possum dissimulare quod & adhuc venit in mentem, alludi forsan locum *Danielis*, ubi c. 8. *Aries* & *Hircus* inter se acerrime digladiantur, & post varias pugnas, dubiasque palmas *Aries* prosternitur, & *Hirci* causa triumphat. *Hircus* repræsentabat *Alexandrum Magnum*, qui propterea apud *Arabas* dicitur דולקרנין *cornutus*, quod Hirci cornibus erectis & validis olim fuisset repræsentatus. *Hircus barbatus* significabat *Græcos*, & *Macedonas*, qui propterea dicuntur *Ægæi*, & mare quod illos alluit *Ægæum*, i. e. hircosum & capreum. *Hircus barbatus* typus erat *Græcorum barbatorum*, qui propterea dicebantur *capellæ* & *hirsuti*. Sic intelligendus ille locus apud *Juvenalem*, qui tot eruditorum exercuit acumen & industriam:

Tu scabie frueris mali quod in aggere rodit

N 5 Qui

Qui tegitur parmâ, & galeâ, metuensque flagelli,
Discit ab hirsutâ jaculum torquere capellâ.

Discit nimirum iste tyro jaculum torquere, ab *hirsuta capella*, id est à *Græco magistro*, nam esurientes & famelici Græci, omnia fere magisteria occupabant, omnia noverant & artes quascunque videbantur profiteri.

Grammaticus, Rhetor, Geometra, Pictor, Aliptes
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus, omnia novit
Græculus esuriens.

Discebant ergo Romani tyrones artem gladiatoriam ab *hirsuta capella*, à *Græco* nimirum *magistro*, & qui more Greco instar Hircorum barbam alebat & promittebat. *Hircus* ergo apud *Danielem* aptissimus erat typus *Græcorum & Macedonum.*

Aries

Aries vero repræsentavit *Persas* & *Darium Codomannum.* Sed occumbit *Aries*, profligatur *Darius Codomannus*, non est par congressus *Alexandro.* Et Darii cædes Persarumque ruina, Hirci & Alexandri victoriis, decus & nomen ęternum conciliarunt. Sed memorante *Joh. Bapt.* duellum aliud multo nobilius oculos nostros allicit, duo gladiatores insignes inter se committuntur & in arenam descendunt. Mutuis se odiis impetunt, lacertos implicant, omne robur exerunt, & excitatis animis collectisque viribus omnibus, se mutuis ictibus pulsant & invadunt. Ab una parte *peccatum* monstrum horrendum, ingens, Hircus ad terrorem factus & compositus, scintillantibus oculis, capite minitante, cornibus ad impetum directis & inclinatis, nil nisi victorias, & triumphos spirare videtur. Ab alia, non *Aries* sed *Agnus*, Agnus cum placiditate sua terrores & minas spirans, *Agnus Dei* excellenti robore prædi-

tus,

tus, αὐλίπελον invadit, pulsat, versat, sternit, obruit, de medio tollit

Et victor vacua regnat nunc Agnus arena.

Hic est *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Forsan etiam allusione ad *Arietem*, quem Deus in *Morija* suppeditavit Abrahamo ad liberationem Isaaci. Non erat Agnus & Aries Abrahami, non ex illius gregibus, non illius industria illuc adductus & paratus, sed vigilantis Dei cura Patriarchæ suppeditatus erat Agnus & Aries ille Dei ad conservationem Isaaci. Sic jam capiti nostro imminebat præsens ruina, manibus post terga revinctis ad supplicium rapiebamur, altaria erant erecta, ardebant flammæ, & victimas vorandas postulare videbantur, evaginatus gladius, stricta μάχαιρα θηλυκὴ sanguine nostro satianda jam jugulum premebat, & quocunque verteremus languentes & moribundos oculos, nil oc-

occurrebat aptum liberationi nostræ promovendę., & tam horrendæ ruinæ tandem aliquando declinandæ. Sed advolavit Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, adfuit inopinatò, *Agnus Dei* qui vincula nostra solveret, altaria everteret, flammas extingueret, gladium declinaret, inferorum Candidatos absolveret, mortem pro nobis oppeteret, & peccatum, unde ruebant innumeræ istę calamitates, infinitâ justitiâ suâ tolleret & aboleret.

§ 7. Undę patet quonam jure ac merito vocetur apud Prophetam nostrum, JEHOVA JUSTITIA NOSTRA, quia justitia Agni Dei, Dei ipsius, peccata mundi amoventur & penitus expunguntur. Hoc eleganti vaticinio confirmatur Danielis cap. 9. ubi dicitur Messias *peccatum expiaturus & allaturus justitiam sæculorum.* Locus est eximius & qui cum ad institutum nostrum unice faciat non potest præteriri. *Septuaginta hebdomades decisæ sunt*, inquit Propheta לכלא הפשע ולחתם החטאות ולכפר

ולכפר עון ולהביא צדק עלמים *ad cohibendum peccatum, ad obſignandum iniquitates, ad expiandum peccatum, & ad adducendam juſtitiam ſæculorum.* Non eſt audiendus Jachiades qui paraphraſi in hunc locum illum mire detorquet & acumine Judaico interpolat & corrumpit hoc modo: אחרי החרבן מבית שני יכלא הפשע והוא החטא במחשבה ולהתם ולשלי' החטאות והוא החטא במעשה ולכפר העון בדבור להעבירו כאלו לא היה מה שבגלות בבל לא תמי העונות והחטים כי הנה אחר כך בבית שני שבו לחטוא עוד כבראשונה ואמנם בגלות האחרון הזה יתמו ויסופו כל השונות כיגלות גדול כמוהו יכפר העון ולא יחטאו עוד בית ישראל ולכן בסופו יבוא המלכות החמישי לישראל ויבוא הצדק והוא הלוחות. בבית השני: עלמים אשר חסרו בבית *Post vaſtationem Templi ſecundi conſummabitur peccatum, i. e. peccatum cogitationis, & ad perficiendam & abſolvendam iniquitatem, i. e. peccatum operis, & ad expiandum peccatum in loquelâ & ſermone, ad illud amovendum quaſi non amplius eſſet.*

Nam

Nam in captivitate Babylonica non absolutum est peccatum, & iniquitas, nam post illam in Templo secundo redierunt adhuc ad peccata, sicut ante. Sed in ultimo hoc exilio, perficientur & finientur peccata omnia, quia magnum exilium, sicut hoc expiabit peccata. Et non amplius peccabit Domus Israëlis. Sed post finem illius, veniet quintum Regnum Israëli, & veniet justitia, i. e. Tabulæ legis, in domo sæculorum (seu tertio Templo) quæ defuerunt in Templo secundo. Quæ omnia redolent industriam Judaicam, veritatis plane securam, & omnia ad præjudicatas opiniones suas promovendas rapientem. Nam in tota scriptura ubi mentio expiationis peccatorum per exilia & captivitates, ubi mentio Templi tertii, ubi mentio justitiæ pro materia Tabularum legis? ubi jactura Tabularum legis tanquam damnum resarciendum memoratur? cum legem ipsam habeamus quid materia Tabularum legis, ad solatium ani-

ma-

marum tandem conferre poterit! Et cum Templum tertium & Regnum Messię per 70. imo tantum 40. annos durare debeat, secundum Judæos quid tam arctę temporis angustiæ commune habent cum æternitatis infinitis spatiis, & *justitia sæculorum?* An non ista omnia sunt, interpolationes, somnia, depravationes, quorum Judæos puderet si pudere non dedidicissent. Quam congruentior verbis Danielis ipsius est sententia Christianorum. Nam hoc ipso capite sic infit sacer vates האר פנך למען אדני *Fac lucere faciem tuam,* non amplius irarum & indignationis velo obtegatur, *propter Dominum*, non propter exilium nostrum, non propter ærumnas nostras, non propter Tabulas legis, non propter Templum secundum vel tertium, sed propter *Dominum Jehovam Messiam* qui est *justitia nostra.* Quam congruentior scripturę, ubi expiationis peccatorum fit mentio, sed per sanguinem taurorum, agnorum, victi-

marum. Quam congruentior sacro idiomati, quo justitia non pro templo, nec pro Tabulis Legis usquam usurpatur, sed pro sanctitate vel inhærente vel imputata. Quam denique asserendo supremi Numinis juri aptior est nostra sententia, qua placatur summus Deus, non *justitia humana*, non quidem *Angelica*, non justitia fluxa, caduca & evanida, sed justitiâ infinitâ, justitiâ Filii Dei, *justitiâ sæculorum.* Expiabuntur peccata, iniquitates, scelera, & veniet *justitia sæculorum:* Peccata, originale, habituale, actuale; Peccata oris, cordis, operis. Peccata, omissionis & commissionis. Peccata contra primam & secundam Tabulam. Peccata contra Deum, contra proximum, contra nos ipsos. Peccata ante legem, sub lege, sub Messia, expiabuntur omnia ista peccata adventu *justitiæ sæculorum*, justitię æternæ & infinitæ, quę omnium sæculorum durationi commensurata, illam adhuc infinitis spatiis emetietur & supera-

O

perabit. Veniet *justitia seculorum*, non justitia legis, non justitia ceremoniarum & victimarum. Fuerunt justitiæ ad tempus. Justitiæ diurnæ, menstruæ, annuę, singulis annis renovandæ & repetendę Sed veniet *justitia sæculorum*, hoc est æterna & nullis sæculorum myriadibus finienda & terminanda. Per quam justitiam non intelligit sacer vates justitiam *Pontificiorum* infusam, non essentialem quandam justitiam quorundam fanaticorum & *Weigelianorum*, non Tabulas Legis ut *Jachiades* de quo supra, non Templum tertium ut *Saadias Gaon* inter Hebræos Doctor non infimi subsellii. Sed Messiæ ęterni Dei justitiam, quam infinitis suis meritis nobis acquisivit, omnibus modis absolutissimam, nullis sęculis obliterandam, & nullo iterato sacrificio de novo restituendam. Christus enim in sancta sanctorum ingressus est εὑράμενος αἰωνίαν λύτρωσιν *inventa æterna redemptione* Hebr. c. 9. quibus verbis divinus Apostolus allu-

alludere videtur verba Prophetæ *Danielis*, quibus quondam vaticinabatur adventum justitiæ æterne, *justitiæ sæculorum*, cujus vigor ad omnia sæcula se extendit: quotquot enim à sæculo justificati, quotquot hodie justificantur, & in finem usque sæculi justificabuntur, omnes illi, justitia agni immaculati ab origine mundi occisi, *justitiâ sæculorum*, justo sæculorum absolvuntur & justificantur.

§ 8. Hanc doctrinam hodierni Judæi languente & cacochymo stomacho vanitatis & superbiæ suæ non possunt concoquere. Hinc ipse *Jachiades* ad Dan xi: 35 ubi dicitur quod *intelligentes quidam & Doctores in persecutione sint obruendi ad purgandos & dealbandos alios*, hæc superbâ juxtâ & inepta commentatione corrumpit & depravat. ומן המשכלים יכשלו לצרוף עונות ישראל כי הם מזבח כפרה לחטאת כאומרו בקרובי אקדש וזה יתמיד עד עת מהמשיח *Et ex intelligentibus cadent ad purgandas iniquitates Israel. Nam ipsi erunt altare*

expiationis peccatorum, Israel, sicut dicitur in accedentibus & appropinquantibus me sanctificabor. Et hoc durabit usque ad tempus finis vel finitum Messiæ. Quę omnia sunt ineptissima, & probationis, justificationis, expiationis, sacrificiorum, altarium, Messię, & illius adventus, crassam & supinam testantur ignorantiam, & nihil quam cæcum superbię fastum, & typhum hodiernorum Judæorum videntur redolere. Sed non est quod ita miremur à vera *justificationis* sententia ita alienos esse hodiernos Judæos; ipsis temporibus Apostolorum jam incipiebant illam despuere & eorum depravato palato insipide sapiebat. *Pharisæi* quippe & *legis Doctores*, in negotio justificationis & remissionis peccatorum, nil prętεr opera, sacrificia legalia, ceremonias Leviticas admittebant, & Messię meritis & justitiæ nihil prorsus relinquebant. Non tamen virus istud per omnes & singulos Judęos, ita misere grassatum est, quin extiterint

terint inter eos aliqui ab isto veneno satis immunes, ut ex eorum ore veritas erumperet. Hinc *Paraphrastes Chaldæus* ad Psalm. 72. cum ingenue agnovisset *totum illum Psalmum* spectare *Messiam*, & priora Psalmi verba hac paraphrasi reddidisset. הלכת דינא למלכא המשיחא הב *Constitutiones juris de Rege Messia*, addit ad versum 17. ויתברכון בזכותיה כל עמיא *& benedicentur per justitiam ejus omnes populi.* Ideo sæpissime Messias à Judæis ipsis vocatur איש כפר *homo expians peccata*; Quod apud illos fluxit ex *Cantic. Cantic.* cap. 1. ℣s 14. ubi Sponsa vocat dilectum suum אשכל הכפר דודי *Æthiops* reddit *Escol sagi*, Botrus florum, *Arabs* ענקד אלזהר *Botrus florum.* Syrus סנקל דבקפרא *Botrus Cypri.* Sic *vulgatus* ex versione LXX. *Interpretum* qui reddunt Βότρυς κύπρυ. *Botrus Cypri.* Ubi per כפר in genere flores non sunt intelligendi, nec *Rosa*, nec *Ligustrum*, sed Arabum אלחנא *Albenna.* Hoc feliciter ob-

servavit *Kimchius* qui dicit כפר esse אלחנה Arabum. Hinc Κύπρος *Dioscoridis* ab *Avicenna* redditur pro אלחנא *Alhanna* quod adhuc obtinet apud *Hispanos*, quorum lingua variis vocibus Arabicis referta, vocem *Alhanna* usurpat. Est vero *Alhanna* אלחנא flos usus maximi apud orientales, cujus folia siccata & in pulverem contrita, solent manibus, & aliis corporis partibus colorem eximium & vividum conciliare. Qui cum apud orientales maximo precio habeatur, & odorem etiam suavissimum & jucundissimum fundat, hinc est quod *Sponsa* hoc in loco dicat *dilectum suum esse instar Alhannæ*, instar *Cypri*, אשכל כפר דודי· *Dilectus meus est mihi ut botrus Cypri seu alhannæ.* Hebræi vero Doctores quo sunt ingenii acumine ex אשכל כפר fecerunt איש כל כפר *vir omnia expians*, quasi dilectus Sponsę, omnia hominum peccata expiaret, & peccatoribus virtutis & sanctitatis colorem mire conciliaret.

Ideo

Ideo apud illos audit *Messias* איש כפר. Sponsæ maculas expungens, illius sordes eluens, illius fuscum & badium colorem in albicantiorem diluens, imo illam ad talem candoris & albedinis gradum promovens, ut mutuato lumine & candore suo aves phasianas, lanam, nivem, lucem superare videatur.

§ 9. Ideo *Ecclesia* Apocal. 12. nobis repræsentatur ut *induta solis radiis, stellis coronata,* & *lunam sub pedibus habens.* Gestus, situs & habitus triumphantis. Pedibus conculcat lunam, *Imperium* scilicet *Romanum*, cujus luna symbolum erat, sicut patriciç dignitatis, & nobilitatis Romanç.

Ideo Juvenalis

—— Nobilis & Generosus
Appositam nigræ lunam subtexit
alutæ.

Et Martialis

Lunata nusquam pellis & nusquam
toga.

 Idem

Idem

Non extrema sedet lunata lingula planta.

Et Papinius Statius

——— *Genitum si Curia sensit,*
Primaque patricia clausit vestigia luna.

Et alius superioris sæculi Literator insignis

Calceus, Arcadico suberat cui lunula ritu,
Gestatur Patribus mullea Romulidis.

Videantur *Plutarchus*, & *Zonaras* apud quem stulte legitur *Patricios & Senatores Romanos pedibus gestasse figuram* R. nam non figuram τῦ P. gerebant, sed figuram numeri ϱ P. i e. C. *centum*, quod corniculantis lunæ figuram repræsentat, & nobilitatis & Imperii Romani habebatur symbolum. Quod Imperium quasi

quasi jacens & prostratum victrix illa fœmina & triumphans pedibus pulsat & conculcat. *Stellis* vero est coronata, non lauro, quercu, oliva, auro, margaritis, sed luce, & toto stellarum & syderum jubare, est induta *Sole*, radiis solis justitiæ, ut olim triumphantes *Jovis tunica* indui, & ornari solebant. Hinc Juvenalis

Quid si vidisset prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimen in pulvere circi
In tunica Jovis, & pictæ sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix vix sufficit ulla.

Ubi mentio *tunicæ Jovis* quæ triumphalis erat vestis, qua indui solebant victores, ut patet ex *Livio* lib. x. & *Lampridio* in Alexand.

 nam

nam ad triumphos illuſtriores reddendos, hominum, Heroum etiam veſtes minus aptas exiſtimabant. Hinc ſæpè ethnici dicuntur induere veſtes Deorum ſuorum, ſic *Commodus* induebat veſtes *Herculis*, *Domitianus*, veſtes *Apollinis*, triumphantes *tunicam Jovis*, & ideo, meo ſaltem judicio, oppoſitione ad iſtas ethnicorum conſuetudines, & veſtes ſuppoſititias, fideles in Novo Teſtamento dicuntur *induere Chriſtum*, & in hoc *Apocalypſeos* loco Eccleſia cœleſtes agitans triumphos apparet induta non Jovis tunica, ſed *ſolis radiis*, Chriſti juſtitia ſplendente & radiante, quę veterum trabeas, chlamydas, paludamenta, togas pictas, palmatas, περιβόλαια πορφυρᾶ ποικίλα. χιτῶνας πορφυρᾶς χρυσοσήμας, ἁλουργίδας χρυσοπάστας, fulgore radiorum ſuorum longe videtur ſuperare. Forſan eo etiam alluditur Apocal. 7:9. 13. 14. 15. & 19:9 ubi fit mentio *veſtium Albarum* & *ſplendentium*, & quę dicuntur *juſtitiæ Sanctorum*. Niſi

for-

forſan fiat alluſio ad id quod Judæi jactare ſolent, lucem nimirum primo die creatam in cœlis reſervari ad veſtes Judęis parandas, ut cultiores & ornatiores ad convivia, & lautas epulas Meſſiæ poſſint aliquando accedere. Niſi dicamus alludi morem ſummi Sacerdotis qui ſacro cum cultu ſanctum & ſanctuarium ingrediebatur, *ſed fideles in ſanctuarium cœleſte* admittuntur cum veſtibus byſſinis & fulgentibus juſtitia nimirum Christi, quæ eſt δικαίωμα τῶν ἁγίων, quodnon eſt intelligendum de fidelibus ſanctis, ſed de ſanctuario cœleſti, cujus ritus, ceremonię, juſtitia, poſtulant, ut Sacerdotes fideles, Christi juſtitia induantur, quæ juſtitia eſt ritus pręſcriptus & inſtitutus à Deo, ſicut olim veſtes byſſinæ & albæ Sacerdotibus præſcribebantur, à quorum uſu in templo non poterant abſtinere, & quæ erant δικαίωμα, ritus, obſervatio, præceptum, quod à Deo ſummo legis latore originem trahebat. δικαίωμα enim ſum-

ſumitur iſto ſenſu Matth. 3. *oportet*, inquit Chriſtus Joanni Baptiſtæ, *oportet nos implere omnem juſtitiam* id eſt omnem ritum & cerimoniam à cœlo & Deo inſtitutam. Sic apud Hebræos diſtinguuntur proſelytæ תושב *habitationis* qui tantum ſeptem Noachi prçcepta admittebant, & proſelytę צדק *juſtitiæ* qui omnibus ritibus Judaicis & eorum juſtitiis id eſt prçceptis & cerimoniis ſolebant obtemperare. Sic ergo juſtitia Chriſti, veſtis illa radians qua fideles induuntur in cœlis eſt δικαίωμα τῶν ἁγίων, abſque qua cœlorum non patet aditus, nec ad cœleſtia convivia, æternaſque agni nuptias, locus unquam concedi poteſt. Non lino, byſſo, ſerico legis cerimoniarum ingrediuntur fideles ſanctum iſtud ſanctorum. Non veſte, plumario, phrygionio, polymitario opere legis moralis conſuta & parata, non Ephod, mitra, baltheo, tunica, operibus noſtris & induſtria noſtra paratis & variegatis. Sed ſola juſtitia Chriſti qua induti acce-

accedimus ad Patrem, & instar Jacobi fragrantibus fratris vestibus induti, benedictionem Patris obtinemus & consequimur.

§ 10. Hinc Dominus noster Jesus dicitur νόμου τέλος *finis legis*. Finis legis politicę, nam in politia Judæorum multæ poenæ reis infligebantur quae etiam ad poenas à quibus per Christum liberamur aliquomodo referebantur. Finis legis ceremonialis, prophetiarum, umbrarum, figurarum, typorum, pręcipue sacrificiorum, quæ quoad conscientiam non poterant purgare, sed quae sanguinem Christi peccata nostra delentem & expungentem, miro quodam modo referebant & adumbrabant. Finis legis moralis in Sinai promulgatae à summo legis latore. Non quod lex propria, genuina & innata relatione ad Christum dirigatur. Non est hic finis operis. Sed est finis operantis, finis Dei promulgantis, qui ideo legem suam in Sinai renovavit, augustâque juxta ac tremendâ promulgatione

tione illam muniri voluit, ut homines tenuitatis suae conscii, & ad implementum legis se assurrecturos, desperantes, ad Christum confugerent, in illius sinum ruerent, ibique tutelam & asylum quaererent & invenirent. Non secus ac Danielis socii, Sedrac, Mesac, & Abdenago, mediâ in fornace, flammis voracibus territi, ad Filii Dei alas & latera se recipiebant, Noa horrendis diluvii gurgitibus tremefactus ad arcam confugiebat, Apostolique subita & ineluctabili tempestate jactati, ad Christi misericordiae & potentiae Aram supplices devolvuntur, illius opem implorant, & in has erumpunt voces, salva, domine, nam perimus, & deficiente auxilio tuo, nulla nunc spes salutis & liberationis affulget. Sic miseri mortales, legis fulguribus, fulminibus, tonitruis, tempestatibus territi & jactati, anxii quo se vertant, indolem legis flecti nesciam apud se reputantes, languentibus, effoetis viribus suis omnino diffiden-

tes,

tes, ſedandae & tranquillandae tempeſtatis nullam ſpem animadvertentes, ad Chriſtum confugiunt, Chriſtum finem legis, Chriſtum ubi finiuntur horrores & tempeſtates, & cujus imperiis, robore, ſatisfactione, obedientia, legis minae, fragores, impetus cohibentur & amoventur. Ac proinde jure dicitur finis & τέλος νόμου cum juſtitiam ſuam nobis ſuppeditet, quâ exundantes legis decumani fluctus illiduntur & terminantur. Niſi velimus addere D. N. J. C. jure dici τέλος νόμου, id eſt *vectigal legis*. Lex quippe tanquam rigidus & inflexibilis exactor ſtat ad fores caelorum, nullique januam patitur reſerari niſi prius ſoluto, non ſiclo, non didracma, ſed ſanctitatis integrae cenſu & numiſmate. Amorem erga Deum, charitatem erga proximum ardentiſſimam, cogitationes ſanctiſſimas, deſideria puriſſima, verba veritatis, innocentiae, prudentiae ſale condita, opera nullis naevis, nec vel minima labe contaminata

minata postulat, & in Telonio sedens φοβερόζωντ istud FAC ingeminat, citra quod ad immortalitatem omnis via intercluditur, & maledictioni, morti, inferno, equitibus terrificis totae irarum & furoris habenae laxantur & permittuntur. Et hic nulla impositi oneris detrectandi ratio; vel in opere vel in corpore & anima luendum, ipsi filii regni ad vectigal necessario coguntur, & nulla libertatis vel immunitatis cautio unquam obtendi potest. Sed fidelis ad Christum convertitur, & ad inexhaustos Messiae thesauros alacris advolat. Non ad piscem in cujus ore stateram inveniat, sed ad ἰχθὺν ad Ἰησοῦν Χριστὸν Θεοῦ υἱὸν σωτῆρα. In cujus ore, vita, vulneribus, sanguine, cruce, morte, reperitur quicquid ad legem placandam, & importuni exactoris clamores compescendos congruum esse potest. Non solvit in aere, & corpore suo, sed in aere, corpore & anima Christi. Non cogitationibus, desideriis, operibus suis, sed cogita-

ta-

tationibus, desideriis & operibus, Messiæ. Non opibus suis propriis, sed opibus à Jesu sponsore mutuatis, quarum valor & dignitas mille mundorum nomina facile posset expungere, non justitia sua inhærente & acquisita sed *justitia Jehovæ* qui est *justitia nostra.* Adeo ut sub Euangelio vectigal, legi, augustiori & nobiliori modo *solvatur* quam si omnes omnino homines à lege nunquam deviassent, illiusque præceptis humiles obtemperassent. Unde Christus dicitur ἀντονομαστικῶς *vectigal legis* τέλος νόμου, & forsan *perfectio legis*, quod humilitate sua & obedientia talem legi perfectionem conciliaverit, ad quam Angelorum & omnium hominum obedientiâ nunquam potuisset assurgere. Quod non ideo urgemus quasi bonorum operum & justitiæ inherentis nulla nos cura tangere deberet. Nam licet non sint vectigal, sunt gratiarum actiones, imitationes Christi, ad legis & legislatoris ipsius gloriam promovendam conatus,

natus, fidei & Charitatis proles & soboles lętifera, electionis testimonia, Spiritus sigilla, Ecclesię & veritatis notae, efficaciae verbi & Sacramentorum monumenta, via regia ad Regnum, adipiscendae approbationis divinae indubitata ratio. Nam

Ἐυτάκτων θνητῶν βιοτῇ Θεοὶ ἵλαοί εἰσιν,
Ἐυσεβέων θ' ἁγίας θυσίας τιμάς τε δέχονται.
Τοῖς δὲ κακοῖς ῥέξασι δίνης τέλος οὐχὶ χρονιστὸν
Οὐδ' ἀπαραίτητον οὐδ' εἰ Διὸς ἔγγονοι εἶεν,
Ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι, καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσιν
Ἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ πήμασι βαίνει:

Cap. V.

Eandem veritatem variis S. Scripturæ testimoniis Confirmans.

Argumentum.

Sapientum Hebræorum adagia. In S. Scripturâ non tantum Litteræ, & puncta, sed & notæ discretivæ, κεραῖαι, apices. *Thesaurus verborum Scripturæ inexhaustus.* Jachiadae

adae *confessio*, *haec verba* יהוה צדקנו, *de* Messia *esse intelligenda.* *Eximia verba*, Dan 7:13, 14 *quibus Messiae dignitas mirum in modum asseritur. Scribarum & Pharisaeorum dictum*, אמרו הקדמונים, *vel* אמרו הראשנים. Ἐρρέθη ἀρχαίοις; *Sed Christi dictum*, Ἀμὴν Ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Nummus rarissimus, *characteribus Hebraicis Scriptus*; *cujus quinque lineae circulares enarrantur, redduntur. Centrum nummi faciem quandam repraesentans, cum inscriptione*, לחם פנים. *Non fuit amuletum blasphemum & Judaicum; sed in illo potius, veritatis Euangelicae praecipua fundamenta deprachenduntur. Apud Ægyptios* Sol *summus rerum moderator, & Dominus cœli & terrae. Insignis de hâc re* Porphyrii *locus. Condere corpora vetustissimum. Lotiones* ὑπὲρ νεκρῶν. *Animarum immortalitatis, & corporum resurrectionis cognitio apud Ægyptios.* עולם הזה, & עולם הבא.

Sol Δεσπότης, Belus, Moloc, Adonis. *Viscera mortuorum apud Ægyptios in arcam condita, & in Nilum projecta. Hebraeorum narrationes de arcâ quibus Josephi ossa inclusa, & in Nilum demissa erant. Lepidae de hac re historiae in libro de Vita & Morte Mosis. Verborum Davidis,* רכב על דבר אמת וענוה צדק, *Psalm* 45:5. *diligens consideratio. Meßias inequitat pluribus equis*, veritati, mansuetudini & justitiae. *Veterum* Κέλητες, solitarii, singulatores, *apud* Suidam, Hesychium & Isidorum. Alexandri Magni *sarcasmus*, Dario Celeti! Ἀστάνδαι, Ἀσγάνδαι, Ἄγγαροι, *Persarum tabellarii.* Plutarchi, Suidae, Hesychii, & Eustathii *testimonia. Chaldaicum* אזגר, Nuncius, legatus. *In re lautâ positi pluribus equis utebantur, ab uno in alium desultorie scandentes. Ethnicorum numinibus equi tributi. Quadrigae soli dicatae. Deus in Scriptura repraesentatur, ut nu-*

nubibus insidens. Veritas, Mansuetudo & Justitia usque ad tempora Meßiæ aliquomodo abscondita; sed deinde manifestata. Locus Apoc. 3: 18. *explicatus.* Laodiceni *mercaturâ inclyti, & imprimis lanas pretiosißimas jactantes. Alluditur ad Salomonis navigationem Ophiriticam, qua Hierosolymam afferri solebant Aromata, Medicamenta, Serica. Gloria vestimentorum Salomonis,* Matth. 6: 29 *Christus hic etiam opponitur Mosi, quod latius demonstratur. Huc etiam Collineat locus Paulinus,* Phil 3:9. Σκύβαλα, Ἀπομαγδαλιᾶ, Canina prandia. *Expenduntur etiam loca eximia,* Rom. 1: 16, 17. 2 Cor. 5: 21. *Victimæ impositione manuum peccata facta. Omnia Christi sunt nostra Lux affertur loco,* Apoc 3: 21. *Veterum* Σύνεδροι, Πάρεδροι Σύνθρονοι, Σύμβωμοι. *Throni regum Orientis latißimi instar lecticæ. Thronus Orionis apud Astrologos Orientales.*

les. Animæ fidelium juxta vulgarem sententiam Hebræorum, תחת כסא הכבוד, *Sub Throno gloriae. Cabirorum mysteria.* Θρονισμὸς *&* Θρόνωσις. Plato *&* Dion Chrysostomus *citati.* Hesychius *emendatus. In loco* 1 Cor. 3:22, 23. *oppositio vel allusio ostenditur ad Adamum, Mosem, & Josiam. Justi sunt rerum Domini. Verba Apostoli,* Πάντα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη. Χριστὸς, *explicantur. Christus est omnium omnino fidelium, tum excellentissimorum, tum minimorum. Locorum* 1 Joh. 2:2. *&* Apoc. 4:10. *Consideratio. Christi beneficia effusa in Ecclesiam Euangelicam & Israëliticam. In cœlo non est animorum divortium.* Καλεῖσθαι, vocari, *in Scriptura sæpissime sumitur pro* esse; *Cui veritati comprobandae complura loca citantur. Idem probatur testimoniis profanis,* Homeri, Eustathii, Plinii. Cupressorum plantaria, *dos filiarum, testante* Plinio. *Altare à Mose erectum,*

ctum, cui nomen impoſuit יהוה נסי. *Photinianorum conatus irriti. Mons* Νύσση *apud* Homerum *in Hymnis. Urbs Arabiæ* Ἰήνυσος, *apud* Herodotum. Διόνυσος, *quaſi* Jovinyſos. Moſes *Gentilibus cognitus*; *ſub nomine* Dionyſii, *ſeu* Bacchi. *Chriſtus altare noſtrum*; Hebr. 13:10. *Chriſtus vexillum noſtrum*, *Jeſ.* 11:10. *Acuta* Aben-Ezræ *de hoc altari annotatio. Menſae argenteae cum inſcriptione* Bonorum Deorum, *apud* Ciceronem. *Variæ altarium & Templorum inſcriptiones, ut* Apollinis Patrii; Jovis & Virginis; Πυθίῳ; Πατρῴου Θεοῦ Χθονίου; Ἀφροδίτης βελεστικῆς; Ἅδου, καὶ Περσεφόνης; Cereris Eleuſinæ; & *id genus aliæ. Variorum authorum teſtimonia. Locus difficilis apud* Tertullianum. Ἀγνώστῳ Θεῷ. *Altare* Gideonis, *Cui nomen* יהוה שלום. *Sententia veterum omnes apparitiones Dei eſſe Læthiferas.* Prophetia Enochi. *Dictum* paſtoris Laodiceni, *Cum his vocibus*

 ani-

animam efflantis, Ῥάμανθυς, ὁ ὕψιστος ἦλθε! *Verba Mosis* Exod. 24: 11. ,אל אצילי בני ישראל לא שלח ידו *à Lxx. Interpretibus reddita*, οὐκ διεφώνησεν οὐδεὶς. *Origo fabulæ, de cellulis & mira Lxx Interpretum Convenientia, detecta.* Διαφωνέω *apud Græcos interpretes non sumitur pro* Dissentire, *sed pro* Exspirare, Exanimari; *Quod variis ex illa Versione testimoniis comprobatur. Aliorum, tum Ecclesiastico-rum tum Exoticorum scriptorum testimonia. Locus* 1 Tim. 3: 16. *de mysterio pietatis magno, illustratus.* Dianę Ephesiæ *latebræ.* Hierosolyma *nominatur* יהוה שמה. *Christus in Hierosolyma & Ecclesia Christiana habitans; Quod variis S. Scripturæ locis asseritur. Locus* Jerem. 33: 16. *Vindicatus; ubi de* Hierosolyma, וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו. Pagnini *&* Ariæ Montani *interpretatio.* לה, *pronomen fœmininum, pro* לו, *pronomine masculino.* Enallage gene-

ris,

ris, *variis Scripturæ locis probata.* Bellarmini *inverecundia.* Rabbi Davidis Kimchi *testimonium.* קרא, vocari, *pro* invocari. לה, *pro* עלה. *Religionis Christianæ veritas & dignitas.* *Operis conclusio.*

אין בתורה אפילו אותאחת שאין הרים גדולים תלוין בה

§ 1. IN *Scriptura, in Lege nullus apex, vel nulla Littera* inquiunt sapientes Hebręi à *qua non pendeant montes magni Eruditionis & doctrinæ.* Nulla Littera vel minima quidem, ut *jota* figuræ tenuissimæ, nullus *apex* κεραία, קוצה, תאגין, *spina Coronula.* Nam talibus apicibus & coronulis literas olim discriminabant Judæi, non ut punctis, sed literarum quibusdam notis discretivis. Quod alludens Dominus noster *Matthæi* c. 5. dicebat *jota* nec μία κεραία οὐ παρέλθῃ. *Nulla cornicula, nullus apex*, nulla nota discretiva Literarum quarumdam *transibit*,

& tanta est legis firmitas, ut cœli, vastissimi isti cœli, terra gravis illa moles, ponderibus librata suis, sint potius ruitura & peritura, quam una Litterula vel unus talis legis apiculus possit unquam evanescere. Sic inquiunt in *Elle Semot Rabba* Sectione 4. אין אות בטלה מן התורה לעולם *non erit irrita in æternum Litera ex Lege*. Ex illis vero apicibus exiguis & literulis tenuissimis quę visus Linceos vix non fallunt & effugiunt, pendent tamen secundum Hebræos montes scientiæ & Doctrinæ, sed scientię Rabbinicæ, Doctrinę Caballisticæ, qua spretis solidioribus, capiuntur & pascuntur Doctores recutiti. Sed si glandibus istis relictis post fruges inventas, ad salubriora voluissent deflectere, aptari congrue posset eorum παροιμία, & vere dici posse animadverterent, & simplicibus verbis Sacræ Scripturæ, sępissime pendere montes salutaris Doctrinæ, & ad tranquillandas peccatorum conscientias longe convenientissimæ.

simæ. Hoc patet ex hisce duobus verbis *Jeremiæ Prophetæ*, יהוה צדקנו. Jehova Justitia Nostra, unde tanquam ex fonte limpidissimo juxta ac uberrimo manant innumeri rivi, quibus saxosum, arenosum, ariditate & siccitate dehiscens mundi desertum rigatur & recreatur, & unde pendent montes quamplurimi amænitate, opibus, gloria, Sinam, Sionem, montem Sanctum, Carmel, multis spatiis superantes.

§ 2. Hinc est quod variis capitibus, verborum istorum thesauros non potuerimus exhaurire, & illa tantum de Messia, & bonis quibus nos cumulavit intelligenda asseruerimus. Quę adeo vera sunt ut Judæi quidam licet oculis scotomate percussis, & opacissimo velo obductis potuerunt aliquomodo percipere & animadvertere. Cum cœco impetu inveritatem & Christianos feruntur, & ἀμετρίᾳ τῆς αὐθάδης rapiuntur & efferantur, verum est linces scilicet istos nihil prorsus videre. Sed cum impetus iste defer-

deferbuit, cum recta veritatem non invadunt, cum alio deflectuntur, tunc illis incautis, & incogitantibus aliquando excidit, & si non nude & propinque, saltem è longinquo & velatam delibasse, & animadvertisse videntur. Hoc videri potest apud *Jachiadem* prophetiarum Danielis interpolatorem perpetuum. Nihil iniquius illius paraphrasi, improbis fidiculis à propheta vult extorquere quæ apud illum non continentur, omnia loca de Messia contra spem Israëlis, contra veterum Doctorum sententiam, contra Josephi ipsius monita, alio conatur detorquere, & in Daniele corrumpendo ita est intentus, ut multa ex aliis prophetis illi excidant, quibus se suamque causam prodere videatur. Talis est locus hic *Jeremiæ* quem recutitus ille de *Messia* etiam Intelligebat ad *Daniel.* cap. 7: 13, 14. ארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה הוא ועד עתיק יומיא מטה וקדמוהי הקרבוהי ולה יהב שלטן ויקר ומלכו וכל עממיא אמיא ולשניא לה יפלחון וגו.

vidi

vidi cum nubibus cœli inquit Daniel *ſicut filium hominis venientem uſque ad antiquum dierum, & coram illo, illum accedere fecerunt, & illi data eſt poteſtas, dignitas, Regnum, & omnes populi, gentes, linguæ illi ſervient* &c. Eximia verba, quibus Meſſiæ dignitas mirum in modum aſſeritur. Videt illum *Daniel* ſicut filium hominis, ſed *Apoſtolorum* viſio eſt multo nobilior. *Vidimus illum* inquiunt non ut filium hominis *Joh.* cap. 1. ſed *ut filium unigenitum Dei.* Datur illi poteſtas, hinc dicitur quod loqueretur μετ' ἐξουσίας *cum poteſtate.* Non loquebatur ut Scribæ & Phariſaei, non dicebat אמרו הקדמנים, vel אמרו הרשאנים, ἐῤῥέθη ἀρχαίοις, ſed ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *ego ego* ipſe authoritate mea fretus, *hæc mandata vobis inculco*, Audite, obtemperate, ego ſum ille Rex Regum cui poteſtas & imperium in æternum tributa ſunt à ſupremo rerum arbitro adquem adductus fui; זהו משיח inquit *Jachiades* הומשיח צדקנו אשר יגיע לפני

הקברה

הקבה ואליהו הנביא יקרבהו לפניו ואליו ינתן הממשלה לעד ולעולם *Et ille est Messias justitia nostra qui perveniet ad Sanctum Benedictum illum. Et Elias propheta faciet illum accedere coram illo, & illi dabitur imperium in aeternum & in saeculum.* Verum est hic agi de *Messia*, verum est *Eliam* ipsi viam paraturum, id est *Johannem Baptistam.* Verum est illius imperium non 40. vel 70. annos tantum duraturum ut volunt recutiti, sed in *aeternum* duraturum, verum est tandem, illum futurum *justitiam nostram*, & JEHOVAM JUSTITIAM NOSTRAM. Nam si posteriora verba ad Messiam sunt trahenda, & *sit justitia nostra*, etiam vox altera nimirum, *Jehova*, illi tribui debet, cum aliô, jure grammaticæ, rationis, & fidei nunquam referri possit, & si *sit justitia nostra*, necessario *Jehova justitia nostra* debeat haberi & denominari.

§ 3. Huc forsan trahi potest *numus* olim apud nos, sed qui cum aliis

aliis rarioribus, furaces & picatas manus non potuit effugęre. Est pentagonus characteribus Hebraicis hodiernis scriptus, & qui si typorum ratio pateretur, mereretur hic propria sua figura repræsentari. Sed cum hoc commode prestari non possit, solum ea suppeditabimus quę ad illius illustrationem & institutum nostrum magis conducere videntur. Est scriptus quinque lineis circularibus. Prima hęc verba continet וזה שם אשר יקראו יהוה צדקני ויהיה שמי לעלם לפני שמש ינון שמי ויקרא שמי פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום Hęc non intellexit, sed interpolavit inepta interpretatione, & dispunctione fœdavit *vir famigeratissimus.* Sic enim illa reddit, & *vocabitur nomen illius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis, & hoc nomen meum vocabit ipsum Deus justus noster, sit nomen ejus in aeternum, ante faciem Solis hujus deleatur nomen illius.* Quę sic sunt reddenda. *Hoc est nomen quo vocabunt*

bunt me Jehova justitia nostra. Erit nomen illius in aeternum. Ante Solem filiabit nomen illius, & nomen illius vocabitur admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater saeculi, princeps pacis. In ſecunda linea legitur ישו ישוע ישוה יהושוע יהושעה ubi author ludit in variis originibus & literis nominis *Jeſu.* In tertia linea hæc occurrunt ושמי לעולם וזה זכרי *hoc meum nomen in aeternum, & hoc memoriale meum.* Quarta linea, hæc verba comprehendit. בן בר ילד ביר שול quę omnia *filium* notant. Quinta his agni & ovis nominibus notatur ככש כשב שה צון רחל Et tandem centrum Numi repræſentat faciem quandam cum hac inſcriptione לחם פנים *panis facierum.* Amuletum, blaſphemum & Judaicum fuiſſe exiſtimat vir eminentiſſimi nominis & eruditionis non vulgaris, in odium Meſſiæ noſtri conflatum, cujus facies ibi repræſentatur cum hac inſcriptione *panis facierum*, in deriſionem inquit ludibrium & contem-

temptum Sanctę Eucharistiæ quasi illa tantum foret instar panum propositionis, figura corporis Messiæ, & non corpus & sanguinem Christi realiter contineret. Utinam Judæi aliis blasphemiis Euangelium non onerarent, & sententias non dissеminarent à veritate magis alienas. Utinam numus iste sit Judęorum verus fœtus, illo omnes recutiti facile convinci possent, & in illo veritatis Euangelicæ præcipua fundamenta facile deprehendi. Ibi genuina de Sacramento Eucharistię sententia continetur. Ibi Messias panis facierum nobis repræsentatur. Ibi filius αὐτοπροσωπικῶς esse confirmatur, ibi ovis, agnus Dei nobis repręsentatur, ibi Jesus Salus Dei salvator Deus innuitur, ibi loca *Es.* 9. & *Ps.* 72. Messię adscribuntur, ibi locus noster *Jerem.* 23. de Christo intelligitur, & inter illius nomina ingenue recensetur nomen istud eximium יהוה צדקנו Jehova Justitia Nostra, qui justitia sua infinita

nos reddit participes, alisque immensis Sanctitatis suæ nos fovet, tegit & obumbrat.

§ 4. Ideo nobis repræsentatur tanquam *Sol justus* qui habet sanitatem & immortalitatem in alis ut superiori exercitio satis ample declarabamus. Quibus possumus addere dici forsan *Solem justum*, & patrem vitę & immortalitatis, oppositione ad sententiam quam de *Sole* fovebant *Ægyptii* omnium idololatrarum toto orbe celeberrimi, & ad cultum quo illum prosequebantur. Nam *Solem* supremum rerum moderatorem existimabant, *Dominum* cœli & terræ, justitię fautorem, justorum remuneratorem, cui se probare deberent omnes omnino mortales, ut beatas sedes possent occupare, & cui cum ad ultima fata pervenissent, vitæ ante actæ institutum, mores, rationem tenerentur reddere & exponere. Hujus rei extat locus supra fidem insignis quem licet longus, exscribere nobis non erit grave, sicut

ut nec legere & meditari tædiosum speramus Lectoribus benevolis, & aliqua doctrina & eruditione instructis. Sic ergo Porphyrius περὶ ἀποχῆς L. 4. num. 10. pag. 156. ἐκεῖνο μέντοι οὐκ παραπεμπτέον ὅτι τοὺς ἀποθανόντας τῶν εὖ γεγονότων ὅταν ταριχεύωσιν ἰδίᾳ τὴν κοιλίαν ἐξελόντες, καὶ εἰς κιβωτὸν ἐνθέντες, μετὰ τῶν ἄλλων ὧν διαπράττονται ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ, καὶ τὴν κιβωτὸν κρατοῦντες πρὸς τὸν ἥλιον μαρτύρονται, ἑνὸς τῶν ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ ποιουμένου λόγον τῶν ταριχευομένων. ἔστι δὲ καὶ ὁ λόγος ὃν ἑρμηνεύσεν Εὔφαντος ἐκ τῆς πατρίου διαλέκτου, τοιοῦτος. Ὦ Δέσποτα ἥλιε καὶ Θεοὶ πάντες, οἱ τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις δόντες, προσδέξασθέ με, καὶ παράδοτε τοῖς ἀϊδίοις θεοῖς σύνοικον, ἐγὼ γὰρ τοὺς Θεοὺς οὓς οἱ γονεῖς μοι παρέδειξαν, εὐσεβῶν διετέλουν, ὅσον χρόνον, ἐν τῷ ἐκείνῳ αἰῶνι τὸν βίον εἶχον, τούς τε τὸ σῶμά γεννήσαντας ἐτίμων ἀεί. τῶν τε ἄλλων ἀνθρώπων οὔτε ἀπέκτεινα οὔτε παρακαταθήκην ἀπεστέρησα, οὔτε ἄλλο οὐδὲν ἀνήκεστον διεπραξάμην. εἰ δέ τι κατὰ τὸν ἐμαυτοῦ βίον ἥμαρτον, ἢ φαγὼν ἢ πιὼν ὧν μὴ θεμιτὸν ἦν, οὐ

δι' ἐμαυτὸν ἥμαρτον, ἀλλὰ διὰ ταῦτα, δείξας τὴν κιβωτὸν, ἐν ᾗ ἡ γαστὴρ ἦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν, εἰς τὸν ποταμὸν ἀφίησι. τὸ δὲ ἄλλο σῶμα ὡς καθαρὸν ταριχεύει. Quæ Latine ſic ſonant. *Illud vero non eſt prætermittendum quod cum aliquos mortuos ex nobilioribus condiunt, privatim ventrem extrahunt, & in arca reponunt. Et cum aliis multis rebus quas faciunt pro mortuo, arcam comprehendentes & attolentes ad Solem, illum teſtem invocant, uno ex conditoribus orationem pro mortuo habente. Eſt autem oratio, quam Euphantus Ægyptius ex patria dialecto interpretatus eſt, talis. O ſupreme Domine Sol & Dii univerſi, qui hanc vitam hominibus conceditis, me accipite, & Dîs inviſibilibus contubernalem tradite. Ego enim Deos quos parentes mei mihi monſtrarunt, ſemper pius colui, quamdiu in hoc ſæculo vixi. Et qui corpus meum generarunt ſemper colui; aliorum hominum nullum occidi, nec depoſitum fraudavi, neque aliud quidpiam*

piam indecens perpetravi. Si vero contra meam propriam vitam quicquam peccavi, comedendo vel bibendo quæ non erant licita, non per me peccavi, ſed per hæc (oſtendens arcam in qua venter continebatur) & hæc fatus illam in fluvium projicit. Reliquum vero corpus aromatibus condit. Ubi quamplurima notanda veniunt. 1. Condita corpora quod longe vetuſtiſſimum apud Ægyptios ut patet ex *Herodoto*, & in Hiſtoria Jacobi *Geneſ.* 50. *Secundo* videmus libitinarios Ægyptios de cura pro mortuis ſollicitos & ὑπὲρ νεκρῶν lotiones & condituras parare, quo forſan alluſerit Apoſtolus 1 Cor. 15. Ubi loquitur de Baptiſmo ὑπὲρ νεκρῶν. *Tertio* videmus præcepta de Diis colendis, parentibus honorandis, vitando homicidio, furto fugiendo, de abſtinentia à quibuſdam cibis prohibitis. Quæ utramque Tabulam Decalogi, vel 7. præcepta Noachidarum aliquomodo ſpectaſſe videntur. *Quarto* animarum immortalitatem, vitam

cum Deo, resurrectionem corporum non obscure nobis adumbrari. *Quinto* solem accipere animas sicut in Scriptura vox לקח in illo significatu solet etiam usurpari. *Sexto*. hujus seculi ἐκείνου αἰῶνος mentionem fieri, allusione ad עולם הזה & עולםהבא *sæculum præsens* & *sæculum futurum*, de quibus apud Judeos frequentissima mentio. *Septimo* Solem vocari δέσποτα quia בעל & מלך, & אדון, *Belus*, *Moloc*, *Adonis*, apud Judæos vocaretur. *Octavo* arcam memorari in qua viscera mortui condebantur, & in fluvium Nilum projiciebatur. Cujus moris vestigia etiam apud Hebræos non obscura inveniuntur. Narrant quippe Josephi ossa arca conclusa in Nilum fluvium demissa fuisse, ubi delituerint donec Moses ex Nilo arcam revocaverit, & ex aquis erutam ex Ægypto liberaverit, & in Canaan transportaverit. Sic *Pseudo-Jonathan* in paraphrasi Chaldaica ad Historiam *Josephi* בסימו יתיה ועטרון יתיה ושוון יתיה בגלסקמא ושקעון יתיה

יתיה בגו נילום *Conditum aromatibus coronatum ac arcæ impositum demerserunt in profundum Nili.* Liber Recti vel Rectus וימהר משה ויקם וילך אל נחל מצרים ויעל משם ארון יוסף ויקח אותו עמו *Festinavit Moses & stetit ad eundum ad Fluvium Ægypti, & exinde fecit ascendere arcam Josephi & accepit illam secum.* Liber de vita Mosis. ומשה כתב שם המפורש והשליכו בנילום וכתב עלה שור עלה שור מיד צף הארון ולקחו ארונו של יוסף וגו. *Et Moses scripsit nomen Dei explicatum, & projecit illud in Nilum & scripsit ascende Bos, ascende Bos, & statim supernatavit arca, & acceperunt arcam Josephi.* Liber de morte Mosis eandem tangit Historiam, sed alia quædam inserit à superioribus aliena. Narrat quippe Mosem nescium ubinam essent recondita ossa Josephi, & de illis admodum sollicitum occurrisse cuidam cui nomen erat Saræ filiæ Asser ואמר לו בא עמי והלך עמה עד נהר נילום ואמר לו במקום זה נתנו ארון של יוסף של

עופרורה היה וחמש אמורת היה מיד עמד משה על שפת הנהר ואמר יוסף יוסף אתה ידעת שהגיע השעה שהקבה גואל את בניו ועתה תן כבוד לאלהים ישראל ואל תתר גאולתם בקש לפני בוראך ועלה מתהום מיד התחיל ארונו מנענע ושלרה מתהומות כקנה נטלו משם ושם אותו על כתפו *Et dixit illi veni mecum, & ivit cum ea ad fluvium Nilum, & dixit ille in illo loco posuerunt arcam Josephi, illa est plumbea, & quinque cubitorum. Statim Moses stetit ad ripam fluminis, & clamavit Joseph, Joseph, tu scis quod appropinquat hora qua Deus benedictus redimet filios suos. Nunc da gloriam Deo Israëlis, & ne moreris eorum liberationem. Quære coram creatore tuo, & ascende ex Abysso; Confestim incepit Arca supernatare, moveri & ascendere ex Abyssis, sicut canna, illam extulit illinc, & superimposuit humero suo.* Quibus omnibus illustratur locus ille de Arcis Ægyptiorum ad solem expositis & in Nilum demersis. Tandem & *ulti-*

ultimo nos monet locus ille elegantissimus *Porphyrii*, Ægyptios agnovisse *Solem justitiæ* moderatorem, & cui peccatorum suorum rationem reddere tenerentur. Sed Sol justitiam non impertiebatur, pollutos, & sordibus corruptionis contaminatos purgare non poterat, nec illos consortio Deorum & immortalitate beare & cumulare. Sed inquit Propheta *Mal.* cap. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ* qui justitia sua vos ornabit & decorabit, qui defectus vestros facile sarcire poterit & reparare, corruptionem carnis vestrę omnino amovere, vitam spiritualem vobis largiri, futuri sęculi vos reddere participes, & æternitati & immortalitati vos omnes consecrare.

§ 5. Hic est finis Missionis D. N. J. C. qui nobis etiam miro modo depingitur, Psalm. 45: 5. רכב על דבר אמת וענוה צדק. Verba elegantia, non tamen ita clara & perspicua quin commentatoribus negotium facessant, & diversimode reddantur; nam alii

reddunt, *inequita propter veritatem mansuetudinem & justitiam.* Alii *inequita propter veritatem, & exaudi justitiam.* Alii *inequita propter veritatem, & afflictionem justitiae* seu *justorum.* Sed mihi magis se probat illa vulgaris interpretatio *inequita super verbum veritatis mansuetudinis & justitiae.* Ibi Messias nobis repræsentatur ut *eques insignis* sicut Zachar. 1. *eques ille equo rufo insidens inter myrteta*, repręsentat *Messiam*, & *Apocal.* 19. *equo albo* insidet, ut Euangelii sui cursus, victoriarum celeritas, Regni sui promptissima promotio & propagatio nobis delinearentur. *Inequitare* vero dicitur, *veritati, mansuetudini,* & *justitiae* quasi pluribus equis inequitaret & cursum suum institueret. Oppositione ad equites *Celetes* qui olim uni equo insidentes currere solebant. Suidas κέλης ὁ μόνος ἵππος. *Celes equus solus.* κέλης ὁ σελλάριος. *Celes sellarius* Sella instructus. Hesychius κέλης ἵππος καὶ ἱππαστὴς μονάμπυξ *Celes, equus, eques,*

eques, *solitarius*, singulator. Glossæ Stephani, *singulator* ἱππασὴς κέλης. Quia nimirum singularis. Hinc equites illi, singulares etiam dicebantur. Isidorus Orig. L. 13. c. 15. *equites singulares ideo currere dicunt* &c. de his Manilius L. 5.

Aut solo vectatus equo nunc arma movebit.

Hinc sarcasmus & contumelia *Alexandri Magni*, cum ad *Darium Codomannum* scribens, hoc nomine illum designaret. *Dario Celeti* non Celeri ut volunt aliqui; sed *Celeti* quod equo solo, victus se periculo eripuisset. Vel quod revera antequam ad Regiæ Majestatis fastigium eveheretur vili officio *nuncii*, *Tabellarii*, *veredarii*, ἡμεροδρόμου & *Astandæ* defunctus fuerat. Plutarch. de Fortuna Alexandr. Inter Fortunæ Ludos memorat Darium. Δαρεῖον ἣν σὸν ἔργον ὃν ἐκ δούλου καὶ Ἀστάνδου βασιλέως, κύριον περσῶν ἐποίησας. *Darius erat opus*

opus tuum, quem ex servo & Astande Regis. Dominum Persarum fecisti. ἀπεδηλοῦτο παρὰ τοῦ Θεοῦ Ἀλέξανδρον τῆς μὲν Ἀσίας κρατήσειν ὥσπερ ἐκράτησε Δαρεῖος ἐξ Ἀσγάνδου βασιλεὺς γενόμενος. *Manifestum fiebat à Deo Alexandrum Asia potiturum, sicut fuerat potitus Darius ex Asgande Rex factus.* Asgandes vero notat nuntium & Tabellarium. Suidas Ἀστάνδαι (lego Ἀσγάνδαι) οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἄγγαροι, τὰ δὲ ὀνόματα περσικά. *Asgandæ successivi literarum latores, qui & Angari dicebantur, sunt vero nomina Persica.* Hesychius Ἀστάνδης (Ἀσγάνδης) ἡμεροδρόμος Asgandes cursor diurnus. Eustathius in Odyss. τ. Ἄγγαροι οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἀστάνδαι περσικῶς. *Angari successivi Epistolarum Latores, illi & Persice Asgandæ.* Dicebantur vero Asgandæ, vel à Persico סחנראן *verbum*, unde סחנאן *verborum interpres & nuntius.* Vel quod omnino placet ab אזגד Chaldaico quod *nuntium* & *legatum* notat. Frequentissima est

vox

vox illa apud Chaldæos & in Paraphrasibus Chaldaicis occurrit Genes. cap 32. ỳs. 6. Jud. 11: 13. Job. 1: 14. 1 Reg. 19:2. 2 Reg. 19: 13. Prov. 13: 17. & 27: 13. Sic Is. 18:2. רמשלח בימא אזגדין *quæ mittit per mare Asgadin* Ἀσγάνδας legatos, & ibid. אזילו אזגדין קלילין *Ite* Ἀσγάνδαι *legati & nuntii leves.* Quibus conficitur Asgandam esse nuntium & Tabellarium, & Darium istud munus apud Persas obivisse, antequam fortunę ludo, dignitate regia & imperatoria cumularetur. Quod cum Alexander Magnus arguere vellet & vilis istius muneris memoriam refricare ad contumeliam & opprobrium Darii, nullo alio titulo epistolam ad Darium destinatam cohonestare dignatur, quam hoc vili & inglorio, *Dario Celeti* cursori, ἡμεροδρόμῳ, γραμματοφόρῳ, μονάτωρι *singulatori*, & qui instar κελήτων equo singulari vehebatur, & angarias suas, & cursus diurnos solebat conficere. Alii vero vel in re lautiori vel arte & industria magis pollentes plu-

pluribus equis utebantur, & ab uno in alium leviter, & pro tempore, vel periculo desultorie scandere solebant. Hoc adeo notum est ut illud exemplis confirmare, esset meridiei faces accendere, & ad finem hujus dissertationis mentem & anhelantem calamum nostrum intempestive morari.

Dominus ergo noster nobis hic à propheta repræsentatur, non uno vel altero insidens equo, ut stadium ministerii sui fælicius decurreret, sed inquid propheta רכב על דבר אמת וענוה צדק *inequita super verbum veritatis, mansuetudinis, justitiæ*, & istis superbe vectus sole velocior exi, totum terrarum orbem lustrare & alacriter peragrare pergas, & veritatem mansuetudinem justitiam tuam omnibus propalare, impertiri, & communicare non dedigneris. Allusione etiam ad veterum numina quibus equos solebant adscribere. Lunæ duos, Soli quatuor, Jovi sex, Hespero unum, vel duos desultorios, sicut

sicut etiam Castoribus duos consecrabant. Cassiodorus l. 3. varior. Epist. LI. *biga quasi Lunæ, quadriga Solis imitatione reperta est. Equi desultorii per quos Circensium ministri missus nuntiant exituros, Luciferi præcursoris velocitates imitantur.* Isidorus de circo. *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, Sejugas Jovi, desultores Lucifero & Hespero consecrabant.* Vetus Epigramma:

Lunæ biga datur semper Solique
quadriga,
Castoribus simpli rite dicantur
equi.

Cujus rei in Scriptura animadvertimus vestigia in *quadrigis* Soli dicatis quę in Templo asservabantur, quibus Solem orientem venerabantur, & quas Rex Josias igni tradendas curavit; 2 *Reg.* 23. Sed alius est insessor & vector Messias noster. *Inequita* inquit Propheta sed *verbo veritatis*, non scenicis, fictis, circensibus

sibus istis equis, & curribus. Sed *inequita verbo veritatis mansuetudinis & justitiæ.* Quo mihi videtur allusum non ad ista falsa numina tantum, sed etiam ad Deum ipsum, qui in scriptura sæpe nobis repręsentatur, ut *nubibus insidens.* Præcipue in promulgatione legis nubibus utitur ut curru, nubibus tempestatum tonitruum fulgurum fulminum plenis, ut legis tempestates & fragores aliquomodo nobis adumbrarentur. Sed inquit elegantissime propheta, ô Messias *inequita* non nubibus, Tempestatibus, procellis. Lex maledicens, tonans, fulminans non tibi promulganda incumbit, incedas

Vultu qui cœlum tempestatesque serenat.

Inequita verbo veritatis non legis, verbo gratiæ, non terroris, verbo justitiæ justificantis non literæ mortis, & ministerio condemnationis. Nam lex per Mosem data est, sed gra-

gratia; veritas; justitia per Regem Messiam debent parari & promoveri. Quibus possumus addere hæc verba sic reddi posse, inequita, על רבר *propter*, inequita accinge te, curre, propter veritatem, mansuetudinem, & justitiam, quę usque ad tempora Messiæ aliquo modo delituerant, & non ita se exeruerunt ut sæculis sequentibus. Sub lege *veritas* non ita manifestabatur, & si occurrebat non nuda occurrebat, sed velata, & variis typis; figuris & nubibus obducta; *mansuetudo*, gratia, benignitas non ita se exerebant, & minis tempestatibusque legis, & pondere jugi Levitici, terrores incutiebantur & gaudia fidelium sæpissime turbabantur. *Justitia* non ita patebat, & victimę, altaria, Sacerdotes, Sacrificia diurna & annua, & tot vicibus repetita & renovata, *Syngraphum*, obligatio nondum lacera & cancellata, & singulis diebus repræsentata satis innuebant istorum imperfectionem, illisque fideles non potuisse ju-

ſtitiam adipiſci. Hinc propheta Regius, quaſi jugi Levitici impatiens, anhelans beata & amæna Euangelii tempora, deſiderans videre quæ nunc ſub œconomia Chriſtiana tam facile contemplamur. Euge inquit ô Meſſia, quid gaudia noſtra moraris. Sat morarum, ſat terrorum legis, ſat juſtitiarum exteriorum, & ceremonialium, veritatis radios accende, reſera gratiæ & manſuetudinis theſauros, juſtitiam veram, ſolidam, æternam explica, *inequita propter veritatem manſuetudinem juſtitiam.* Hic eſt finis miſſionis tuę, ut nimirum miſeri mortales juſti conſtituantur, non operibus naturæ, non operibus legis, non ritibus Leviticis, non ſanguine victimarum, ſed operibus tuis, obedientia tua, tuo proprio ſanguine, tua juſtitiâ ęternâ, qua ſola ex profunda miſeriarum ſuarum voragine & barathro poterant emergere.

§ 6. Hoc eſt quod ipſe Meſſias nobis videtur indicare Apocal. cap. 3. συμβουλεύω σοι ἀγοράσαι παρ' ἐμοῦ χρυσίον πε-

πυρω-

πυρωμένον ἐκ πυρὸς ἵνα πλουτήσῃς. καὶ ἱμάτια λευκὰ ἵνα περιβάλῃ καὶ μὴ φανερωθῇ αἰσχύνη τῆς γυμνότητός σου, καὶ κολλούριον ἔγχρισον τοὺς ὀφθαλμοὺς σου, ἵνα βλέπῃς. *Hoc consilium tibi suppedito nempe ut emas à me aurum per ignem purgatum, ut sis dives. Et vestimenta alba ut illis circumderis, & non appareat turpitudo nuditatis tuæ, & collyrium ad ungendos oculos tuos ut videas. Eme à me* tanquam *propheta* collyrium Cognitionis quo oculorum tuorum lippitudo sanetur, squamæ avellantur, cataractæ dissolvantur, & tenebræ opacissimę nullis aliis remediis curandę, amoveantur. *Eme à me Rege* aurum, aurum obrysum, aurum purgatissimum, quo solo inter divites poteris accenseri. *Eme à me Sacerdote* vestimenta, vestimenta alba quibus ipse Sacerdos evadas, & peccatorum tuorum pudenda tegantur & obducantur. Quo consilio videtur alludere ad mores Laodicenorum Mercatura inclytorum, qui sagacitate alios videbantur velle vincere, qui mercatura sua opes in-

innumeras sibi comparaverant, & qui inter merces suas, lanas vestibus conficiendis aptissimas jactare sæpe solebant. „Dicit vero Dominus no-
„ster aliam nunc vobis mercaturam
„exercendam designo. Ego tanquam
„mercator insignis ad vos tandem
„advolo, merces cælestes vobis ex-
„plicaturus, merces fideles & non
„adulteratas, merces quas meliori
„conditione nunquam poteritis vobis
„comparare. O sagaces & rebus vestris
„intenti Laodiceni, emite à me ocu-
„los, lumen, fidem, quæ vera est
„sagacitas, & mortalium sapientia.
„Laodiceni opibus florentes, emite
„à me aurum præ quo omnes opes
„vestrę nihil sunt quam fumus & pul-
„vis uno halitu indignationis divinę
„difflandus & dispellendus. Lao-
„diceni, rerum ad vestimenta con-
„ficienda, & lanarum præstantissi-
„marum copia toto orbe celeberrimi,
„Emite à me vestimenta, vestimen-
„ta alba, vestimenta pretiosissima
„quibus Dei benedictionem tandem
„ali-

„aliquando conſequi poſſitis. Nec meo judicio prætermittenda hęc conjectura, Dominum noſtrum Meſſiam, conſiliarium mirabilem, Salomonem Sapientiſsimum, alludere his verbis ad *navigationem Ophiriticam*, qua Hieroſolymam Salomo afferri curabat medicamenta, opes, & ſerica veſtibus præſtantiſsimis admodum idonea. De Aromatibus, medicamentis, opibus omnes uno ore profitentur. Non ita de ſericis. *Sericorum* tamen fit mentio Eſ. 19. quę vox videtur fluxiſſe à סרק *oriens* non quia tantum orientis ſolis colorem referrent, ſed quod ab orientalibus & Ophiriticis primo quæſita fuiſſent, & ad Auſtraliores & Occidentaliores tranſlata. Hinc etiam Reges ad Salomonem munera miſiſſe dicuntur & inter illa שלמות *veſtes pretioſiſſimæ* recenſentur 2 Chron. c. 9. Unde *gloria veſtimentorum Salomonis* Matth. c. 6. Cum ergo Salomo & Aromatibus, & opibus & veſtibus floreret & abundaret, verus

 noſter

noster Salomo, Sapientia ipsa ęterna, ut in se solo plusquam mille Salomones reperiri innueret, dicit *emas à me collyria* medicamenta optima quibus visum possis recuperare. *Eme aurum* quo in classe Divitum & Assiduorum possis annumerari, *eme serica* splendentia orientalia, ab oriente *sole justitiæ* quibus peccata tua ita tegantur & velentur, ut eorum nulla imposterum appareant vestigia. Sed si haec minus placeant, liceat & nobis istud addere, isto consilio Dominum nostrum mira sapientia & elegantia *Mosi se opponere* cum dicit *eme à me collyrium ut videas, aurum ut ditescas, vestes ut pudenda nuditas tua oculis non pateat.* Moses non juvabat, nec roborabat oculos Israëlitarum, imo lumine suo nimis acuto laedebat oculorum aciem, adeo ut perstringerentur, & caeci evaderent. Sed inquit Dominus Jesus *eme à me collyrium* ut videas & visus tui acies lumine meo roborata, mysteria Regni caelorum possit facile penetrare.

netrare. Moſes aurum, argentum, opes Iſraëlitis non communicabat, illi ipſi opes ſuas ad conſtructionem Tabernaculi liberaliter contulerunt, & ab ipſis Ægyptiis inculpata fraude ſurripuerunt. Sed *eme à me aurum*, opes pretioſiſsimas, quibus Sanctuaria mea conſtrui, & aedificari poſſint. Moſes non potuit veſtes Iſraëlitis *ſuppeditare*, & ſi in deſerto Iſraëlitarum veſtimenta non veteraſcebant, tandem poſt elapſos quadraginta annos detrita perierunt. Sed *eme à me veſtimenta Alba*, veſtimenta candoris eximii, qui lumen, nivem, artem omnem & induſtriam fulloniam vincat, veſtimenta æterni luminis, & lumen ſolis duratione ſuperantia, veſtimenta quibus non corporis nævi & partes ἄτιμαι, vel tegantur vel ornentur, ſed quibus peccata, labes iſtæ, & tempori, & herbę ברית omnino indelebiles tollantur & expungantur, quorum gloria eſt פניכה, quorum odor fragrantiſſimus, & quorum cultus Deo ita gratus eſt,

ut illis ſolis tanquam nuptialibus, ſponſam ſuam ornari & decorari velit.

§ 7. Hoc eſt quod Apoſtolus Paulus exemplo ſuo comprobat ad Philippenſes cap 3 ℣s. 9. πάντα ἡγοῦμαι σκύβαλα, ἵνα εὑρεθῶ ἐν Χριστῷ μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην. *Omnia tanquam furfures*, ἀπομαγδαλία *canibus projicienda reputo, ut inveniar in Chriſto non habens juſtitiam meam ex lege, ſed juſtitiam per fidem Chriſti, juſtitiam ex Deo.* Quantum mutatus Apoſtolus ab illo Phariſęo, qui opera jactabat, qui merita ſua crepabat, qui Jeſum ut legis everſorem jurgiis & blaſphemiis onerabat. Nunc juſtitiam ſuam propriam ut σκύβαλα reputat, ut Canina prandia, ut furfures, fæces, unde omnis nutritius liquor ſit plane eliquatus. Vult inveniri extra ſe, extra Adamum, extra Moſem, extra Aaronem & Leviticos ritus. Se quęrit extra ſe, & vult extra ſe quęri & inveniri. Vult quæri & inveniri in Chriſto. Non habens juſtitiã operum,

rum, sed fidei, non legis sed gratiae, non Mosis sed Christi, non hominis sed Dei. Omnia inquit postpono, modo inveniar in Christo in justitia fidei Christi, in justitia Dei. Ubi meo saltem judicio Apostolus intentis oculis videtur respicere textum nostrum ubi *Deus* vocatur *justitia nostra* יהוה צדקנו. Non vult justitiam operum, illam tanquam Asylum & propugnaculum sibi vindicare non conatur, sed justitiam Christi justitiam Jehovae δικαιοσύνην Θεοῦ, justitiam illius qui est Deus super omnia benedictus. Vult justitiam Dei quæ est à Deo, quæ ducit ad Deum, quæ est excellentissima, & quę in illius merito & satisfactione, collocatur, qui est revera Deus summus & æternus, verus יהוה. & יהוה צדקנו. Quod commodum fluere dicitur Rom. 1 ex doctrina Euangelii, in quo ἐν ᾧ δικαιοσύνη Θεοῦ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. *In quo justitia Dei revelatur ex fide in fidem. Non erubesco* inquit Apostolus *ob*

Euangelium Christi, nam in illo revelatur justitia Dei ipsius. Si falsorum Numinum cultus conarer promovere, pudore suffunderer, in illis nec vola nec vestigium veræ justitiæ. Si Ethnicorum Philosophiam annunciarem, abjecto essem animo & vultu, nam quicquid inde in me commodi redundare posset in eo tantum consisteret, ut inter animalia gloriç, merito accenserer. Si legem magno molimine stabilire contenderem, invita notaret ora rubor, nam illa data est ad transgressiones manifestandas, & illius ministerio hoc tantum assequi possum ut me revera mortuum possim animadvertere. Si ceremonias Leviticas tantum urgere animus esset, anxium & pudibundum me proderem, cum sint tantum frondes & folia ad vestes consuendas ineptissima, & ad amovendum tenebrarum exteriorum frigus, & indignationis divinæ flammas arcendas plane inidonea. Sed non *erubesco Doctrinam Euangelii*, elato capite, sere-

sereno vultu, tranquilla mente, pacata conscientia, annuncio Euangelium Christi, *in quo justitia Dei*, non Angeli, non hominis, non Sacerdotis, non victimæ legalis, sed *justitia Dei ipsius explicatur & revelatur.* Justitia Dei, id est justus Deus, Deus justitiæ, Deus justitia nostra, annunciatur & prædicatur. Adeo ut Apostolus respexerit ad locum nostrum Jeremiæ, ubi Deus dicitur יהוה צדקנו, cum dicit in Euangelio revelatam & manifestatam δικαιοσύνην Θεοῦ, & tandem affulsisse beata illa tempora, in quibus manifestari debebat justitia Dei, justitia divina, qua justi constituimur tanquam propria nostra justitia. Quo respexit etiam Apostolus, totus Christo suo plenus, cum ad *Corint. Epist* 2. cap. 5. ẏs. ultimo scriberet, τὸν, μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ. *Eum qui non cognoscebat peccatum, fecit peccatum pro nobis, ut essemus justitia Dei in illo.* Quo loco vera doctrina

na justificationis facili negotio conficitur. Christus enim dicitur *factus peccatum*, allusione ad victimas quę peccata dicebantur, & fiebant peccata, quod impositione manuum offerentium, in eorum capita quasi confluerent & derivarentur peccata; sic Christus factus peccatum imputatione iniquitatum & peccatorum nostrorum. Sed sicut olim offerentibus imputabatur puritas, innocentia, sanguis & mors victimarum, & fiebant aliquomodo justitia in victimis & sacrificiis. Sic, sanctitas, puritas, obedientia, mors D. N. J.C. nobis imputatur, illa constituimur justi, illa γενόμεθα δικαιοσύνη, & oppositione ad vetera sacrificia, & allusione ad locum *Jeremiæ* dicit Apostolus *sumus justitia in illo* non in victimis, in Messia, non in sacrificiis, & justitia non agni vel tauri, sed δικαιοσύνη Θεȣ̃, *justitia Dei ipsius*, illius in quo sumus, qui est in nobis, & qui est *justitia nostra*, & יהוה צדקנו.

§ 8. Nam

§ 8. Nam licet ſit juſtitia Dei, eſt juſtitia noſtra. Ideo in loco Jerem. non tantum dicitur *Jehova juſtitia* ſed יהוה צדקנו JEHOVA JUSTITIA NOSTRA. Nam quę ſunt Chriſti noſtra ſunt. Mira fidelium cum Chriſto ſocietas. Mala fidelium ſunt Chriſti. Bona Chriſti ſunt fidelium. Pater Domini noſtri, eſt Pater noſter, Spiritus Chriſti eſt *noſter*. Angeli Chriſti ſunt miniſtri noſtri, & λειτουργικὰ πνεύματα. Paſtores Chriſti ſunt noſtri, Terra Domini eſt noſtra; nam fideles terram hæreditabunt. Cœlum Chriſti eſt cœlum noſtrum. Thronus ipſe Chriſti eſt noſter & ſuper illo æternum ſedebimus. ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου. *Qui vincet dabo illi ſedere mecum in throno meo.* Apoc. 3:21. *Alluſione* ad συνέδρους παρέδρους, συνθρόνους συμβώμους de quibus apud veteres mentio frequentiſſima. *Alluſione* ad Thronos Regum Orientis qui erant latiſſimi inſtar lecticæ, & in quibus loca occupabant, illi qui apud Regem majori gratia flo-

florebant. Hinc vocabantur *Spondæ*; Gallice *un lict de justice.* Arabice אלמקר בין מן ערש Sic apud Alcoranum אלערש *Throno Dei proximi.* Et apud Aſtrologos Orientales ערש אלאיזא *Sponda, ſolium, Thronus Orionis* quem variis ſtellis aptari & componi exiſtimant. Sic ſolium Meſſiæ eſt latiſſimum & ſuper illo ſedere fidelibus conceditur. *Oppoſitione* ad ſententiam vulgarem apud Hebręos qui animas fidelium תחת כסא הכבוד ſub throno gloriæ quieſcere exiſtimabant, ad quod alluditur Apocal. 6. cum *animæ dicuntur eſſe ſub Altari.* Sed inquit Dominus noſter, qui vincet ille non erit tantum ſub throno gloriæ, ſed mecum triumphos agitabit, & in meo ipſiſſimo ſolio locum excelſiſsimum occupabit. Denique *oppoſitione* ad myſteria Cabirorum, quibus initiandi Thronum ſcandebant, aliis myſtis circum choreas agitantibus. Iſta Cerimonia vocabatur Θρονισμὸς & Θρόνωσις. Plato in Euthydemo ἐν τῇ τελετῇ τῶν Κορυβάντων

ὅταν

ὅταν τὴν θρόνωσιν ποιῶνται. Et Dion Chrysostom. Orat. 12 Καθάπερ εἰώθασιν ἐν τῷ καλουμένῳ θρονισμῷ &c. unde legitur apud Hesychium Θρόνωσις καταρχὴ περὶ τὸν μεμυημένον. Forsan legendum καταρχὴ *chorea*, *saltatio*, vel κάθαρσις *purificatio*. Sed καταρχὴ ferri potest, cum notet *initium*, cum isto ἐνθρονισμῷ mysteriorum candidatos solerent initiare. Sed inquit Dominus noster, liberalis ille remunerator, qui vincet initiabitur non umbratili, ludicro, nugatorio ἐνθρονισμῷ, sed occupabit thronum meum quasi revera suum esset. Nam Christus & sua, nostra sunt, & jus nobis concessit in personam suam, Naturas suas, officia sua, omniaque quę sua sunt nobiscum liberaliter communicavit. Quo referendus ille locus insignis qui occurrit 1 Cor. 3. πάντα ὑμῶν ἐστιν, εἴτε Παῦλος εἴτε Ἀπολλώς, εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος, εἴτε ζωὴ, εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα, εἴτε μέλλοντα, πάντα ὑμῶν ἐστιν, ὑμεῖς δὲ Χριστοῦ, Χριστὸς δὲ Θεοῦ. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas*,

phas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia vestra sunt, vos Christi, Christus Dei. *Oppositione* ad Adamum, in quo omnibus dignitatibus, privilegiis, titulis, juribus fuimus minuti & spoliati, catenis & vinculis onerati, & ut vilia mancipia, in ergastulum detrusi. Sed in Christo ad pristinam dignitatem restituimur, & honores, jura, privilegia, ampliora etiam, locupletiora, & nobiliora recuperamus. *Oppositione* ad Mosem qui populum Israëliticum in libertatem revera asseruit, & jura in bona Ægyptiorum & in desertum concessit; Sed Christus nos asseruit in libertatem filiorum Dei, adeo ut simus cohæredes Christi, qui Hæres & Dominus omnium, in participationem Dominii sui nos admittere non dedignatur. *Oppositione* ad Josuam qui jus Israëlitis tribuit in terram solam Canaan, & quam sorte divisam, Israëlitis per partes tradidit possidendam. Sed nunc nobiliora sunt, &

au-

augustiora jura nostra, indivisim ad fideles pertinet totus orbis κόσμος ipse, præsentia, futura, עולם הזה עולם הבא *mundus præsens, mundus futurus*, sunt possessio fidelium, justi sunt Rerum Domini, habent εἶδος ἄξιον τυραννίδος, & non tantum titulos jactant ad possessionem terræ, sed cælorum ipsorum quos tanquam נחלתם *hæreditatem* suam anhelant & contemplantur:

> *Unus Christiadi juveni non sufficit*
> *orbis,*
> *Æstuat angusto conclusus limite*
> *Mundi,*
> *Ut Giari clausus scopulis, parva-*
> *que Seripho.*

Cœlos ipsos anhelat, quos jure hæreditatis, jure patrimonii, sibi vult vindicare, jure Christi capitis sui, jure justitię Christi, quæ nostra est, cum Messias sit יהוה צדקנו Jehova Justitia Nostra.

§ 9. Nostra inquam, Jeremiae

ipſius prophetarum ipſorum, ipſorum Apoſtolorum. Eſt *Redemptor* Jobi. *Scio* inquit *Redemptorem meum vivere*, id eſt vivificare, & *qui poſtquam caro mea vermium præda & ludibrium exſtiterit, illam ex pulvere ſepulchri poterit excitare.* Eſt meus, ſum ſuus, & ratione unionis noſtræ ab interitu & morte aliquando me vindicabit. Ideo *Iſajas* ipſe propheta illum tanquam ſuum etiam reputabat. c. 7. *Puer nobis natus eſt filius eſt nobis datus*. Non vobis tantum, ſed nobis, ſed mihi ipſi prophetæ ex Regio ſtemmate originem ducenti, mihi datus eſt filius, & tanto munere, tam inſigni liberalitate, ut minimi mortalium ipſe glorior & ſuperbio. Sic Paulus ad Corinth epiſt. 1. c. 5. Πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη Χριστός. *Chriſtus Paſcha noſtrum mactatum eſt pro nobis.* Ubi Apoſtolus vocat Chriſtum, paſcha ſuum, pro ſe etiam ſacrificatum. Nam ſicut paſchalis agnus ad Iſraëlitas debebat pertinere, ſic Chriſtus pertinet

ad

ad fideles, eſt eorum paſcha, eorum agnus paſchalis, & ſicut nullus ex Ægyptiaca captivitate, & Angeli vaſtantis & exterminantis ira liberatus fuit niſi miniſterio paſchatis, nec Moſes nec Aaron nec quiſpiam alius ex Gente Judaica, exterminium & captivitatem evaſerunt quam illitis poſtibus ſanguine agni paſchalis. Sic nullus *Iſraëlitarum* Spiritualium ab æterna morte liberatur niſi miniſterio paſchatis Euangelici Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec Angelus mortis Angelus ὀλοθρευτὴς parcit ipſi Paulo, Apoſtolis, Euangeliſtis martyribus ipſis, quam ratione ſanguinis agni Dei, quorum eorum animæ tinguntur & illinuntur. Hoc dilectus ipſe Diſcipulus Domini, ſatis percipiebat cum 1 Epiſt. ſuæ c. 2. diceret, *Quum peccavimus habemus Advocatum.* Non quum peccaviſtis habetis Advocatum. Sed nos habemus Advocatum, ipſe dilectus Apoſtolus, ad Chriſtum tamen confugio, & conſcius indignitatis meæ in ſola Chriſti

intercessione & morte recumbit spes & fiducia mea. Quum peccavimus, nos omnes habemus Advocatum. Nam sicut summus pontifex in Sancto Sanctorum preces fundebat non tantum pro plebe, sed pro Sacerdotibus, Levitis, senioribus populi, & nullus erat qui ex oratione summi Sacerdotis commoda sibi non polliceretur. Sic nullus est vere Christianus ad quem non pertineant intercessiones Christi, & qui illius obedientiam & justitiam, suam facere non enitatur? Ideo non solum *Ecclesia* lumine solis induta nobis repræsentatur Apoc cap. 12. Sed ipsius *Ecclesiæ corona*, *Diadema* quo illius caput & frons redimita superbit, constat *duodecim stellis* ab ipso sole lumen suum, sicut ipsa fæmina, mutuantibus. Nam sicut in Cœlo nullus fulget planetes, nulla stella micat sive primæ sive ultimę magnitudinis, quę totum jubar suum à Sole non habeat. Sic in firmamento Ecclesię, unus est Sol pater luminum, unum

unum jubar quo omnia cœli Euangelici ſidera coruſcant, & ſive ſint minima ſive majora, ſive Luna ſive minores ignes, ab uno eodemque fonte hauriunt, quicquid habent ſplendoris & dignitatis. Quapropter *ſeniores* ipſi ſumma illa & prima Eccleſiæ decora & ornamento, Apocal. c. 4. *ad pedes agni devolvuntur, & ſuas coronas & dignitatem deponunt* tanquam non ſuam ſed Chriſti, & Chriſtum ut ſuum ſicut infimorum Redemptorem encomiis gratulatoriis & laudibus proſequuntur. Ubi & hoc nobis non prætermittendum videtur, quod non tantum ibi *duodecim presbyteri* hoc officio defungantur, ſed *viginti quatuor*, quibus Eccleſia Euangelica & Iſraëlitica, duodecim Apoſtoli, & duodecim Patriarchæ nobis repræſentantur eadem Chriſti in ſe collata beneficia cantantes & celebrantes. Nam revera Chriſtus non eſt tantum Chriſtus noſter, ſed Chriſtus Iſraëlitarum, illius beneficia non ſunt tantum noſtra, ſed

beneficia veteris Ecclesiæ, & ideo *Jeremias*, sicut Apostoli, vocat Dominum nostrum, יהוה צדקנו & *justitiam nostram*. Moses quippe ille Euangelicus non tantum Israëlitas ætate suppares & juniores liberavit, sed ipsius ossa Josephi, ipsius diu ante defuncti in libertatem asseruit. Arca illa inter Israëlitarum castra posita, non tantum sequentium commoda promovit, sed antecedentium saluti etiam consuluit. Moses & Elias, sicut Apostoli, lęta mente mortem Christi recolunt in sancto monte, & illius consortii & gloriæ sunt testes & participes. In horrenda judicii Dei fornace tres pueri tres confessores fideles ante legem, sub lege, & post legem, ad latera Christi confugiunt, sub illius alas se recipiunt, quibus solis vindictæ divinæ, & flammis voracibus subito eripiantur. Nam nullum est aliud nomen sub sole præter nomen Jesu Christi, quo salus possit vel unquam potuerit hominibus comparari. Secus in ipso cœlo

mi-

mira forent sententiarum & gratitudinis divortia. Alii essent Pauli, alii Apollos, alii Cephæ, alii Christi. Alii essent naturæ, alii legis, alii ceremoniarum, alii Philosophię, alii Euangelii. Altaria Thymiamatis in altaria erigerentur, non omnes agnum sequerentur, & minima pars beatorum in cœlis, Dominum nostrum Jesum servatorem suum deprædicaret. Sed sapientia divina cavit istis incommodis, & talibus dissidiis nullum reliquit locum. Unicam nobis viam ad vitam indicavit; *unum & solum Mediatorem*, 1 Tim. 2. *Deum qui est unus*, ad Galat. cap. 3. צמח *Solem*, orientem ex alto qui noctem legalem & Leviticas umbras sicut Diem Euangelii licet πολυμερῶς & πολυτρόπως irradiavit & illustravit, *Jesum* Dominum nostrum, qui non est tantum justitia nostra, sed justitia Jeremię, justitia Prophetarum, *nomen quo vocabitur* est יהוה צדקנו *justitia nostra.*

§ 10. Ubi *Messias* vocandus dicitur

citur *justitia nostra.* Non quod isto nomine tanquam proprio debeat designari, ut nomine Jesu & nomine Christi. Sed quod revera debeat esse justitia fidelium. Nam in scriptura *vocari* sępissime sumitur pro *esse*. Sic Matth. 4. Ναζαραῖος κληθήσεται *vocabitur* id est *erit.* Matth. 5: 9. Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοὶ ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. *Beati pacifici quia filii Dei vocabuntur* id est *erunt.* Sic ib. ℣s. 19. *qui solverit unum ex mandatis istis, & tamen illa docuerit,* ἐλάχιστος κληθήσεται. *Vocabitur minimus.* Id est *erit minimus*, erit instar non Rabbini, & Didascali, sed habebitur inter discipulos, νηπίους, קטנים *parvos, minimos*, quo nomine apud Judęos veniebant Discipuli inferioris classis & subsellii. Sic Matth. 21: 13. ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται. *Domus mea Domus vocationis vocabitur*, id est *erit* Domus precum & orationum. Sic Luc. 1: 76. σὺ παιδίον προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ. *Et tu parve puer, vocaberis Propheta Altissimi* id est *eris.*

Sic

Sic 1 Joh. 3: 1. *videte qualem charitatem nobis dedit pater* ἵνα Θεοῦ τέκνα κληθῶμεν *ut vocemur*, id est ut *simus filii Dei*. Sic *vocabitur nomen ejus Immanuël*. Es. 7. id est *erit Immanuël* Deus nobiscum, non Arca non Nubes, non Tabernaculum, sed Deus ipse erit nobiscum usque ad consummationem sæculorum. Sic apud eundem Prophetam *nomen quo vocabitur est Admirabilis, Deus, fortis, consiliarius*, id est erit Admirabilis, fortis, consiliarius, *princeps pacis, & pater futuri sæculi*. Sic c. 47. *non vocaberis amplius tenera & delicata, & Domina Regnorum*, id est non amplius affluens deliciis & luxu, non amplius *eris Domina*, & alios non amplius premes & obrues jugo tyrannidis tuæ. Nec modus ille loquendi ignotus fuit Authoribus exoticis. Nam *Homerus* ipse disertissimus & Doctissimus Hellenis Nepotum, Iliad δ. sic loquitur παράκοιτις κέκλημαι, ubi Eustathius sic commentatur τὸ κέκλημαι, οὐκ ἐνδοιασμὸν δηλοῖ, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ εἰμὶ κεῖται.

Vocor, *non dicitur cum hæsitatione & dubitatione*, *sed ibi occurrit*, *pro sum revera*, *& nullo cum dubio.* Et ut ex Latinis aliquid etiam delibemus, Plin. L. XVI. cap. 33. utitur voce *appellare* pro *esse*. Sic enim ille de cupressorum sylvis, *vulgo dotem filiarum antiqui plantaria appellabant.* Plantaria nimirum cupressorum, quod ex illis dos & pecunia compararetur, qua filię nuptiis & matrimonio locarentur. Nec erat quod vir stupendę eruditionis, nec minus subacti judicii, ista verba sollicitaret, & in hæc verba Plinio iratus aliquando erumperet, *plantaria appellasse antiquos dotem filiarum*, *id vero mirum est*, *& nusquam lectum.* Sic est, non vocabant nomine proprio plantaria, Dotem filiarum, sed illa tanquam dotem virginum habebant, & ex plantariorum istorum locatione, vel arborum ibi consitarum venditione & pretio, pecunia conficiebatur, qua virgines in re angusta, & formæ spernendæ,

con-

connubio jungi possent, & si non inter ditiores, & assiduas haberi, saltem inter proletarias recenseri mererentur. Appellabantur ergo ista plantaria dotes filiarum, quia revera erant dos virginum, non quod isto nomine revera designarentur. Quibus constat, Hebr. קרא, Grece καλεῖσθαι, Latine *appellare*, non sumi semper debere de nomine, sed pro *profiteri* & *esse*, unde Dominus noster dicitur *vocandus* & *appellandus* יהוה צדקנו non quod isto nomine proprio deberet appellari, sed quod revera futurus erat *justitia nostra* & יהוה צדקנו.

§ 11. Est vero יהוה צדקנו alio modo quam Altare à Mose erectum dicitur יהוה נסי, & altare erectum à Gedeone dicitur יהוה שלום, & Hierosolyma dicitur יהוה שמה. Hæc frustra urgentur à Photinianis, ut gloriam Christi conculcent, & illum non magis esse Deum probent, quam altare Mosis & Gedeonis, & Hierosolyma possunt vocari Jehova, & pro Deo haberi. Sed vani sunt conatus

natus

natus istarum belluarum, in Christum unctum Dei debacchantium, & in cœlum blasphemias, & virus suum tam temere eructantium. Nam revera Moses erexit altare Exod. 17:15. cui nomen imposuit יהוה נסי. Istius Altaris memoria adeo celebris evasit ut vestigia supersint in monte Νύσῃ de quo Homerus in Hymnis:

Ἔστιν δέ τις Νύσῃ ὕπατον ὄρος ἀνθέον ὕλῃ
Τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.

Nysa jacet quædam mons sylvis floridus albis
Phœnice procul Ægypti stagnantis ad undas.

Supersunt, & non vestigia tantum, sed nomen integrum superest in Nomine urbis Arabicæ quę dicebatur Ἰήνυσος. Sic apud Herodotum Thal. c. 5. τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τοῦ Ἀραβίας. Ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου αὖτις Συρίων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, *emporia maritima usque ad Jenysum urbem sunt Arabiæ. Ab Jenyso autem usque ad Serbonidem lacum sunt Syrorum.*

rorum. Ubi in nomine *Jenyso* occurrit nomen ipsum altaris Mosis ibidem in Arabia erecti & quod *Janisus* indigetatur, seu יהוה נסי. Quod nomen ipsi Mosi tributum fuisse ex voce Διόνυσος possumus colligere. Asserunt viri quamplurimi, doctrina & eruditione Insignes, Dionysum sive Bacchum revera fuisse Mosem. Quod tot argumentis iverunt comprobatum ut ab omnibus assensum & fidem extorserint. Διόνυσος vero dicitur quasi *Jovinysos*, à denominatione altaris quod Moses construxerat, & cui nomen *Jehova Nyssum* seu יהוה נסי imposuerat, ut esset monumentũ victoriarum ab Israëlitis reportatarũ, & auxilii quod laborantibus Israëlitis in deserto suppeditaverat. Jam vero qua fronte, potest istud Altare, Christo ęquiparari. An aliquid contulit ad triumphos Hebræorum, an alio consilio constructum fuit, quam ut illius operâ, laborum & victoriarum Mosis, memoria perpetua posteritati mandaretur. Si ergo Christus

ſtus dicitur *Jehova juſtitia noſtra* ſicut Altare dicitur יְהוָה נִסִּי, Chriſtus erit tantum nudum monumentum, nuda memoria collatorum in nos Dei beneficiorum, citra ullam Chriſti operationem & ἐνεργείαν. Quod quantum charitati & laboribus D. N. J. C. detrahat, nemo eſt non emotæ mentis qui facile non animadvertat. Deinde *Altare* illud fuit *typis Meſſiæ*, qui ad Hebr. cap. 13. dicitur *altare noſtrum*, ſi ergo altare lapideum dicitur *Jehova Niſſi*, Jehova *vexillum meum*, an non nobiliori modo de Chriſto dici debet, & quod in Altari erat tantum ſymbolice, an non vere & realiter in antitypo debet inveniri. Cui liceat & iſtud addere, Moſem ſatis indicaſſe quem pro vexillo noſtro debeamus eligere. Non dicit *Altare vexillum meum*, Dextra vexillum meum, Angelus vexillum meum. Sed יְהוָה נִסִּי *Jehova Deus* ipſe, aeternus ipſe *eſt vexillum meum*, & ſi alio quam Jehova vexillo gloriarer, mihi meiſque male

male consultum foret, terga vertenda forent, & de fuga non de victoria, nobis esset cogitandum. Jam vero *Messias* vocatur *vexillum nostrum*, allusione proculdubio ad denominationem altaris Mosaici. Extat locus Es. xi. ויש ביום ההוא שורש ישי אשר עמד לנס עמים אליו גוים ידרשו והיתה מנחתו כבוד *In die illa erit Radix Jesse quæ stabit in vexillum populorum, ad illud confluent gentes & quies illius erit gloriosa:* est vexillum, vexillum populorum non unius populi, ad illum confugient omnes gentes, non castra quædam Israëlitica, & pacem omnibus & quietem conciliabit honorificam, gloriosam, non iniquis & pudendis conditionibus, quæ satis indicant Messiam futurum revera Deum qui solus potest esse rerum tutela suorum; vexillum fidelium, labarum Christianorum, de quo dicitur apud Eusebium ἐν τύτω νικᾶ, quo solo tuti sumus, & ad cujus solam presentiam non tantum centena hominum millia, sed omnes

omnes Ecclesiæ hostes fugantur & debellantur. Est ergo revera יהוה נסי sicut ὄντως & ἀληθῶς est יהוה צדקנו. Adeo ut verba illa Exod. 17. *Adonai Nyssi* reddi possint etiam per epenthesim vocis *est*, & reddi *Jehova est vexillum meum*, non quod altare vocetur יהוה נסי *Jehova vexillum meum.* Sed Jehova est vexillum meum, seu monumentum & memoriale, quod Jehova æternus Deus est revera vexillum meum. Nisi tandem verba illa Jehova Nissi velimus accipere in casu regiminis, adeo ut non sint reddenda יהוה נסי *Jehova Nissi*, sed *Jehovæ Nissi*, *Jehovæ vexilli mei.* Hoc acute satis animadvertit *Aben Ezra*, qui dicit supplendam esse vocem מזבח *Altare*, quasi Altare istud vocaretur *Altare Jehovæ vexilli mei.* מזבח יהוה נסי Omittitur vero vox Altaris, & in Genitivo relinquitur Jehovæ vexilli mei, modo loquendi familiari apud omnes omnino populos. Sic Mensæ illę argenteæ in delubris, cum hac

sola

ſola inſcriptione *Bonorum Deorum* apud Cicer. L. 3. de Natur. Deor. Sic Ara Apollinis apud Servium in librum 3. Æneid. cum his verbis *Apollinis Partii.* Sic Templa deſignabantur ſolo nomine Deorum quibus conſecrabantur nulla templi vel ædis facta mentione. Hinc κεχηνοτας Διονυσε pro Templo Dionyſii ap. Plin. L 8. cap. 16. & L x. cap. v. *Iovis & virginis.* Sic apud Jamblichum de vita Pythag. L. 1. c. 2. ΠΥΘΙΟΥ apud Dionyſ. Halicar. L. 1. Antiq Rom. ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ. apud. Plutarch. in Erotico ΑΦΡΟΔΙΤΗϹ ΒΕΛΕΣΤΙΚΗϹ, apud Zoſimum L 11. ΑΔΟΥ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗϹ. Apud Arnobium L. 6. *Cereris Eleuſinæ.* Sic apud Terentium *ad Dianæ*, & apud Salluſtium *ad Iovis mane veni.* Et ſic forſan eſt intelligendus locus difficilis apud Tertullianum *in Bellonæ montis fugantur.* Ubi pro montis, vel montes, *mentis*, legendum, & ibi Bellonæ, ſumitur pro Templo, & ara Bellonæ, ad quam ſacrati Bello-

T nӕ

næ, mente disjiciebantur, fanatici evadebant, & mentis fugabantur. Et forsan non nimis audacem & infelicem criticum se proderet, qui hoc idem colligeret ex inscriptione Altaris, de qua Act 17. ἀγνώςῳ Θεῷ. Ubi non in dativo casu, sed in Regimine legenda videtur inscriptio Nam licet ibi sit Ω. tamen pro O & pro OΥ sæpissime sumebatur, & revera Ω omega videtur conflatum ex OΥ. Unde Marius Victorinus Grammaticus Afer diligentissimus, *significaveram*, inquit, L 1. de Arte Grammat *priusquam Græcis vocales repertæ sint* H *&* Ω *vicem earum tam apud illos quam apud nos, explesse* E *&* O. *&* O *etiam scribi solitam pro syllaba* OΥ. Adeo ut ἀγνώςῳ θεῷ, ut scribebant veteres, vel ἀγνώσῳ θεῷ, sit legendum quasi ἀγνώςȣ θεȣ. *Dei ignoti.* Quasi Ara ignoti Dei. Sic ergo in loco Exod. non dicendum Jehova Nissi, nec Ara à Mose constructa, vocata est *Jehova vexillum meum.* Sed *Jehovæ vexilli mei.* Sicut ignoti Dei, Dianę,

anę, Apollinis, Veneris, &c. ſumitur pro templo & Ara Dianæ, Apollinis, Dionyſi, Veneris &c. Unde patet ex illo loco nihil colligi poſſe, quod veritatem loci Jeremiæ ullo modo labefactet, & alia plane ratione Meſſiam dici יהוה צדקנו.

§ 12. Quod diximus de *Altari Moſis*, dici poteſt de *Altari Gedeonis* quod Jud. 6. vocatur יהוה שלום, id eſt, non *Jehova Schalom*, ſed *Iehovæ Schalom* & pacifici, vel tantum ſic dicitur quaſi monumentum, quod de Chriſto vel cum minima veri ſpecie cogitari non poteſt. Fuit Symbolum Chriſti ac proinde in Chriſto debemus illius veritatem invenire. Vocatur locus ille *Adonai Schalom*, quia viderat Deum, & ad iſtam viſionem terrore percuſſus animam non efflaverat & non erat mortuus, quod contra ſententiam veterum contigiſſe videbatur, qui dicebant *ad apparitiones Dei, moriemur, nam vidimus Deum.* Quod fluxiſſe videtur ex præſentia & minis Dei cum Adamum

rebellem & fœdifragum increparet. *Morte*, inquiebat Deus, apparens in Paradiso, *morte morieris*. Cui possumus addere prophetiam Enochi qua Deum cum myriadibus Angelorum appariturum vaticinabatur, ad improbos conterendos & pro meritis puniendos. Unde non absurde se colligere existimabant apparitiones Dei tantum futuras ad vindictam, & nulli superstiti futuro se videndum exhibiturum. Unde pastor ille Laodicenus apud Stephan. περὶ ἐθνῶν cum fulgura, tonitrua, fulmina, *indicia* divinæ præsentiæ, videret & persentisceret, animam cum his vocibus efflavit ῥάμανθας ὁ ὕψιστος ἦλθε, unde quidam *Maranatha* satis ingeniose, exsculpere volunt. Tandem cum Mosi Deus dixisset, *nemo videbit faciem meam & vivet*, n. in hac terra viventium, eo delapsi sunt metus & timoris ut omnes Dei apparitiones lethiferas existimarent, & peculiari gratia se cumulatos reputarent, si post φρικτὴν & φοβερωτάτην θεοῦ ἐπιφάνειαν adhuc superesse,

ſe, & vitalem auram trahere illis concederetur. Quod cum fieret, admodum ſibi gratulabantur, & Deum gratum & facilem ſe expertos exiſtimabant. Hoc meo quidem judicio innuitur Exod. 24. verſ. 11. Aſcendit Moſes in montem cum ſeptuaginta ſenioribus Iſraëlis ואל אצילי בני ישראל לא שלח ידו ויחזו את האלהים ויאכלו וישתו Et ad illos 70. ſeniores, *principes & electos Iſraëlis non miſit manum ſuam Deus, & viderunt Deum & comederunt & biberunt.* Intentis ſatis oculis Deum in monte erant contemplati, electi iſti ſeniores, ſed nullum inde periculum ſibi creaverunt, nullam Deus illis inflixit plagam, viderunt Deum, ſed poſt iſtam viſionem comederunt & biberunt, לא שלח ידו בם *in illos manum ſuam non extendit Deus.* οὐκ διεφώνησεν οὐδεὶς inquiunt ſeptuaginta interpretes. Quod quidem reddiderunt, *nullus diſſenſit.* Unde quidam exiſtimarunt cuſam iſtam fabulam, qua 70. interpretes Scripturæ Sacrę vete-

ris Testamenti, in cellulis separatos, versioni legis ita incubuisse memorantur, ut licet separati & nullo modo collatis inter se operis & sententiis ita inter se convenerunt, ut nulla discrepantia, nullumque sententiarum dissidium in eorum codicibus licet diversis occurreret. Sed διεφώνησεν apud Græcos interpretes hoc in loco *Exodi* non sumitur pro *dissensit*. Sed pro *expiravit*, *defuit*, *læsus est*, *exanimatus est*, *mortuus est*, cujus significationis varia exempla extant in libris veteris Testamenti. Sic 1 Sam. 30. 19. καὶ διεφώνησεν αὐτοῖς *non defuit* eis. Sic Ezech. 37. 11. ἡ ἐλπὶς ἡμῶν ἀπόλωλε, διαπεφωνήκαμεν, *periit spes nostra occisi sumus*. Sic Num. 31. 49. οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς. Sic Josuæ 23. 14 *non cecidit unum verbum ex verbis quæ memoravi*, לא נפל οὐ διεφώνησεν. Quo verbo etiam usus est Symmachus Ps. 58. 9. כמו שבלול תמס יהלך ὥσπερ χόριον διαλυθὲν διαφωνεῖ. *Sicut fœtus secundinus perit*. Sic apud Chrysost. T. 1. ed. Angl. Saviliane p. 662.

662. διαπεφωνήκαμεν ἀπηγχηλώμεθα *sublati sumus & consumti.* Nec tantum Authoribus Sacris & Ecclesiasticis vos illa familiaris est isto sensu, sed apud Apsyrtum, & alios ἱππιατρικοῖς Occurrit etiam apud Hesychium διαπεφωνήκαμεν ἀπωλόμεθα & Moschopulu διαφωνεῖν λέγεται ὅταν ἐπιχείρησῃ τις ὑπὲρ δύναμιν βοῆσαι εἶτα μηδὲ ἀχανής. *Cum quis tanta vi & vehementia vocem intendit & clamat, ut evadat mutus & animam efflasse videatur.* Nisi dicamus hoc fluxisse ex consuetudine veterum qui mortuos, defunctos, conclamatos, voce & clamoribus annunciabant & significabant. Nullus ergo istorum seniorum qui cum Mose Deum viderunt exanimatus & conclamatus fuit, sed ut ingens beneficium narratur, quod post istam visionem superstites manserint, comederint, biberint, & vitæ tuendæ & testificandæ læti & incolumes indulserint. Sic Gedeon miratus se superstitem post istam apparitionem qua Deus illum modo dignatus fuerat

altare statim ædificavit, suæ gratitudinis futurum monumentum, quod יהוה שלום *Deus pax* indigitatum voluit, ut Dei placatam justitiam, misericordiam, clementiam posset repræsentare, quę vitę suæ pepercit, & impedivit quominus pondere gloriæ, & majestate divinæ apparitionis periret & obrueretur. Sed istud altare typice tantum dici potuit יהוה שלום *Jehova pax*. Erat tantum symbolum & monumentum. Christus vero ut ἀντίτυπον debuit esse realiter *Jehova pax*, cum non sit tantum monumentum & symbolum placatæ justitiæ Dei, sed instrumentum, medium ipsum, quo benevolentia Dei nobis est conciliata, & quo solo Deum impune possumus contemplari. Hinc dicit Apostol. 1 Cor. 3. in Euangelio *contemplamur gloriam ipsam Dei*, & *transformamur de gloria in gloriam*. Non perimus, non exanimamur, sed est tantum mutatio, metamorphosis, sicut fiet in vivis, extremo judicio, & nullus nunc relinquitur metus ne ma-

majeſtatis divinæ pondere conteramur & obruamur Sic 1 Tim 3. *Myſterium pietatis eſt magnum Deus eſt manifeſtatus in carne.* Epheſii quorum Timotheus erat Epiſcopus Dianę ſuæ latebras jactabant, & illam impune videri non poſſe ſplendide mentiebantur. Sed inquit Apoſtolus *Myſterium ingens* non Myſteria Dianæ vobis annuncio, *myſterium pietatis*, non pudenda myſteria, *Deus*, *Deus ipſe manifeſtatus eſt in carne*, & illius epiphania, totum terrarum orbem gloria, vita, ſalute benigne cumulavit. Oppoſitione etiam ad Hebræos qui Dei periculoſas apparitiones exiſtimabant. Sed inquit Apoſtolus Deus maniſeſtatus eſt *in carne*, non in aëre, igne, nube, rubo, Tabernaculo, Sanctuario, ſed Deus manifeſtatus eſt *in carne*, & omnibus illum contemplantibus, nunc licet eſſe lętis, beatis, vivis & immortalibus. Divinitatem & carnem æternis vinculis ſociavit, & Deum in ſe ipſo præſentem ita prodidit, ut

omnibus fidelibus videndum, contrectandum, & amplectendum illum exhibuerit. Unde non tantum typice, symbolice, & ut monumentum dicitur יהוה שלום sed vere & realiter dicitur *Deus pacis* vel *Deus pax*, quia revera Deus eſt, & æternam pacem nobis conciliavit.

§. 13. Nec plus roboris invenient adverſarii in loco *Ezechielis ultimo*, ubi Hieroſolyma dicitur nominanda יהוה שמה *Jehova Schamma.* Deus eſt ibi. Nam ex verbis ſatis intelligitur Hieroſolymam non vocari Jehovam ſed de Deo dici quod ſit in illa. Sed cum de *Meſſia* dicitur quod ſit *vocandus Jehova juſtitia noſtra*, nihil hic memoratur de Deo in Meſſia, ſed de Meſſia ipſo qui ſit futurus juſtitia noſtra, ac proinde Jehova. Deinde ex iſtoloco Ezechielis ſatis etiam evincitur quod Meſſias ſit futurus Jehova. Nam dicitur de Eccleſia & Hieroſolyma Chriſtiana quod Jehova debeat in illa eſſe & in illa habitare. Quis vero proprie

prie habitat in Eccleſia Chriſtiana niſi Chriſtus. Hinc ipſe dicit, *ubi eritis duo vel tres in nomine meo congregati, ero in medio veſtrum.* Sic Math. 28. *ego ero vobiſcum ad conſummationem ſæculi.* Sic Apocal. 2. *eſt inter 7. Eccleſias* quas regit, moderatur, tuetur, illuſtrat, quaſi præſentiſſimus eorum opitulator. Sic dicitur Joh. 1. ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *habitavit inter nos.* ſic habitat in cordibus fidelium ſuorum. *Chriſtus* inquit Apoſtolus *vivit in me* Galat. 2. Sic *pater & ego veniemus & habitabimus apud illum* Joh. 14. 23. & *apud ipſum* μονὴν ποιήσομεν *manſionem faciemus.* Quæ omnia de Chriſto dicuntur, & de Meſſia vero Deo tantum poſſunt intelligi. Nam quis Angelorum unquam dixit ero in medio veſtrum. An Moſes vel alius propheta talibus verbis ſe unquam deſignavit, ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſæculorum. An Moſes vel Joſua nobis repræſentantur ſtantes inter populum, tutela ſua illum

illum vindicantes & populi commodis æternum invigilantes? An dicebant veteres, non vivimus nos, ſed Moſes vivit in nobis, an Moſes vel Angelus, vel Summus Sacerdos unquam dixerunt, nos & Deus veniemus & apud vos habitabimus. Hoc reſervatur Chriſto, qui ſi vel Angelus vel homo tantum foret, impar foret illius tutela, vanum patrocinium, vanæ fluxæ inutiles forent illius pollicitationes; ſed eſt Jehova, Jehova in Eccleſia, Jehova in illa, non amplius illam inhabitans, per Tabernaculum, Arcam, Sed immediate, perſonaliter σωματικῶς, ſecus, in Eccleſia Chriſtiana Deus non habitaret, nobiliori & excellentiori modo quam in Eccleſia Judaica. Eſt ergo יהוהשמה *Deus ibi*, quia in ea habitat Chriſtus eſſentia ſua divina, protectione & tutela, Spiritu, gratia, beneficiorum diſtributione & communione, & præcipue juſtitia ſua, qua revera denominatur יהוה צדקנו.

§ 14. Nec

§ 14. Nec est quod ad evertenda quæ superius operose commemoravimus objiciatur Locus Jerem. 33. 16. ubi *Hierosolyma ipsa* videtur *vocari Jehova justitia nostra.* Sic enim loquitur propheta בימים ההם תושע יהודה וירושלים תשכון לבטח וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו *in diebus illis salvabitur Iuda & Hierusalem habitabit in fiducia & iste qui vocabit illam Iehova justitia nostra.* Quæ ad verba textus nostri quam proxime accedunt. Et videntur innuere ipsam Hierosolymam eodem nomine designandam quo Messiam vocandum superioribus capitibus vicimus. Sed primo possumus provocare ad *Pagninum* & *Ariam Montanum*, Testes omni exceptione majores, de literis Hebraicis optime meritos, & in hac controversia non leviter repudiandos. Existimant quippe locum istud sic reddendum, *in diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit in fiducia, & ille qui vocabit illam est Jehova justitia*

tia nostra, adeo ut hîc, *est*, suppleatur, זה & אשר cujus suppletionis exempla frequentia occurrunt in Scripturis Sacris. Qua interpretatione multum abest ut fecerint quod sperant adversarii, quin potius contrarium evincitur, & Hierosolyma non dicitur nec vocatur Jehova justitia nostra, sed quod ille qui debet illam vocare, convocare, congregare, sit vocandus *Jehova justitia*, ita ut privilegium sit peculiare Messiæ indigitari nomine Jehovę justitię nostrę, qui Jehova justitia nostra, Vocat Ecclesiam non vi, non violentia, sed benigna, suaviq; vocatione, illam trahit funibus & vinculis humanitatis, & Charitatis, & ut gallina pullos, sic Hierosolymam colligit, & congregatam fovet & tuetur alis misericordiæ, & justitiæ suæ. Deinde verba Prophetæ וזה אשר יקרא לה sic reddi possunt & *hoc est nomen quo vocabitur illi. Jehova justitia nostra.* Nomen nimirum quo illi Hierosolymæ vocabitur
Mes-

Messias, est, Jehova justitia nostra. Hoc patiuntur regulæ Grammatices, & textui nulla vis infertur ista inpretatione. Huic tamen & altera potest addi, nimirum hic esse enallagen generis & hic non agi de nomine Hierosolymæ sed de nomine Messiæ, qui sit vocandus Jehova justitia nostra, ut cap 23 jam propheta notaverat. Idem inculcat cap. 33. ubi licet לה pronomen fœminini generis sumi potest pro לו quod est masculini, adeo ut non Hierosolyma vocanda dicatur *Jehova justitia nostra*, sed וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו *hoc est nomen quod vocabitur illi nimirum Messiæ*, non vero Hierosolymæ. Ista vero generis enallage non debet quemquam turbare. Nam qui vel leviter Hebraica delibarunt, facile poterunt animadvertere istam figuram in Scripturis esse usitatissimam. Sic Exod. 29 41. לה fœmininum sumatur pro לו masculino & respondet הַ כבש quod est masculini generis. Sic Ezech.

Ezech. 17. 7 אותה fœmininum ſumitur pro אותו & reſpondet לנשר quod eſt maſculini. Sic Zach 3. 1. לה fœmininum reſpondet צִיוֹן הַר monti Sioni, cum nomen iſtud ſit etiam maſculini Hoc patet etiam Gen. 4. 7. ubi חטאת *peccatum* fœminini generis jungitur cum רבץ participio maſculini. Patet & ex Jerem 4. 30. ubi שדוד maſculinum participium ſumitur pro *vaſtata* & ex Jerem. 44. 19. ubi מקטרים participium maſculinum dicitur etiam de fœminis ſuffumigantibus, & thus adolentibus. His diligens textus Hebraici indagator, junget Ruth. 1. 8. Eſth. 1. 20. Eccleſ. 12. 5. Sed à Bellarmini inverecundia, & perfidia abhorrebit, qui Geneſ. c. 3. in ישופך & תשופנו maſculinis, fœmininum contineri aſſerit per enallagen generis, ut poſſit patrocinari errori craſſiſſimo qui obtinet apud pontificios quoſdam, beatam nimirum virginem contriviſſe ſemen Serpentis, cum laus iſtius contritionis & victoriæ omnino in ſemen mu-

mulieris solùm debeat redundare, nullâ hic necessitate cogente enallagen generis hoc in loco admittere. Secus tamen fit variis in aliis locis, quod observavit Judæus ipse *Kimkius* ad Hos. 4. 19. Jer. 3. 5. & Jer. 4. 30. ubi sic ille Doctor inter suos magni nominis, לכנסת ישראל ידבר פעם לשון נקבה׃ פעם לשון זכר וכל אחת מהן נכון *aliquando de Synagoga Israëlis loquitur Scriptura, fœminino genere, aliquando masculino, & unumquodque ex illis rectum est.* Quæ cum ita sint, & apud omnes fidem integram mereantur, nemo mirari debet si hoc in loco Jerem. 33. fœmininum accipiatur pro masculino, & לה sumatur pro לו adeo ut sensus horum verborum *sit* זה אשר יקרא לה *istud est nomen quod vocabitur illi*, & per לה *illi*, non sit intelligenda Hierusalem, sed Messias ipse, qui cum cap. 23. vocatus fuerit *justitia nostra*, eodem etiam nomine designatur, Jerem. 33. Sed si hæc licet verisimilia aliquem minus moveant, & supersit semper scrupu-

lus qui istis exemplis non satis possit avelli, quidni possimus addere, istud לה revera esse intelligendum de *Hierosolyma*, sed tamen hic non agi *de nomine* quo Hierosolyma debeat *vocari*, sed de eo quem Hierosolyma debeat *invocare*. Et revera vox שֵׁם quę *nomen* significat, hic non occurrit, sed occurrit tantum זה pronomen demonstrativum *ille iste*, Sic enim loquitur Propheta וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו & *ille qui vocabitur* id est *invocabitur illi* (Hierosolymæ) *est justitia nostra*. Quibus elegantissimis verbis propheta respicit beata tempora Hierosolymæ Euangelicę, quæ Messiam debent agnoscere, illum *invocare*, & illum *invocare* non amplius creatorem, legislatorem, vel liberatorem ex captivitate Babylonica aut Ægyptiaca, sed ut *Jehovam* qui promissionem Euangelii implevit, & tandem caro factus est, ut *Jehovam justitiam nostram*, justificatorem nostrum, qui merito & satisfactione sua ju-

justitiam nobis comparavit, non legalem, non typicam & ceremonialem, sed æternam, & quâ coram Tribunali Dei decretoria sententia liberati à condemnatione & maledictione æterna, gaudiis & voluptatibus cœlestibus æternum possidendis tandem adjudicamur. Sed ut nulla elabendi rima infensioribus hostibus relinquatur, addimus, & istud, vocem nimirum לה sumi posse pro עלה adeo ut verba illa hunc salutarem fundant sensum, & *ille est qui vocabitur super illa Jehova justitia nostra* וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו. Nomen Dei vocatur super Ecclesiam V. T. sed super Ecclesiam Euangelicam, nomen Dei & Jehovæ justitiæ nostræ vocabitur. Adeo ut sit futura Ecclesia יהוה צדקנו *Jehovæ Justitiæ nostræ*, imo ratione suę unionis cum Jehova justitia nostra, possit etiam aliquo modo dici *Jehova justitia nostra.* Nam sicut Ecclesia dicitur Christus quia cum Christo arctissimis & indissolubilibus vinculis unitur & sociatur; eadem ratione di-

ci poteſt Jehova juſtitia noſtra propter eandem cum Jehova unionem & ſocietatem. Sic 1 Cor. 12: 12. καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἕν ἐστι, καὶ μέλη ἔχει πολλὰ, οὕτω καὶ ὁ Χριστός. *Sicut unum corpus eſt, & habet multa membra, ſic Chriſtus* id eſt, Sic Eccleſia quæ dicitur Chriſtus propter unionem cum Chriſto, Sic Rom. 9: 3. ηὐχόμην ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ Χριστοῦ, *cupio eſſe anathema à Chriſto* id eſt ab *Eccleſia* quae dicitur *Chriſtus* propter intimam iſtam unionem qua cum Chriſto jungitur. Sic *Eccleſia Judaica* dicta eſt *Filius Dei.* Hoſ. XI. quia unita & juncta jam erat filio Dei, quem revera Deus ex Ægypto liberavit Matth. c. 2. Quid impedit ergo quominus *Eccleſia* dicatur *Jehova juſtitia noſtra* propter eandem rationem, cum mariti, & capitis nomina propter unionem cum uxoribus, & membris, ſuper illa vocari ſæpe ſoleant. Quod multum abeſt ut lędat gloriam Domini noſtri, imo illam magis adſtruit, & argumento invicto hoſtium Chriſti temeri-

ritatem ſtringit & coërcet. Nam ſi Eccleſia dicatur Jehova juſtitia noſtra propter unionem cum Chriſto, quia Chriſtus eſt illius caput, eſt illius maritus, & nomina maritorum & capitum ſuper membra & uxores vocentur, certe Chriſtus debet eſſe Jehova juſtitia noſtra, multo nobiliori modo & propter quod aliquid eſt tale, illud eſt magis tale; & ſicut capita & mariti, proprie & abſolute deſignantur nominibus quibus uxores, & corpora, improprie & relative tantum deſignantur. Sic nomen יהוה צדקנו quod tribuitur Eccleſiæ improprie & relative, debet proprie & abſolute tribui Domino noſtro Jeſu Chriſto, cum propter illum ſolum, Eccleſia tam honorifico nomine ornetur & decoretur. Jam vero de Chriſto idem dici non poteſt, & propter talem unionem non poteſt vocari Jehova juſtitia noſtra. Nam non eſt corpus Dei ſicut Eccleſia eſt corpus Chriſti, & non eſt uxor Dei ſicut Eccleſia eſt uxor *Domini* Jeſu. Qua

ergo ratione Christus diceretur Jehova justitia nostra. Nam nullæ aliæ uniones patiuntur talem nominum communicationem. Est quippe unio per creationem, unio per conservationem, unio per conceptionem, unio per Sanctificationem, unio per munus, sed propter omnes istas uniones, nec creaturę, nec beata virgo, nec fideles, nec prophetę dicuntur Deus sed ex unione personali & matrimoniali, jura fluunt & derivantur ejusmodi nominum communicationes. Quæ cum non occurrant in Christo, & secundum Photinianos cum Christus non sit corpus Dei, nec sponsa Dei, debet Christus dici Jehova, & Jehova justitia nostra, non quia sponsa & corpus Dei ut Ecclesia, sed propter nobiliorem unionem, propter personalem & hypostaticam unionem cum Deo, & quia Christus est vere, realiter, absolute, Jehova, & יהוה צדקנו.

§ XIV. Unde patet Veritas, & dignitas Religionis Christianæ, quæ

ad

ad creaturarum pedes non devolvitur, quę infra majestatem suam non se demittit, quæ ψιλὸν ἄνθρωπον colere à se non potest impetrare, nec in brachio fragili carnis recumbere; & spes suas collocare, sed in eo qui Deus est æternus, & vere & realiter est & dicitur *Jehova* Quæ naturam peccati sola potuit ut est, perspicere, cum Judæi in ea plane cęcutierint, & Gentiles & Ethnici per totum terrarum orbem illam non potuerint animadvertere. Quæ naturam satisfactionis pro peccato sola potuit docere, cum apud Judæos multa docerentur ad satis factionem prorsus ineptissima, & apud Gentes ea obtruderentur, quibus peccatorum robur & color potius accenderetur & duplicaretur, multum abest ut illis peccata minuerentur, vel quicquam detererentur. Quæ Dei honori ita consulit, ut non alia justitia quam divina & æterna, illi fieri posse satis argumentis invictis ostendit & persuadet. Quę omnę bonum tollit homini, & Deo soli tri-

 buit;

buit; Quę omne malum tollit Deo, & homini adscribit. Quę conscientiam placari statuit ad solam pręsentiam pretii infiniti quo omnia debita nostra dissolvuntur & expunguntur: Quę deniqne justitiam commendandam & depredicandam tradit, quę sit aeterna, communis omnibus omnino fidelibus, qua vetus & nova Ecclesia junguntur, militans & triumphans sociantur, communio Sanctorum stringitur & fovetur, & qua via recta sternitur ad beatitudinem cœlestem, quae solum consistere potest, in visione, unione, possessione יהוה צדקנו.

§ XV. Illi, lector si Christiane sapis, gratias quas poteris rependes maximas. Nam cum esset Jehova voluit esse homo, cum esset aeternus voluit nasci & mori, cum esset justitia, & qui te jure poterat conterere & ad Tartara detrudere, voluit esse justitia tua, & cum suo dispendio quasi contra se ipsum tibi patrocinari, cum esset Jehova justitia, tu vero cinis & pul-

pulvis, voluit aliquomodo Ecclesiam suam esse Jehovam justitiam, te pro amissa justitia humana, ad aeternam assurgere, communionis suae gloria te cumulare, imo ipsius naturae divinae participem te reddere.

Ἐις γὰρ χάριν τὴν ταύτῃ πάντα συντείχει
Θεὸς βροτωθεὶς, ὡς θεώσῃ τὴν φύσιν.

Τ Έ Λ Ο Σ.

INDEX.

Verborum & rerum, in hâc dissertatione *Clarissimi Stephani Lemoine*, de *Jehovah justitiâ nostrâ*, occurrentium.

Voces *Hebraicæ* & *Græcæ*, quibus emphasis videbatur inesse, huic indici passim inspersæ sunt.

A.

Ajie-

Bacchi

Enal-

Florus

G.

H.

Hiëro-

 ni-

navigii

K

L.

M.

S.

W.

X.

E R R A T A.

Pag. 3. l. 21. Favendis lege fovendis. pag. 16. lin. 4. עריקים pro צריקים. p. 19. l. 1. יסוי pro יכוח. p. 27. l. 5. vere *pro* fere. p. 28. l. 4. ליםאלי *pro* אלילים. p. 39. l. 10. *θεοῖς pro θεοῖο.* p. 167. l. 18. נמקים *pro* בסקום. p. 189. l. 16 *ἰσκαβγαζοντα pro ἰχατογίζοντα.* p. 190. l. ult. annal *pro* ampl. p. 226. l. 8. *ἐντάκαι pro ἐντάκται.* p. 239. l. 13. צדקני *pro* צדקנו. p. 271. l. 5. *μεμυσμένους pro μεμνημένους.* ibid. l. 23. istud *pro* istum.

STEPHANI MORINI
Cadomensis olim, nunc Amstelodamensis Ecclesię Pastoris hujusque Athenæi Professoris.

DISSERTATIONES OCTO.

In quibus multa sacræ & Profanæ Antiquitatis monumenta explicantur.

Editio secunda.
Priori Auctior & emendatior.



D. ORDRACI
Apud THEODOR: GORIS, Bibliopol.
CIↃ IↃ CC.

CLARISSIMO, REVERENDOQUE

VIRO DOMINO

FR: TURRETTINO,

VERBI DEI MINISTRO

ET

S. THEOLOGIÆ PROFESSORI,

IN

GENEVENSI ACADEMIA

Celeberrimo.



Ir Præstantissime,

Tanta ſemper fuit tuæ apud me commendationis auctoritas, & eorum, quos mihi commendaſti pręſtantia, ut vota eorum officiis prævertere ſtuduerim, poſuerimque in lucro eorum commodis inſervire; imprimis eximium affinium par Ornatiſſimi Picteti, me totum habuerunt addictiſſimum, & cùm intima cordis mei penetralia ipſi patuerint, occludi non potuit Muſæum, ſi quidem Muſarum θύραι ἄθυροι ſponte eſſe

 de-

debeant: quamobrem quaſdam diſſertationes ſolo ſitu & pulvere obſitas nullo negotio obtinuerunt. Propoſitæ dumtaxat earum editioni aliquantiſper repugnavi, quod putarem non tanti eſſe momenti aut pretii, ut earum cauſa torquerentur prœla, & operarii deſudarent: verum eadem ratio etiam coegit cedere, ne leviori fundamento diuturna contentio inniteretur.

Præterea vix mihi ullum jus in illas competere ab eo tempore, quo, ad eos, quibus inſcribuntur, emiſſę fuerunt, judicavi; eas igitur ad eorum arbitrium contuli; modo non niſi ex tua ſententia ederentur, & nomen tuum præferrent; quam conditionèm ut benevolè admittas rogo te, atque obſecro.

Verùm miraberis forſitan, quòd tot Viri Docti has quæſtiones mihi propoſuerint, Davus enim ſum non Oedipus: huic arcano promendo genium urbis noſtrę ad literas literariaſque diſſertationes propenſum poteſt inſervire; amœna nempe eſt, &

in-

inter læta prata, agros feraces, variásque maris non nimis propinqui commoditates modicè assurgens purissimum aërem, & omnigenas delicias largitur civibus, sicque eos ad artes industrios, & ad omnes scientias idoneos plurimum alit: hinc ipsi non sufficit Acàdemia præstantissimis omnium doctrinarum Professoribus instructissima: sed alteram sub inclyti Herois Ducis *Montauserii* Provinciç præfecti auspiciis insuper habere voluit ex viris omnium ordinum conspicuis selectam, quæ nullis disciplinis aut studiis singulatim astricta de omnibus semel in hebdomada liberè ageret, propositasque ab uno quoque Academicorum, aut à quovis amicorum super eis difficultates satageret explicare. Simulatque instituta est Illustris hæc Academia, famam longè latéque dispersit, quia magnis clarebat nominibus, quç in orbe literato ut majora lumina suspiciebantur; revera plerique in suo genere excellebant: si fundenda carmina, aut de iis judicium ferendum

Briosius, *Segræsius*, & doctarum decus immortale sororum Hallæus his officiis mirabiliter fungebantur, ipsissimique Musarum lepores ex eorum ore videbantur effluere: Si de abstrusissimis Græcorum, Romanorumve, aut cæterarum gentium antiquitatibus, vel de Philosophiæ arcanis, linguarumque originibus quęstio haberetur Neuræus Longavillanorum Principum disciplinæ præpositus, Grandorgæus in Philosophicis versatissimus, Roquæus instructissimum patriorum institutorum penu, *Huetius* felici Serenissimi Delphini institutione, & tanta tamque varia doctrina celeberrimus, Palmerius Grentemesnillæus fortium Virorum Doctissimus, & Doctorum fortissimus à *Bocharto* habitus, denique Bochartus ipse ingens omnigenæ eruditionis miraculum (nam omnes enumerare non convenit, & ex his licet de cæteris judicare) hi, inquam, omnes ad respondendum semper erant paratissimi: quamobrem frequentissimę consultationes modo ad totum consessum,

mo-

modo ad ſingulos Academicos undique delatæ ſunt. Jam vero ſufficiet dicere me, licet immerentem inter hos illuſtres Academicos allectum, eoſque ſuis ſplendoribus mihi affulſiſſe; quare nonnulla etiam cum Doctiſſimis Viris literarum habui commercia, & plurimæ, circa diverſa argumenta ſententiam meam explicandi occaſiones occurrerunt.

Sic Nobiliſſ. *Brioſius* Academicis, quos domo in media urbe magnificè conſtructa excipiebat, materiam diſſerendi, cum aliunde deerat, ſuppeditare ſolitus, petiit, unde fluere potuerit mos, quo ſal urbium ſempiterno exitio deſtinatarum ruinis aſpergebatur. Sic Illuſtriſſimus Comes *Matignonæus* noſtræ Normannię prorex, qui palantes poſt Brioſii ex hac vita ad meliorem diſceſſum Academicos recollegit, cum ejus aſſiderem menſę, & de Oraculis antiquorum ſermo incidiſſet, atque de iis, ut epulæ patiebantur, diſſeruiſſem, voluit ut proximo conventu eadem liberius retractarem. Sic dum abeſſet,

& amplissimus Dominus *Meliand*, libellorum supplicum Magister, & tunc inferioris Normannię Intendens optasset, ut in ejus aedibus hospitaremur, communi omnium consilio, originem atrocis calumniae, qua Christiani, capitis asinini adorati dicebantur rei, scrutatus sum. Alias Torodaeus inter præstantissimos Academicos rara & recondita doctrina, longisque itineribus ad antiquae Graeciae illustrationem confectis, clarissimus, à Doctissimo *Huetio*, super difficilibus S. Hieronymi de S. Pauli verbis consultus, meam sententiam audire voluit. Huetius ipse mecum egit de Lacedæmonum cum Judęis cognatione; & paulo post *Justellus* illustre nunc Angliæ lumen, illam adeptus Epistolam cum ornatissimis Viris, qui Parisiis domum ejus tunc frequentabant, communicavit, occasionemque alteri, priorem confirmanti, tribuit. At de divortiis quaestio fortuito nata est in eximio cœtu matronarum & virorum illustrium, illis autem eam agitantibus superveni, roga-

rogatusque, sententiam dixi, quæ convenire arbitrabar, assensumque facilem impetrabam, nisi nonnulli reclamassent, atque adversam Romanę Ecclesię sententiam opposuissent: quapropter amplissimus Hercules Valquelinus Dominus *Des Yveteaux*, in Sacro Regis Consistorio Consiliarius & supplicum libellorum Magister, qui aderat, obtinuit, ut scripto antiquae & recentioris Ecclesiae super hac controversia fidem exponerem. Ad herciscundos Stoïcos denique quod spectat, hujus elogii rationem à me petiit amicus noster Dominus *Le Moyne*, Leydensis Academiae praeclarum ornamentum, quia tunc ab illo id petebatur & materiam Epistolae, quam ad me meditabatur, gratis fecit: scis enim, inexhaustam, variae ejus eruditionis scaturiginem, tenui rivulorum irrigatione non indigere. Ob similes & diversas rationes compulsus fui scribere, plurimasque alias habeo dissertationes, quae possent subsequi, si hae non displicerent, & tempus concederet: sed eheu! ad-

dictam gravioribus studiis mentem etiam avocat, & innumeris angit molestiis, verum his dabit quando volet Deus finem, qui te interea sospitet. Vale Vir Clarissime & solita tua benevolentia perge beare. Morinum tuum. Cadomi è Musaeo nostro Calend. Jun. an. 1683.



LEC-

LECTORI BENEVOLO BIBLIOPOLA.

S. P. D.



Emo, qui vel leviter literis adsperſus eſt, ignorat Cl Virum STEPHANUM MORINUM *Cadomenſis olim, nunc Amſtelodamenſis Eccleſiæ Paſtorem hujuſque Athenæi Profeſſorem digniſsimum, Tanta enim ſunt V. Cl. in Rempublicam Literariam merita, tot elegantiſsimis Eruditiſsimiſque ſcriptis probata, tot elogiis celebrata, ut de eo aliquid dicere, ſit Tua patientia abuti B. L. Præfandum tamen aliquid in limine hujus editionis duximus, ut Tibi conſtet quibus conſiliis, & qua occaſione hanc novam editionem adornavimus. Certe inter limatiſsima V. Cl. ſcripta ut ordine ſunt priores, ſic nec eruditione po-* ſtre-

ſtremum locum ſibi vindicant hæ diſſertationes octo, quas nunc rurſus in dias luminis auras emittimus, teſtantur id V. D. qui eas citarunt & laudarunt. Editæ fuerunt Genevæ anno æræ Chriſt. 1683. *Verum cum earum exemplaria vix in Bibliopoliis inveniri, comperti fuiſſemus, Conſilium inivimus ſuaſu & hortatu V. Cl.* SALOMONIS VAN TIL, *illas denuo typis noſtris deſcribendi, quod eo lubentius fecimus, quia diſſertatio V. Cl.* STEPHANI LE MOYNE *in Jer.* 23 *quæ typothetarum operas hactenus exercuerat, jam abſoluta erat. Hæc, cum juſtum, ut dicunt, volumen facere non poſſet, has jungere ſtatuimus, ut & ingeniorum eorum fœtus, qui patria & amicitia per totum vitæ curriculum conjuncti erant, juncti legerentur. Accedit quod vir Rev.* JOH. JANSONIUS, *Argumenta harum diſſertationum in proprios uſus in unam quaſi ſummam collecta, ut unico intuitu, quid quævis diſſertatio contineret oculis ſubjiceretur, nobis benigne & amice communicare voluerit*

cum-

cumque illa argumenta ita contracta sint incitamentum lectorum, lectionis compendium & memoriæ levamen, ea cuivis dissertationi suo loco præfiximus. Verum nequid invito Authore moliremur, ipsum Cl. MORINUM per amicum convenimus, rogantes ut proposito nostro suum calculum adjiceret, & si quid haberet, quod ad ulteriorem hujus editionis ornatum, poßit conferre, benigne indulgeret. Annuit V. C. qua est humanitate, nostris votis suumque exemplar non paucis in locis emendatum variisque additamentis locupletatum ad nos dedit. Quare B L. si quid utilitatis, si quid commodi ex hac nova editione, (quam priori longe emendatiorem & auctiorem fore spondemus) in Te redundat, id omne debes, Humanitati Cl. AUTHORIS, *Consilio Cl.* SALOMONIS VAN TIL *industriæ denique & laboribus V. R.* JOHANNIS JANSONII. *Vale. Dabamus Dordraci ipsis Cal. Januarii anni Jubilæi* 1700.

SYL-

SYLLABUS
DISSERTATIONUM.
DISSERTATIO.

VI. De

VI.

De divortiis & eorum uſu.

VII.

De Capite Aſinino, Deo Chriſtianorum, per calumniam à Gentilibus, dicto.

VIII.

De Oraculis & cur deſierunt.

Lectores interim moniti ſint, ſuperſcriptiones harum duarum diſſertationum, nimir: III. & IV. ex incuria quadam, male impreſſas eſſe.

STE-

STEPHANI MORINI DISSERTATIO I.

AD

CLARISSIMUM HUETIUM REGII DELPHINI INSTITUTIONI PRÆFECTUM.

DE

Cognatione Lacedæmonum & Hebræorum 1 Macch. 12: 21.

ARGUMENTUM.

Jannis & Jambris *dicterium in* Mosem תבן אתא מביא לעפריים, Tu in Ephræmum *stramen infers. Locus obscurus* 1 Macchab. 12: ỷ. 21. *de Cognatione* Lacedæmonum & Hebræorum *Examini subjectus. Hujus cognationis etiam apud* Josephum *mentio. Magni* Scaligeri *in hâc re ἀπορία.* Bocharti *opinio. Appellatio fratrum, aliquando significat confœderatos & Amicos: Quod variis testimoniis, cum ex profanis authoribus, ut* Polybio, Tacito, Lucano, *tum etiam ex*

ſacris *evincitur.* Judęi & Lacedæmones *non tantum fratres, ſed utrique etiam ab* Abrahamo *orti.* Grotii *&* Huetii *opinio; nimirum* Lacedęmones *ab antiquis* Pelaſgis, *&* Pelaſgos *ex* Abrahami *proſapiâ, originem duxiſſe.* Pelaſgi, Hebræorum פלגי, Diſperſi; *obſervante eodem* Grotio. Abrahamus *non fuit* Pelaſgorum *parens.* Pelaſgus *gentis author, non Barbarus, verum* αὐτόχθων, *indigena; quod* Pauſanię, Servii, *&* Dionyſii Halicarnaſſęi *teſtimoniis probatur.* Pelaſgi *omnium* Græcorum *antiquiſsimi* Arcades προσελήνοι, *à* Pelaſgis *oriundi. Univerſa* Græcia *olim* Pelaſgia *dicta.* Pelaſgi Abrahamo *&* Cethurâ *antiquiores.* Pauſaniæ *de* Pelaſgo, *rege primo teſtimonium. A* Javane *dicti ſunt* ἰάονες, *ſeu* Iones *& ab* Eliſâ, ἕλλας. Pelaſgus Παλαιχθων. Pelaſgus *primus, diſtinguendus à* Pelaſgo, Jovis *&* Niobes *filio. Deorum filii, dicti, quorum parentes igno-*

ignoti: vel, ob quandam, cum ipſorum dotibus convenientiam: Quod in Romuli *&* Remi, Ariſtomenis, Alexandri, Arati, Marii, Heroum Homeri, *aliorumque Exemplis, pateſit, Nepotes, Avorum nomina referentes, quod variorum exemplis oſtenditur.* Pelaſgi *non ab* Abrahamo, *ſed* Abrahamus *à* Pelaſgis, *oriundus; Adſtruente* Salmaſio. Idumęi, *ad ſtabiliendam* Judæos *inter*, & Lacedæmones *affinitatem idonei.* Idumæi Judaeorum *fratres.* Idumaei *in* Graeciâ. Idumaei Hebraicè. אדמים. *Nulla* Graecorum *terminatio in* M, *ſed fræquentiſſima in* N. *Ex* Edom, *fiunt* Ἠδων, Ἠδώνις, Ἠδωνοὶ, Ἠδῶνες: *Itemque* Ὀδόμαντες, Ὀδόμαντοι, Ὀδομαντικὴ Hebraicum א *indifferenter vocalem* E, *&* O, *recipiens.* Edonii, *ſive* Odomantes, *à* Judacis *oriundi, & genitalia circumciſi, Teſte* Ariſtophane. Ἀποθριάζειν, *quid?* Odomantes ἐσκοροδισμένοι, Alliati. *Allia,*


apud Israëlitas, *in deliciis.* Israëlitae pyramidum *structores.* Κρομμύων, Caepetum. *Allia, & Caepae, apud* Graecos, *vilium & abjectissimorum hominum cibus; Teste eodem* Aristophane. Θύμος, *Caepa agrestis, ex* Judaeâ, *in* Graeciam, *&* Thraciam *translata.* Iudaei Iudaeae *tenaciter adhaerentes, nec facilè alienas terras petentes. Victimae, Vota, Sacra fere omnia, & Judicia Capitalia* Iudaeae *affixa. Extra* Iudaeam *exulantes miserrimi.* Iudaeorum *recentiorum de mortuorum revolutione subterraneâ, fabulae. Loci Ezech.* 37:12, 13 *explicatio* Rabbinica. *Templum* Oniae, *in* Heliopolitanâ Ægypti *regione.* Idumaei, *ab* Hyrcano *domiti, circumcisionem & ritus* Iudaïcos *admiserunt, Teste* Iosepho. *Omnes mares* Idumaei *à* Davide *occisi* 1 Reg 11:16, 17. *Quomodò intelligendum?* Iudaeorum *appellatio, ad illos extensa, qui religionem*

Iu-

Iudaïcam *amplectebantur* מתגירין מתיהדים, *Esth* 8:17. *Objectioni satisfit. Lux affertur loco, Jer.* 9: 25. 26. Theodoreti, *&* Hieronymi *annotatio.* Edonii *sive* Odamantes Lacedaemonum *fratres & Consanguinei.* Pelasgi *in* Thessaliâ, Thraciâ, *& vicinis insulis.* Dionysii Halicarnassaei, Marciani Heracleatae, *&* Iustini *testimonia.* Italia *primitus à* Pelasgis *culta* Pelasgi *in* Joniâ, Atticâ Ætolia, Epiro, Macedoniâ, *&* Graeciâ *universâ* Θρησκεία, & Θρησκεύειν, *à* Thracibus *denominata* Thraces *à* Pelasgis *sacris initiati.* Dodonaeum *oraculũ* Pelasgorũ *institutum* Ζεὺς Πελασγικὸς. Idumaei *cum* Thracibus, *in unum eundemque populum concreti* Pelasgi *&* Edones, Βάρβαροι, & δίγλωσσοι. Idumaei *Subjugatâ à* Davide Idumaeâ, *per varias regiones dispersi Ingens* Idumaeorum *&* Cananaeorum *multitudo à* Josuâ *pulsa* Idumaei *&* Cananaei *foederibus* & *affinitatibus juncti. Loca,*

ca, Exod. 15:15. *Numer.* 24:18. *illustrata.* Cadmus *non tam viri nomen, quam populi inter* Cananaeos *celebris.* Cadmus, Cedma, Cadmonaei Cadmonaeorum *in* Hermone *monte habitatio.* Harmoniae *fabula, ex* Hermone *monte oriunda.* חוים. Hevaei, *alterum* Cadmonaeorum *nomen, Serpentes significans.* Phœnix Cadmi *frater, & comes.* Cananaea Phœniciae *nomine designata.* Justini Martyris *&* Dionis *testimonia.* Cadmi *&* Phœnicis *& Sociorum, profectiones.* Bisaltarum *regio, eadem, quam* Odamantes *sive* Idumaei *tenuerunt.* Phœnix Achillis *educator, à* Cadmo *&* Phœniciis *ortus.* Eudoxiae Atheniënsis, *ad* Hierosolymitanos Iudaeos *vox.* Cadmus Thebarum *conditor.* Theba, *à* Phœniciâ *voce* תבה. *Fabulæ, de Serpente à* Cadmo *occîso, & ejus dentibus seminatis, significatio.* זרע, *semen, & Liberi.* Dentes, *id est,* Phœ-

Phœnicum & Hebraeorum *sermone*, *vires*, *præsidia* & *arma*. שין, à שנן, *ferrum acuere* Tzetzis *hujus fabulae expositio. Socii* Cadmi Σπαρτοὶ *nominati. Variae*, *hujus appellationis rationes.* Lacedaemones Spartani *vocati*, *quasi à* Spartis *oriundi*, *teste* Stephano *de urbibus.* Lacedaemon *à* Phœnicius *sic vocata*, *quasi* לקדם, Orientalis. Bacchus, *secundum* Clementem Alexandrinum, *à* בכה *flendo*, *dictus.* Adonaeus, *ab* אדוני. Hieronymi & *aliorum*, *Loci Ezech* 8: 14. *elucidatio.* Iudaea ἀπὸ Ἰουδαίου Σπαρτῶν, *denominata*; *Teste* Claudio Iolao, *apud* Stephanum *de urbibus. Comitium* Spartae, *ornamentis* Cadmi, & *sociorum refertum.* Cadmus Asiaticus Europae *frater. Epilogus.*



OLIM Mosi miracula inter Ægyptios patranti Iannes & Iambres per contemptum dicebant הבן אתא מביא לעפריים *tu in Ephræmum stramen infers*,

fers; quod θαυματοποιοῖς Ægyptus abundaret, ut Ephræmum ſtramine & paleis. Hoc dicterio perſtringi merear, ſi Pariſios celeberrimum omnigenæ Eruditionis Emporium, leves rudeſque conjecturas venditaturus peterem, teque inprimis Doctiſſimum Virum compellarem: Verùm longè mihi alia mens, & juſſus demum meam de obſcuro 1 Macc. 12: ℣ 21. loco ſententiam tuo ſubjicere judicio aggredior, ut emendatior redeat, tuiſque obſervationibus doctior evadam. Sanè attentâ conſideratione digna ſunt illa *Arii Spartiatarum Regis* ad *Oniam* ſummum Iudæorum Pontificem verba. *Inventum eſt in Scripturâ de Spartiatis & Iudaeis, ipſos fratres eſſe, & de genere Abrahami eſſe* Quibus fretus Jonathas ſummus Sacerdos *fratres Spartiatas* initio capitis vocaverat; Nec hoc fuit ſomnium authoris illius libri; Meminit enim earumdem literarum *Arii* ad *Oniam*, Joſephus Antiq. l. 12. c. 5. & lib. 13. c. 9. iiſque

que perhiberi testatur ὡς ἑνὸς εἶεν γένος Ἰουδαῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι ἐκ τῆς πρὸς ἀβραὰμ οἰκειότητος. *Quod ex eodem genere essent Iudæi & Lacedæmones, Abrahamumque cognatione attingerent.* Sed quâ ratione id contingere potuit nemo hactenus explicare potuit. Incomparabilis *Scaliger* qui ardua quæque & abstrusa aucupabatur, cùm ipsi occurrisset hæc cognatio, illam ut scopulum vitavit, contentus aliorum infaustos conatus redarguisse. l. 3. *can. isagog.* Sagacissimus etiam *Bochartus* in *Chanaan.* l. 1. c. 22. nullo probabili fundamento inniti illam cognationem putavit, & fabulæ indigestæ ortum debere existimavit. Revera si *fratres* Iudæorum Lacedæmones duntaxat dicerentur, commodè fraternitate illâ necessitudines quasdam quales inter fœderatos & amicos intercedunt, intelligeremus, quemadmodum *Hannibal* apud Polybium l. 7. fœdere inito cum Philippo & Græcis Carthaginensium nomine dicit hoc fœdus ip-

ſos facere φίλυς, καὶ οἰκείυς, καὶ ἀδελφυς. *Amicos, domeſticos*, & *fratres*. Sic *Ædui ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Rom. uſurpant*. teſte Tacito annal. l. ij. c. 25. Fratres etiam dici poſſunt, qui eandem patriam colunt, vel coluerunt; ſicut apud Lucanum l. 1. v. 427.

Arverniq; auſi Latio ſe fingere fratres
Sanguine ab Iliaco populi, &c.

Lothus eandem ob rationem Sodomitas cives ſuos vocat *fratres* Gen. 19. ℣. 7. & Rex Iſraëliticus Benhadadum *fratrem* ſuum dixit 1 Reg. 20: 32. ut animum à fœdere alienum non habere demonſtraret. Verumenimverò Arius non modo vocat Iudæos ſuorum Lacedęmonum fratres, ſed utroſque ab Abrahamo ortos autumat, quod verum eſſe non poteſt, niſi ſanguinis conjunctio & affinitas his cum illis interceſſerit. Propterea videris cum celeberrimo *Grotio* in ſuis ad libros Maccabæorum notis exiſtimare Lacedæmones

Do-

Doricæ originis fuisse, & ab antiquis Pelasgis (qui secundum illum Græci αὐτόχθονες non erant sed barbari ex Arabiâ & fortasse etiam ex Abrahami prosapiâ, Cethuraeque connubio) originem duxisse. Hâc ratione revera fratres essent Iudaeorum Pelasgi illi, & utrique Patrem haberent Abrahamum. Observat insuper Grotius Pelasgi nomen esse Hebraeum, nam פלגי *dispersos* significat, & innumera alia vocabula Ebræa pristinae originis indicia secum in Graeciam advexisse; imò *Plutarchi* in libro contrà *Herodotum* testimonio confirmare satagit, Dores Arabes fuisse, quia scripsit *Dorienses duces fuisse Ægyptios*, quia Ægyptus erat Arabiae contermina. Fateor ingenuè his viri Magni argumentis me non persuaderi; Vult ex Arabia Dores deducere, quia Ægyptii dicti, at ex Ægypto sunt Ægyptii. Equidem verum est Ægypto conterminam esse Arabiam, sed aeque conterminae illi sunt Lybia & Æthi-

Æthiopia, unde Dores eodem jure idcirco deducerem. Quædam vocabula Ebræa inter Dorica venatus eſt; at nulla primigenia lingua quæ ex Ebræa omnium matre plurima non acceperit, & maximam partem ſuorum ipſi debet Æthiopica, imò Abaſſeni Æthiopiæ incolę revera ex Arabia transfretarunt, utque in noſtris *ad Stephanum de urbibus* notis jam obſervavimus, originis ſuę veſtigium in illo nomine ſeruant; *Abyſſae* enim civitatis Arabicę meminit Strabo l. 7. quam in regione thurifera locat. *Abas* etiam Arabię civitas de qua *Diodorus Sicul.* apud Photium. Quin ab eadem etiam urbe Sabaei & Abaſſeni dici potuerunt; Scilicet ordine oppoſito legunt Arabes & Abaſſeni, quia Arabes ut caeteri Orientales à dextrâ ad ſiniſtam procedunt, è contrà Abaſſeni, ut omnes Occidentis populi à ſiniſtâ ad dextram, urbs igitur סבא ab illis dicta *Saba* unde Sabaei, ab his ordine retrogrado *Abas*, unde Abaſſeni quod confirmari poſſet

ſet ingenti nominum Æthiopicorum caterva, quæ ordine retrogrado lecta ſimiliter cum Ebræis conveniunt ſine ulla mutatione, quod non accidit τῷ פלגי *Pelagi* unde Pelaſgos deducit Grotius, nam s. inſeri debet, contra normas & uſum. Attamen per me liceat hoc privilegio gaudere nomen illud, quandoquidem Graecè etiam mutari debuit ut candem ſignificationem obtineret; Nam refert Strabo l 5. quod Attici Pelaſgos vocarent Πελάργους διὰ τὸ πλανήτας εἶναι. κὴ δίκλω ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφὲς ἔτυχε τόπους. *Pelargos*, ideſt, *Ciconias quod vagi inſtar illarum avium modo hæc modo alia adirent loca.* Per me, inquam, licet in gratiam illuſtriſſimi Grotii Pelaſgos ſic dici quaſi *Pelagos*, ut nomen illud habeat aliquam affinitatem cum nomine Ebræo, & vagos ſignificet. Gratis etiam largiar Dores ex Arabia ortos fuiſſe Pelaſgorum majores; Nullis fidiculis adhuc ex his omnibus conceſſis colligi poteſt hos Pelaſgos ex Abrahamo & Chetura originem duxiſ-

duxiſſe, quoniam *Chatramotirae*, *Sabaei*, *Cuſaei*, & plures alii Arabię etiam incolę, quique nomina habent Ebræa, & lingua ab Ebræa non multum diverſa uſi ſunt, Abrahamum tamen patrem non habuerunt. Nullo igitur ſtabili fundamento nititur illa ſententia, ſed quod præcipuum eſt graviſſimis oppugnatur argumentis, & luce meridianâ clarius eſt Abrahamum Pelaſgorum patrem non fuiſſe. 1. verum non eſt Pelaſgos fuiſſe barbaros, & aliunde veniſſe in Græciam: Etenim Pelaſgus gentis author dicitur αὐτόχθων *indigena.* Ἡσίοδος δὲ τὸν Πελασγὸν αὐτόχθονα φησὶν εἶναι. *Heſiodus Pelaſgum fuiſſe indigenam dixit*, inquit Apollod. l. 2. Pauſanias autem Arcadic: φασὶ δὲ Ἀρκάδες ὡς Πελασγὸς γένοιτο ἐν τῇ γῇ ταύτῃ πρῶτος. *Dicunt etiam Arcades Pelaſgum primum fuiſſe in illâ terrâ*, & ibid. Vetus poëta Aſius.

— ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Mon-

Montibus alticomis peperit nigra terra Pelasgum
Diis similem, ut mortalium genus foret.

Sic Servius ad 2. Æneid. *Pelasgi à Pelasgo terrae filio, qui in Arcadiâ genitus, ut Hesiodus tradit.* Denique Dionysius. Halicarn. l. 1. testatur τὸ τῶν Πελασγῶν γένος ἑλληνικὸν ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον. *Pelasgorum genus Græcum esse, & ex Peloponneso antiquissimam duxisse originem.* Quod adeò certum & constans est, ut omnes Græcorum populi antiquissimi Pelasgos majores suos prædicent: Sic Jones ante adventum Danai & Xuthi in Peloponnesum Pelasgi dicebantur, & ab Ione Xuthi filio Iones tandem dicti sunt teste Herodoto. l 7. § 94 sic lib. 1. § 57. Athenienses docet esse gentem Pelasgicam, & olim Pelasgorum lingua usos: quare cùm illam barbaram vocat, & in Græcam mutatam, vult tantum usu & studiis excultam, & politiorem factam, quemadmodum sensisse patet Strabonem l. 14. dum scribit. O-

οἴμαι δὲ τὸ βάρβαρον κατ' ἀρχὰς ἐκπεφωνῆσθαι οὕτως κατ' ὀνοματοποιΐαν, ἐπὶ τῶν δυσεκφόρως, καὶ σκληρῶς καὶ τραχέως λαλούντων. *Existimo nomen barbarum ab initio attributum iis qui non nisi difficulter, duriter, aspereque loquerentur.* Imò ipsi Arcades qui se προσελήνους autumabant, ut referunt qui ob nimiam antiquitatis affectationem illos irrident, Pelasgi fuerunt: siquidem Arcas, quem gentis suæ authorem agnoscunt, & à quo denominantur, Callistûs fuit filius, illa autem patrem habuit Lycaonem à Pelasgo patre procreatum referente Apollodoro l. 3. & Pausaniâ in Arcad. qui expressè addit, ἀπὸ τούτου βασιλεύσαντος Ἀρκαδία τε ἀντὶ Πελασγίας ἡ χώρα, καὶ ἀντὶ Πελασγῶν Ἀρκάδες ἐκλήθησαν οἱ ἄνθρωποι. *ab illo rege sc. Arcade regio dicta Arcadia quæ ante Pelasgia, & homines Arcades dicti.* Quin tota *Peloponnesus* dicta olim *Pelasgia* teste *Stephano* in Peloponneso & Strabone l. 5. ubi probat Pelasgos gentem antiquissimam per universam Græciam olim dif-

diffusam fuisse, & Græciam ipsam dictam Pelasgiam docet Herodotus l. 2. §. 56. hinc occubuisse Priamum canit Poëta *Marte Pelasgo* & alibi meminit *artis Pelasgae* Gręcorum fraudes & bella intelligens.

Magna illa antiquitas & multitudo Pelasgorum alterum suppeditat argumentum ad probandum eos acceptam non referre suam originem ad Abrahamum & Cethuram, cum ipso Abrahamo & Cethura antiquiores esse debuerint. Etenim licet authores sæpę confundant diversos Pelasgos quorum quidam recentiores sunt, non tamen impossibile est secernere primum gentis authorem à nepotibus, qui idem nomen habere honorificum duxerunt, ut antiquitatem, suæ prosapię declararent. Variis enim circumstantiis ejus antiquitatem descriptam invenimus ut apud Pausaniam in Arcad. dum docet *Pelasgum illum Regem primum excogitasse tuguriorum usum, ne homines frigora & pluvias pati cogerentur,*

nec aeſtu immodico laborarent, tum & tunicas è corio ſuillo quibus nunc etiam in Eubaea & Phocide utuntur ii quibus res eſt anguſta, ipſe invenit, praeterea cum foliis virentibus, herbis & radicibus eſui non utilibus, ſed ſaepe pernicioſis homines veſcerentur, eos à tali cibo abſtinere fecit Pelaſgus, & victum invenit ex fructibus quercuum non quidem omnium, ſed ex fagorum glandibus. Sic Tertullianus de pallio cap. 1 vult togam à Pelaſgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos perveniſſe. Quibus patet ipſo regnante Græciam incoli cæpiſſe, cùm permanere diu in regione ſubfrigida ſine tectis, tunicis, & meliorum fructuum delectu non potuerint. Itaque probabile eſt Javanem Japheti filium in diviſione terrarum de qua Gen. 10:5. obtinuiſſe Græciam & ab ipſo dictos Ἰάονες, ſeu *Iones* filiumque Eliſam occupaſſe Peloponneſum, & vicinas regiones, que ſimul ab illo dictę ſunt Ἑλλάς, ut *Elis* pars non contemnenda Peloponneſi.

Hic

*H*ic fuit aduena, & incultam Grę-ciam nactus est, at filium habere potuit Pelasgum in Arcadia natum quem αὐτόχθονα, indigenam, ut distinguerent à patre aduena, merito vocaverunt, vel simpliciter παλαίχθονα ut Æschylus in suppl. 1. *antiquum terrae colonum*, quia primus & antiquissimus omnium natalem terram excoluit, civibusque ea quę in primis ad vitam commodè transigendam erant necessaria suppeditari curavit. Itaque hic Pelasgus distinguendus est ab altero illo Pelasgo Iovis & Niobes primę omnium mortalium ab ipso adamatę filio; filius enim Iovis & mulieris non potuit dici αὐτόχθων, cùm hoc nomen soleat duntaxat illis tribui quorum parentes ignorantur, vel secundum Harpocrationem iis qui τὴν χθόνα τουτέστι τὴν γῆν ἀργὴν οὖσαν πρῶτοι εἰργάσαντο *terram adhuc otiosam & incultam primi coluerunt*. Nec enim terra fuit inculta & otiosa cùm ad terrae culturam se accingere potuit Niobes filius, quandoquidem Phoroneus Nio-

bes ipsius pater antea in Peloponneso regnaverat, & Inachus avus inter Argivos prolixam duxerat vitam, ut videre est apud *Diodorum* initio l. 2. & *Pausaniam* in Corint. Dicitur autem *Jovis filius* pro more; ignotorum enim patrum supplebant vices Dii, & sic dedecori virginum consulebatur, quod Seneca vocat *Authores vitiis inscribere Deos, & dare morbo, divinitatis exemplo excusatam licentiam.* de brevit. vit. c. 16. ut de Remo & Romulo & innumeris constat: vel Diis assignati liberi ob quandam cum ipsorum dotibus convenientiam, vel præstantissimas virtutes: ita *Pausanias* in Messen. observat *genium quemdam habitum Aristomenis patrem, ut Hammonem Alexandri, Æsculapium Arati* &c. & *Plutarchus* in Mario, illius filium ob audaciam *Martis filium*, & ob lasciviam *Veneris filium* fuisse appellatum; Eadem ratione potuit dici *Jovis filius* ob quandam divinam Majestatem alter Pelasgus; ut *Homerus*

merus ſuos heroas à Iove genitos ſolet vocare, unde Didymus ad Iliad. α. v.337. διογενὲς id eſt, ἀγενέστατε; Itaque ob generoſitatem potuit haberi filius Iovis, eſſe autem nepos primi Pelaſgi, quia nepotes ſolebant avorum nomina referre, ut his exemplis patet inter Graecos celeberrimis. Apud *Pauſan.* in Atticis *Pauſanias Graecorum ad Platæam Dux filium habuit Pliſtoanacta & nepotem alterum Pauſaniam.* Apud *Plutarchum* in Cimone: *Cimon Coalemus dictus filium habuit Miltiadem & nepotem cognomine Cimonem.* Apud *Athenaeum* l. 12. *Callias filium habet Hipponicum, & nepotem Calliam,* qui ut ex hoc Ariſtophanis verſu in Avibus.

Ἱππόνικος Καλλίου; καὶ Ἱππονίκου Καλλίας.

Hipponicos & Callias eadem ſerie poſt ſe reliquit. Non prætermittendus etiam *Ariſtoteles* qui patrem habuit Nicomachum Amyntæ Philippi patris medicum, & filium Nicomachum, cui libros ſuos de Moribus di-

civit. Sic Annibal Hamilcaris pater, nepotem habuit alterum Annibalem; imo apud nos Pipinus Austrasianorum Princeps filium habuit Carolum dictum Martellum, hic Pipinum alterum genuit: à quo Carolus Magnus, cujus tertius filius fuit Pipinus Italiæ Rex. Sic solebant alternare nomina Veteres, & sæpissimè in historiis occurrit nepos *nomine avum referens*, ut de Eumede observavit *Virgilius* Æneid. 12. Cum igitur observaverimus Pelasgum primum esse, cujus verus pater non agnoscitur, alterum autem illius nepotem dixerimus, eum non multò antiquiorem credere licet; Jam vero conferatur historia Sacra cum profana, & consulantur Chronologi, illicò constabit Phoroneum Abrahamo coævum, ut videre licet apud *Eusebium*, *Capellum*, &c. qui illius regni initia post mortem Abrahami constituunt. Sed longè antiquior mihi videtur, quippe qui pater fuerit Lycaonis, cujus superbiam fulmine,

ne, & liberorum impietatem diluvio mulctavit Jupiter teste *Apollodoro* lib. 3. Jam verò facillimum est illius diluvii tempus percipere, quandoquidem Deucalione regnante in *Phthia* contigit, at Deucalion ille Filius fuit Promethei, Prometheus vero filius Japheti, ut testatur idem *Apollodorus* l. 1. & cæteri authores qui de his agunt; nemo autem potest in dubium revocare eundem, qui Grçcis Japetus dicitur vocari, in sacris literis *Japhetum* iisdem literis, & aspiratione duntaxat addita gratis, & sine ulla necessitate, Unde Japetus ille sive Japhetus, quia omnium Noachi liberorum natu maximus fuit, in proverbium abiit, & *Japeto antiquiores* dicuntur res omnium antiquissimæ, ut *Cupido* à Luciano, & *Aurora* à Platone in symposio: Prometheus igitur tertius à Noacho, & Lycaon coëtanei fuerunt, & longo intervallo post se relinquunt Abrahamum à Noacho decimum. Verùm enim verò omnium Pelasgorum primus

mus Pelaſgus Phoronei & Niobes filius Jacobo ſaltem Patriarchæ æqualis erit, paulóque junior liberis quos Abrahamus ex Cethura ſuſcepit, duxit enim Cethuram Abrahamus poſt mortem Sarae uxoris, ut ſeries hiſtoriae Sacrae docet *Gen.* 25. ℣s. 1. Imò eadem ſeries in luctu & viduitate tres integros annos tranſegiſſe teſtatur, ſiquidem eam duxit in uxorem poſt matrimonium Iſaaci; matrimonium autem ſuum contraxit Iſaacus natus annos 40. *Gen.* 25 ℣s. 20. Abraham verò compleverat centum annos cùm in lucem editus eſt Iſaacus Gen. 21. ℣s. 5. & Sara decennio junior 90. ut patet *Gen.* 17. ℣s. 17. Cum igitur Iſaacus natus annos 40. matrimonium contraxit, habuit Abrahamus 140. annos & Sara habuiſſet 130. ſed ante tres annos obierat *Gen.* 23. ℣s. 1. Itaque poſt 140. annos vitae ſuae contrahere novum matrimonium potuit Abrahamus & anno ſequenti primogenitum ex hoc matrimonio ſuſcipere, qui vigeſimum

mum annum vix exordietur cum nascuntur Isaaco 60. annos nato *Gen.* 25. ℣s. 26. Jacob & Esavus, Pelasgusque coævus ad vitam properare; debuit itaque inter Abrahae & Cethurae liberos, vel saltem nepotes describi, at illorum nomina habemus *Gen.* 25. ℣s. 2, 3, 4. & inter illa Pelasgus non legitur, imò noscuntur sedes quas occuparunt à Græcis remotissimas ut legenti incomparabile *Phaleg* Bocharti patebit. Adde in Graecia natum illum Pelasgum ex matre Peloponnesiacâ. Denique in Sacra Scripturâ nullos Cethurae liberos unquam vocatos Judæorum fratres reperio, & Deus dicendo Patriarchæ Abrahamo Gen. 21. ℣s. 12. *in Isaaco vocabitur tibi semen*, caeteros ab ipso natos ab omni familiae ejus decore & haereditate videtur excludere. Has ob rationes quae singulae, & omnes simul pondus habent Pelasgos antiquiores esse quàm ut ex Abrahamo ortum ducant, existimo. Hanc Pelasgorum antiquitatem agno-

 vit

vit magnus Salmasius, & contra à Pelasgis ortum Abrahamum adstruxit in l. de Hellenistica his verbis. *Pelasgos à Phaleg & Graecos sive* Γραικοὺς *à Rhagau dictos esse certa fides est ex nominis indicio & reipsa.* Si enim hoc adeò certum est, Phaleg sive Pelasgus tritavus erit Abrahami; sed certa illa fides mihi valde dubia videtur, & ex quovis nomine caetera facilè formabuntur, si ut libet literae adducuntur vel transponuntur. Omissis itaque Pelasgis, *Idumaeos* ad stabiliendam Judæos inter & Lacedaemones affinitatem aptiores existimo. 1. Certissimum est Idumæos reverâ esse & dici Judaeorum fratres *Num.* 20:14 *Deut.* 23:7. & passim. 2. Idumæos in Graeciâ & regionibus adjacentibus invenio omnesque poterunt invenire; Quod ut facilius fiat animadvertendum Idumaeos sua linguâ אדמים & eorum regionem אדום appellari Præterea observandum est Graecos nulla vocabula in *M* terminare, unde *Ausonius*, in Eidyllio. 12. de

12. de literis Monosyllabis Græcis & Latinis.

Vocibus in Grajis nunquam ultima conspicior M.

Sed mutare in alias litteras, cùm offendunt in vocabulis, quae usurpare coguntur sæpe autem in *N.* sic herbam quam Latini *Ocimum* vocant, quod alvum celeriter ciet Graeci ὤκιμον dicunt. Sic ex Edom Edon, Ηδων, seu Ηδωνις, cujus situm describit *Ptolomæus* l. 3. c. 13. Ejusque meminit *Suidas*, & *Æschylus* in Pers. populus autem Ηδωνοί apud *Herodotum* lib. 7. §. 110 *Strabonem* l. 10. *Sophoclem* in Antig. *Theocritum* Id. 7. *Stephanum* de urbibus. Ηδῶνες apud *Thucydidem* l. 2. & apud ejus *Scholiasten* indiscriminatim Ηδωνοί, Ηδῶνες, & Ηδῶναι, aliter *Tzetzes* qui ad v. 419. *Alexandrae Lycophronis* scribit. Ηδωνοί ϗ Ηδῶνες Θρᾳκῶν ἔθνη, ἀλλὰ οἱ μὲν Ηδῶνες περὶ θάλασσαν οἰκοῦσιν, Ηδωνοὶ δὲ τὴν μεσογαῖαν. *Edonii & Edones gentes Thraciæ sunt, sed Edones maritimam regionem, Edonii vero*

vero mediterranea incolunt. Verum nullâ authoritate hanc suam divisionem *confirmat*, & refutatur à *Strabone*, qui *Lycurgum Edonorum regem* facit l. 10. juxta mare autem regnasse constat, quod ipse *Tzetzes* agnoscit ad v. 273. ejusdem *Alexandrae*. A Latinis etiam *Edonii* duntaxat vocantur, *Horat*. Carm. lib. 2. Od. 7. *Solin*. c. 14. *Virgil*. Æn. 12. & ibi *Servius*: Ne tamen mutatio M. in N. in dubium revocetur in hujusce populi & regionis nominibus alia ratione in Graecam terminationem efformatis *in Edom* reperitur: siquidem apud *Ptolomæum* regio indiscriminatim dicitur Ἠδωνὶς & Ὀδομαντικὴ, gens verò Ὀδόμαντοι apud *Thucydidem* l. 2. & 5. *Herodotum* lib. 5. §. 16. & l. 7. §. 112. ubi quidem videtur ab *Edoniis* distinguere: sed eadem ratione qua supra *Tzetzes* Edonos ab Edonibus, & tantummodo ob nominum diversitatem. *Suidas* vocat Ὀδόμαντες & *Plin*. l. 4. cap. 11. *Odomantes* similiter. Facile autem

E. in

E. in O. mutatum, quia prima littera nominis Hebræi *Edom* ſcilicet א indifferenter hanc aut illam vocalem recipit, & raro Hebræi vocales ſuas apponunt, cum genius litterarum, & regiminis ratio earum defectum facile ſuppleat, quare pro Edonibus etiam *Stephanus* ὠδῶνες habet. Attamen ingenuè fateor omnia nomina illa quamvis proximè ad *Edom* accedant, non ſufficere ut illarum gentium origo una & eadem habeatur, niſi firmiora argumenta ſimul haberemus; ſed firmiſſima habemus, quandoquidem illi ipſi *Edonii* ſive *Odomantes* id ſuo teſtimonio confirmant, nam apud ſcholiaſten *Ariſtophanis* Acharn. act. 1. ſc. 4. *Odomantes* deſcribuntur φασὶ γὰρ αὐτοὺς Ἰουδαίους εἶναι. *& dicunt ſe Judæos eſſe.* Imo ſigillo Judæorum, ſcilicet Circumciſione obſignabantur, unde *Ariſtophanes* ibidem τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτεθρίακεν ἄν. *Quis Odomantum pudenda circumcidit.* Nam ſecundum *Heſychium:* ἀποθριάζειν τὸ

ἀφαι-

ἀφαιρεῖν φύλλα συκῆς καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὸ ὅλον ἀφαιρεῖν. Verbum quo utitur *significat auferre folia ficus, & abusive quidvis auferre. Scholiastes* autem *Aristophanis* sic exponit. ἀποτέθρικεν.) ἀνέτιλε; κυρίως δὲ ἀποφυλλίσαι συκάς. θρῖα γὰρ τὰ φύλλα τῆς συκῆς: ἐλιαίνοντο δὲ καὶ ἀπέτιλλοντο οἱ Θρᾶκες τὰ αἰδοῖα καὶ ἀποσυρμένα εἶχον αὐτά. *Evulsit, & proprie folia ficus detraxit;* θρῖα *enim sunt ficus folia. Detraxerunt autem Thraces verenda sua & habuerunt ea retracta & abscissa:* & paulò post idem *Aristophanes* eosdem ἀπεψωλημένους *recutitos Apellas, & Circumcisos* vocat; videatur ibidem *Bisetus.* Quin & *alliorum* appetentissimos, & avidissimos facit, & ἐσκοροδισμένους *alliatos* vocat, scholiastesque observat, quod hi *Thraces* ἀρέσκονται σκορόδοις *alliis delectantur:* Notum autem ex sacra historia Israëlitas & finitimos in deliciis *allia* habuisse; Quare in deserto licet manna & coturnicibus abundarent Israëlitæ, *allia* & *cepas* desiderarunt. *Num.* 11: 5. *He-*

5. *Herodotus* etiam testatur pyramidum structores consumpsisse mille & sexcenta talenta in *apio* vel *raphano*, *cepis & alliis* lib. 2. §. 125. *Josephus* autem Antiq. l. 2. c 5. docet Israëlitas fuisse, quos Ægyptii his insanis operibus vexarunt, pyramidasque ędificasse; Denique in tanto usu & pretio fuerunt cepae & allia in regionibus Judææ adiacentibus, ut urbes celebres ab iis sint denominatę ut κρομμύων id est, *Cepetum* quam *Stephanus* juxta *Ascalonem* locat; *Ascalonque* ipsa vel ab *Ascaloniis*, quae inde etiam dicimus *Eschalottes* denominata, vel illis suum nomen imposuit, quod visum Plinio l. 19. c. 6 Merito itaque *Dicaepolus* suis *alliis* metuebat ab Odomantibus, qui è Judęa vel adiacentibus regionibus orti iis olim assueverant, quod à Græcis non fuisset metuendum quandoquidem *Cario* vilium dumtaxat & abjectissimorum hominum cibum fuisse testatur, cùm apud *Aristophanem* in Pluto act. 2. sc. 1. pau-
per-

perrimos heri sui sodales sic alloquitur. ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταυτὸν θύμον φαγόντες. *O qui multas cum hero cepas edistis.* Scholiastes enim sic exponit ἀντὶ τοῦ τῆς αὐτῆς πενίας μετέχοντες: *quasi diceret ejus paupertatis fuisse participes*, unde patet miserorum fuisse cibum, quod *Antiphanes* lib. 2. c. 19. *Athen.* confirmat his versibus.

Οὐδεὶς κρέως παρόντος ἐσθίει θύμον
Οὐδ' οἱ δοκοῦντες Πυθαγορίζειν.

Cepis praesenti carne nemo vescitur nequidem is qui Pythagorae disciplinam sectari videtur. Adde θύμον *cepe* proprie non esse sed *agreste cepe*: at sativum & domesticum è Judæa & vicinis regionibus in alias videtur pervenisse in Græciam presertim Edoniorum seu Odomantum operâ, qui sedes in Thraciâ fixerunt; unde Græci in primis celebrabant κρόμμυον Σαμοθρᾴκιον *Cepe Samothracium* apud *Athenæum* lib. 1. c. 22.

At

At mirum videbitur me *Idumæos* dicere *Odomantas* & *Edonios*, cùm ipsi se Judæos dicerent & Circumcisio, victusque ratio etiam Idumęis minus quàm Judæis convenirent, & quod pręcipuum est, Judęi ad meam sententiam stabiliendam essent in primis idonei; Verum non idonea tantum argumenta quæro, sed vera amplector, novi autem Judæos Judææ suae tenaciter adhæsisse, nec Religionem quam profitebantur sivisse, ut alias terras peterent. Quandoquidem in solo templo Hierosolymitano victimas offerre, vota persolvere, Deum consulere, & sacra sua peragere iis liceret; imo judicia capitalia affixa Judææ voluerunt Rabbini, & in exiliis non potuisse exerceri, quod colligunt ex Deut. 17: 10. Denique non exigua mandatorum pars observanda dicebatur, cùm hanc terram Israëlitæ incolerent. Unde potest inferri alibi non rite observari potuisse; quamobrem Judæi hanc regionem cum nullâ aliâ libenter commu-

tabant, & miſerrimos exules exiſtimabant, iiſque vix reſurgendi facultatem concedebant, niſi vel mortui in eam deferrentur, quod propterea tunc accuratè exegerunt *Jacob* Gen. 49: 29. & *Joſeph* Gen. 50: 25. vel per cavernas ſubterraneas cum moleſtiâ in eam devoluerentur. Unde *Raſchi* in Gen. 27: 29. ſcribit Jacobum voluiſſe terræ Cananææ cadaver ſuum mandari שאין מתי חוצה לארץ חיין אלא בצער גלגול. *Quia extra terram illam mortui non reviviſcunt niſi moleſtè per revolutiones.* Et Chaldęus Paraphraſtes Cant. 8: 5. *Quando reviviſcent mortui, futurum eſt, ut ſcindatur Mons Olivarum, & omnes mortui Iſraëlitæ egreſſuri ſunt ex eo, & etiam juſti qui mortui ſunt in captivitate, venturi ſunt per viam cavernarum ſub terra, & egredientur ex monte olivarum.* Quo ſpectare volunt Ezech. 37: 12. & 13. Nollęm antiquioribus Judęis hanc ſententiam tribuere, ſed non debet in dubium revocari, illam hauſiſſe recentiores

ex

ex antiquis encomiis terrę Judaïcę, & privilegiis ipsi assignatis quibus capti Judæi vix illam ęternae beatitudini, cujus duntaxat typus ęrat, postposuęrunt; Quare omnino improbabile est Judæos ullis rationibus potuisse induci, ut illam desererent. Constat quidem non paucos postremis temporibus Reip. Judaïcæ in Ægyptum concessisse, at tunc habebat Ægyptus in Heliopolitana regione templum Deo secundum ritus Judaïcos sacrum, & ab Oniâ conditum ex authoritate Prophetiae Esaiae c. 19: 19. ut nos docet *Josephus* antiq. l. 13. c. 6. & de bell. Jud. l. 7. cap. 30. Nihil tale in Græciâ vel Thraciâ, quapropter ullos Judæos Thraciam, vel Graeciam libenter petiisse, ut in iis sedes figerent, non possum existimare; Coactè autem in illas regiones migrasse vix probabilius: Ante captivitatem Babylonicam enim non fuit ulla deserendi Judęam necessitas, & ab ilia abducti sunt captivi, quo victores voluere, præterea ea capti-

vitate præterita, ut cæteri pristinas sedes repetiissent. Sit tamen unicuique liberum super hâc re judicium, modo mihi liceat *Idumæos* dicere illos qui se Iudæos autumabant, & probare Iudaeorum nomen sibi meritò vindicasse, quod facilè praestabo; *Josephus* enim Antiq. l. 7. c 6. testatur *Davidem Abisæi opera Idumæos domuisse, & tributarios fecisse.* Constat autem morem fuisse Iudęis, victoriae suae jure divino cultui victos addicere, & ad observationem Mosaicorum rituum adigere ut docet *Josephus* Antiq. l. 13. c. 17. & ipso Idumęorum exemplo probat, nam scribit Hyrcanum Idumææ urbes cepisse, καὶ ἅπαντας τοὺς Ἰδουμαίους ὑποχειρίους ποιησάμενος, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. *Et omnes Idumæos subiugasse, iis vero permisisse in regione manere, modo circumcisionem admittere, & cæteros ritus Judaïcos observare vellent.* Additque οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίου γῆς καὶ τὴν περιτομὴν,

μὴν, καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι, κἀκεῖνος αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρεν, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίοις. *Illi autem patriae desiderio & amore & Circumcisionem & reliquam juxta ritus Judaicos vivendi formulam admiserunt, atque eo tempore Judæi habiti sunt.* Sic capite 19. scribit Aristobulum magnam Ituræae partem attribuisse Judææ. ἀναγκάσας τε τοὺς ἐνοικοῦντας εἰ βούλονται μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, περιτέμνεσθαι, καὶ κατὰ τοὺς νόμους Ἰουδαίων ζῆν. *Et coëgisse incolas si vellent in regione manere, circumcidi, & secundum leges Judaicas vivere*, Et in *Bibliis polyglot. Angl.* habemus rapsodiam historiae Judaiçae, sub titulo 2 Macchab. in cujus cap. 21. legimus secundum fœdus initum cum Hyrcano circumcisos Idumæos factosque Iudęos, seu ut textus qui Arabice tantum extat habet: & *circumcisi sunt & Judaei facti sunt*, additque *id ad usque domus secundae vastationem perseverasse*. Ex his exemplis colligere licet Davidem patria-

rum legum acerrimum promotorem non minori ſtudio incubuiſſe inſtitutioni Iduméorum ſibi deditorum, & curaviſſe circumciſione obſignari, ut in eundem populum cum Iudæis coaleſcerent, & Iudæi dicerentur; Nec conjecturalis argumentatio, ſiquidem illa Davidis de Idumęis victoria refertur 2 *Sam.* 8:14 ubi obſervatur illum in tota Idumaea praeſidia habuiſſe, & omnes Idumaeos ſervos Davidis manſiſſe. At 1 Reg. 11: 16. & 17. narrantur *occiſi omnes mares Idumæi.* At quomodo mares omnes Idumaei occiſi ſunt, & Idumaeos ſervos habere potuit? ſcilicet Idumaei tenaces ſuarum ſuperſtitionum occubuerunt, at ii qui abdicata impietate patria, divinum cultum receperunt ſervati ſunt, & ob priſtinam originem Idumaei dicuntur, revera tamen ob converſionem nomen illud depoſuerunt, ut Iudaei eſſe & haberi mererentur, ut poſtea etiam Hyrcani tempore Iudaei eſſe denuò cæperunt, quemadmodum teſta-

teſtatus eſt Ioſephus l. c. Ne tamen ſacra deſideretur authoritas expreſſo teſtimonio probabo Judæos factos & dictos qui religionem Judaicam amplectebantur. Extat divinum illud teſtimonium Eſth. 8:17. ubi alienigenarum multi ob Judæorum proſperitatem in Perſico imperio מתיהדים *Judæi fiunt*; LXX. περιετέμνοντο καὶ ἰουδάϊζον *circumcidebantur & Judaizabant.* Targum, *proſelyti fiebant* מתגיירין. Sic apud *Dionem* regio ipſa *Judæa*, gens *Judæi* appellantur, φέρει δὲ καὶ ἐπὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὅσοι τὰ νόμιμα αὐτῶν, καίπερ ἀλλοεθνεῖς ὄντες ζηλοῦσι. *Equidem & alii homines, qui ſecundum eorum ſtatuta vivunt id nomen gerunt licet alienigenae.* l. 38. quod etiam confirmatur teſtimonio praecedenti ex 2 *Macch.* Iidem itaque Proſelyti, circumciſi & Iudæi, imò Iudæorum ſubditi, cùm nullos paterentur, qui à lege eorum eſſent alieni, ſimulatque igitur domiti ſunt à Davide Idumæi Iudaeorum nomen adepti ſunt; At objici poteſt repu-

gnare *huic* circumcisioni & conversioni Idumæorum, *illa* quae postmodum facta tempore Hyrcani leguntur; Si enim antea conversi fuissent; Qui tunc denuò converterentur? Respondere facillimum est Idumaeos necessitate adactos legem Iudæorum observasse, ab eâ recessisse simul atque occasio oblata est; & quemadmodum *Samaritani*, dum res Iudaeorum felices erant se eorum fratres profitebantur ac in adversis eos aversabantur teste *Josepho* Antiq. l. 12. cap. 7. Sic *Idumaei* pristinum nomen & pristinas superstitiones recipiebant cum Iudaeos metuere desinebant; Nec sine ratione illos inconstantiæ reos perago; Certum enim circumcisionem ab *Esauo* patre accepisse, quam tamen neglexerunt, cùm ab *Hyrcano* recipere illam coacti sunt; quod autem semel accidit, bis potuit accidere. Adde revera Idumaeos ante Hyrcanum circumcisos patere, *Jerem.* 9: 25. ubi Deus se *visitaturum omnes circumcisos* minatur, & *praeputia*

illo-

illorum damnaturum, scilicet ערלה לב *praeputium cordis*, ut observat R. D. Kimchi, quia alio carebant: nominatim autem numerat Ægyptios, Iudaeos, Idumaeos, Ammonitas & Moabitas. In illum autem locum Theodoretus scribit. *Idumæi quidem genus ducentes ab Esauo circumcidebantur juxta legem Abrahae datam. Ammonitae verò & Moabitæ, ut vicinitate juncti aemulati sunt cognationem; qui autem ab Ismaele & Cethura descenderunt lege majorum ipsi quoque circumcidebantur, at Ægyptios populi apud illos habitatio docuit circumcisiones.* Et S. Hieronymus, *Judaeae Palestinaeque confines usque hodie populi circumciduntur, & praecipuè Ægyptii, Idumaei, Ammonitae, Moabitae, & omnis regio Saracenorum.* &c. Itaque convenit & rationi consentaneum est neglectam antiquam Circumcisionem ab Idumaeis, Davidem restituisse, eamque ad Ieremiam usque, & forsan ad Iosaphati etiam tempora

cum tunc etiam Proregibus à Judaeorum Rege constitutis subessent; at Jorami filii tempore, Idumaei à Judaeis defecerunt 2 *Reg.* 8: 20. tuncque potuerunt jugum legis excutere; vel saltem saeviente Antiocho, & Circumcisionis usum interdicente, 1 Mac. 1: 51. & 63. donec ad officium revocarentur ab Hyrcano. Nunc restat probandum *Edonios* sive *Odomantes* Lacedaemonum fratres aut consanguineos fuisse, nec id difficile, saltem tecum agens, qui cum Grotio putas Lacedaemones ab antiquis Pelasgis ortos; Constat enim hos Pelasgos occupasse Thessaliam, Thraciam, & vicinas regiones ad Hellespontum usque, quem etiam trajecerunt teste *Dionysio Halicarn.* lib. 1. Imò & vicinas insulas, ut Scyrum, Scyathum, si volumus eos esse Pelasgiotas de quibus *Marcianus Heracleotes*, vel ut alii probabilius volunt Scymnus Chius, vel ut placet Salmasio *Apollodorus*, nam v. 583. testatur quod occuparint

. . τὴν

. . . τὴν Σκῦρον ἢ καὶ
τὴν Σκίαθον ἐκ Θράκης διαβάντες ὡς λόγος
Πελασγιῶται.

Scyrum & Scyathum transeuntes è Thraciâ Pelasgiotae ut fertur. Iustinus etiam l. 7. c. 1. primam Macedoniae antiquitatem describens testatur vetustissimos illius regionis incolas fuisse Pelasgos: *populus*, inquit *Pelasgi*; quare Salmasius de Hellenist. p. 323. scribit. *Hinc licet colligere quaecunque de Peloponnesi originibus prodita sunt ad Thessalos & Macedonas esse revocanda, & Thraciae Scythiaeque vicina loca, unde hominum primum genus in Graeciam propagatum est.* Haec inquam effatur expensis diligenter de prima populorum origine monumentis. Sanè à Pelasgis Thessalicis magnam Italiae partem primitus cultam, & ab iis antiquissimas urbes ut *Agylla*, quae longo post tempore *Cære* est dicta, & *Roma* ipsa, teste *Plut.* in Romulo, conditas, authores sunt

Dio-

Dionyſ. Hal. l. 1. & *Strabo* l. 5 imò hic l. 6 *Jonicam oram maritimam univerſam occupaſſe, Chios condidiſſe,* & l. 7. *ipſam Atticam poſſediſſe; Quoſdam denique* refert lib. 9. *verſus Ætoliam migraſſe à Lapithis Theſſalia pulſos;* ſanè Epirum etiam tenuerunt, & *Plutarchus* in Pyrrho Phaëtontem primum Theſprotorum & Moloſſorum Regem fuiſſe, & cum Pelaſgo Epirum petiiſſe ſcribit; Veriſimile eſt igitur *primum Pelaſgum* Japheti nepotem ex Oriente Occidentem verſus profectum tenuiſſe littorales Aſiæ regiones, donec Helleſpontum nactus facile tranſfretavit, & Thraciam occupavit paucis comitibus in Aſiaticis regionibus relictis; è. Thraciâ autem Theſſaliam, Macedoniam, & Graeciam univerſam colonias miſiſſe. Hinc ſuos religioſos cultus ex ipſâ Thraciâ emanaſſe fatentur Graeci, quod leve non eſt argumentum ex ipſâ primos veniſſe colonos, cum ſine ullâ religione eos vixiſſe non ſit probabi-

babi-

babile: Imò ipsius cultus & religionis nomen: unde Etymologicum magnum θρησκεία, παρὰ τὴν τῶν Θρᾳκῶν ἐπιμέλειαν, τὴν πρὸς τὸ θεῖον, καὶ τὴν Ὀρφέως ἱερουργίαν, οὗτοι γὰρ πρῶτον ἐξεῦρον τὴν περὶ τὸ θεῖον ἔννοιαν, ἢ παρὰ τὸ τοὺς θεοὺς ἀρέσκεσθαι, ἢ ἀρέσκειν ὅ ἐστιν ἐξευμενίζεσθαι. *Threskeia dicitur cultus & religio à Thracum diligentia & studio erga Deorum & Orphei in primis sacra; Illi enim omnium primi circa divina sententiam & quandam scientiam excogitaverunt, & rationem quâ Diis placerent, vel eos placarent, seu benevolos redderent.* Sic Suidas. *Fertur, inquit, Orpheus Thrax primus Graecorum mysteria instituisse,* & τὸ τιμᾶν θεὸν θρησκεύειν ἐκάλεσεν, ὡς Θρᾳκίας οὔσης τῆς εὑρέσεως. *Et à Thracibus denominasse cultum divinum, quasi ab iis duceret originem.* Sic *Plutarchus* in Alexandro, inde θρησκεύειν *immodica & superstitiosa sacra* vult significare, iisque Olympiadem, ut Edonides, & cæteri Thracici Æmi incolae, initiatam fuisse. Sic Strabo

bo l. 10. *Musica & multa sacra à Thracibus in Graeciam & alias regiones migrasse* docet: At illos Thraces initiatos & edoctos à Pelasgis refert *Herodotus* l. 2. §. 51. Pelasgosque primos sacrificasse & Deos invocasse; denique *Dodonæum oraculum* omnium antiquissimum Pelasgorum esse institutum ex *Ephoro* & *Hesiodo* refert *Strabo* l. 7. Unde *Jovem* Homerus vocat *Pelasgicum* Il. π. ♈. 234.

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικέ.

Jupiter Rex Dodonæe Pelasgice. &c. ad quem locum.

Didymus Schol. Πελασγικὲ] Θεσσαλικέ: Πελασγία γὰρ πρότερον ἡ Θεσσαλία ἐκαλεῖτο ἐξ οὗ καὶ Πελασγὸς, ὡς ὑπὸ Πελασγῶν τιμώμενος. *Pelasgice, id est Thessalice; Nam initio Thessalia dicta Pelasgia, unde & Pelasgus idem est igitur ac à Pelasgis cultus.* Constat itaque Pelasgos omnium Græcorum & imprimis Peloponnesiacorum, inter quos Lacedæmones incoluisse Thessaliam

ſaliam & Thraciam, Thraceſque, genuinos fuiſſe Pelaſgos. Conſtat inſuper quoſdam Idumæos in Thraciam conceſſiſſe, & in unum eundemque populum cum Thracibus coaluiſſe, quod expreſſè refert *Thucydides* l. 4. Enumerat quaſdam urbes quarum colonos vocat *barbaros & bilingues Pelaſgoſque*, & *Edones* inter eos nominat, qui revera τ̃ βαρβάρων, & διγλώσσων denominatione deſignari merebantur, quia unam gentem è duabus diverſiſſimis effecerant, & lingua partim Graecâ, partim Barbarâ uterentur; Ex hac autem permiſtione, fœderibus, matrimoniis, & rerum omnium communi uſu confirmata factum eſt, ut quae Edonibus conveniebant Thracibus Pelaſgis tribuerentur, & contra; hinc quia Edones Judęorum fratres erant, illam fraternitatem ſibi competere putarunt Pelaſgi, & conſequenter Lacedaemones qui Pelaſgi erant. Revera ſic affinitates matrimoniis contrahuntur, & conſanguinei mariti

cum

cum uxoris ejus consanguineis quodam necessitudinis nexu junguntur. Superest ut disquiramus *quando* hi *Idumaei sive Edones* in Thraciam pervenerunt; Id potuit contingere subjugata à Davide Idumęa, siquidem Idumęi suis ritibus addictiores, & libertatis amantiores potuerunt Judæorum jugum effugere, & turmatim alias regiones petere, Circumcisione nihilominus retenta, quia olim suis majoribus traditam didicerant. Attamen verisimilius est id antea contigisse, & antequam inter eos Circumcisionis signaculum fuisset obliterarum, quo ex Abrahamo esse ortos patebat, & consequenter Judaeorum fratres, donec paulatim debilitatâ distinctae illius originis notitia, confusè duntaxat cognoverunt Abrahamum suae gentis authorem ut Judaicae; quapropter se Judæos existimaverunt; maximè si sciverunt alteram ejusdem gentis partem, quae Religionem Judaicam amplexata est, & patrias sedes retinuit, revera Judæorum

rum

rum nomine indigitari; id autem facile noverunt commerciis & variis officiis, quę ſolent diu intercedere inter eos quos vis aliqua ægrè diſiunxit. Vero itaque conſentaneum mihi videtur ingentem Idumęorum multitudinem cum pluribus Cananęis Thraciam & Graeciam petiiſſe *Cadmo* duce, quando *Joſua* Cananæorum patriam adortus eſt, & cum ſuis Iſraëlitis occupavit; licet enim Cananaeis duntaxat bellum inferret Joſue, tamen quia Idumęorum plerique cum Cananæis faedera habere potuerunt, & earum affinitatibus gaudebant, imò ferè omnes à Cananęis orti cùm Cananæas uxores duxiſſet ut Eſaü *Gen* 36: 2., eorum facilè potuerunt bellis implicari; vel quia excidio vicinorum exterriti alio migrare voluerunt; certum eſt multos ſedes mutaſſe, idque colligitur é Cantico Moſis poſtquam mare rubrum tranſiviſſet Exod 15: 15. *Tunc conturbati ſunt Principes Edom robuſtos Moab cepit tremor obriguerunt*

omnes habitatores Cananaeae. *Et Deut. 2: 4. Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Edom qui habitant in Seir, & timebunt vos*; & disertè *Numer. 24: 18. Edom promittitur Israeli in possessionem.* Cum igitur metus Idumaeos & Cananęos unà occupasset unà etiam ad fugam potuit compellere; sed quod praecipuum est; licet Israëlitae allocuti fuissent amicè Idumæorum Regem & transitum via regia petiissent, repulsam tulerunt, & cum copioso exercitu à finibus ejus expulsi sunt. *Num.* 20: 20. Quamobrem merito timuerunt, quando debellatis Cananaeis debitas ab ipsis paenas justè potuerunt exigerę; qui igitur ad injuriam inferendam promptiores fuerant, tandem ad fugam fuerunt promptissimi. *Cadmum* autem non tam viri nomen esse quam populi inter Cananæos celebris existimo, & quemadmodum à primo autore in sacra scripturâ populi saepe denominantur, Idumaei Edom, Israëlitae Israel, *Assy-*rii

rii Assur, & dicuntur; sic ab Ismaëlis filio *Cedma* qui ut fratres, Princeps fuit; populumque constituit Gen. 25: 13. & 16. *Caedma* etiam dictus ille populus, qui aliter solet dici *Cadmonei* ut Gen. 15: 19. ubi illorum terra per præoccupationem sive prolepsin scripturae solitam promittitur Abrahamo, & semini ejus legitimo & fideli: Nolim tamen acriter cum iis contendere, qui Cadmonæos illos non Ismaëlis sed Canani filios Chamique nepotes fuisse volunt, ut R. Aben Ezra in Gen. 15: 19. וקיני וקנזי וקדמוני מבני כנען *Cinæus, Cenizaeus, & Cadmonaeus ex filiis Canani.* Sic magnus Bochartus in *Phaleg.* l. 4. c. 36. vult *Hevaeos* Gen. 10: 17. *inter Canani filios numeratos esse, intelligendos illos Cadmonaeos & in Hermone monte habitasse* ex Jud. 3: 3. & Jos. 2: 3. quod etiam apprimè convenit fabulae, quae ex *Hermone* Cadmonæorum patria *Harmoniam* Cadmi conjugem fecit, & utrosque in serpentes transmutavit,

 quia

quia חוים *Hevaei* alterum Cadmonaeorum nomen ſerpentes ſignificat; Non refert igitur an ab Iſmaële orti credantur, an Cananaei habeantur, cum eadem nomina in diverſis familiis ſaepe uſurpentur; ſic Caïni familia ſuum habet *Henochum* Gen. 4: 17. ut Sethi familia 5: 18. & paſſim talia exempla occurrunt. Sufficit itaque Cadmonaeos numerari inter populos, quorum regio promiſſa Abrahami poſteris, & ita deſcribi, ut cum Cadmo nonnullam habeant ſimilitudinem. Inde enim mihi licet colligere illos Cadmonaeos ab authore *Cedma* etiam dictos, ex quo cum terminatione Graeca & Latinâ Κάδμος vel Cadmus emerſit; ſane Cadmo datur frater & comes *Phœnix* dictus *Apollod.* l. 3. & Cadmonei licet ex Canano orti, fraternâ affinitate juncti fuerunt cum vicina gente, cui peculiariter Cananæorum nomen haeſit, ut patet Gen. 15: 21. quemadmodum Iſraëlis nomen decem tribubus praeſertim adhaeſit, eoque diſtin-

ſtinguntur à fratribus Judęis poſt illorum diſſidium, (à quo Judæorum nomen celebre evaſit & maximè à captivitate, quia reduces omnes ſignificavit, & per prolepſin uſurpatur, cum ante illud tempus gentem non tribum duntaxat ſignificat.) Licet Judęi, ab Iſraële orti, atque Judæi eſſent. Jam verò ſciendum eſt Cananęum & Phœnicem eundem eſſe, Cananeoſque & Cananęam regionem Phœniciae & Phœnicum nomine ſolere deſignari, ut apud ſanctum *Juſtinum Martyrem* cohort. ad Graecos legitur, quod Moſis majores διὰ λιμοῦ περίφασιν ἀπὸ τῆς Φοινίκης ἐπὶ τὴν αἴγυπτον, *propter famem ex Phœnicia in Ægyptum* migrarunt. Cuivis autem notum è regione Cananæa Jacobum & liberos profectos in Ægyptum. Sic *Dio* Palaeſtinam, quam alio nomine *Judæam* dictam aſſerit, teſtatur *à Phœnicia juxta mare Mediterraneum ad Ægyptum uſque extendi.* lib. 37. Verum enim verò ut nullus dubitandi locus ſuper-

ſit, ſequamur *Phœnicem* & *Cadmum*, ut pateat utroque deſignari ingentem populum, cumque eodem tempore contigerit Cananæorum & Cadmonæorum clades & fuga tuncque vix poſſint ullae aliae populorum migrationes excogitari, revera in eo populo Cananæos & Cadmonæos cum nonnullis vicinis, & fœderatis Idumæis agnoſcamus. Per *Cariam* & *Lyciam* profecti ſunt, ubi illorum veſtigia ſunt *Cadmus mons*, & *Phœnix* etiam *mons*, & *vicus* praetereà: ut autem navibus non erant inſtructi fretum anguſtius petiverunt, ut transfretarent, *Helleſpontum* ſcilicet, quamobrem in *Thraciam* pervenerunt ubi Idumæorum major pars fixit ſedes & in nomen *Edon* Edom antiquum degeneravit; quod ut teſtibus probem obſervandum. 1. conſtanter affirmari à patre miſſos *Cadmum* & *Phœnicem*, ut Europam quaererent: Querunt itaque à patria expulſi, ſed *Cilix* tertius frater ſtatim in limine defatigatus, vel potius turba, annis & infir-

infirmitatibus magis impeditus Ciliciae vacuas regiones occupavit: Alii autem partim assequuntur, Thraciam obtinentes. Κάδμος δὲ καὶ τηλέφασσα ἐν θρᾴκῃ κατῴκησαν. *Cadmus autem & Telephassa Thraciam occuparunt*, inquit *Apollod.* l. 3. imo *Thasus* sociorum unus de suo nomine urbem *Thasum* condidit & habitavit, ut ibidem refertur, & insulam, teste *Conone*; qui praeterea *Conon* (cujus epitomen habemus apud Photium cod. 32.) refert *Protheum* etiam è Cadmi sociis unum, filiam *Cliti Sithonum* Thraciae populorum regis duxisse in uxorem, καὶ Βισαλτῶν ἀπηλαθέντων τῆς οἰκείας γῆς τῷ περὶ αὐτοὺς πολέμῳ, *& Bisaltis eo bello suâ patriâ pulsis*, eorum regioni imperasse; *Bisaltarum regio* ea est quam Edonii, Odomantes seu Idumæi tenuerunt pulsis versus Macedoniam prioribus colonis, & cum vicinis Thracibus miscentes connubia, affinitatesque contrahentes in eundem populum coaluerunt; Quamobrem fraternitatem cum Lacedae-

moniis contraxerunt quandoquidem hi ut & Thraces, Pelaſgi erant & unum eundemque Pelaſgum patrem agnoſcebant. Nec hic tamen ſubſiſtere placet; expeditiores enim ſecundis ſucceſſibus elati cum Cadmo ultra proceſſerunt, & in itinere medio in Macedoniâ nonnullos ſocios adhuc reliquit, à quibus ille Phœnix Achillis educator, qui Dolopes rexit, duxit originem; quidam eorum etiam Athenas potuerunt occupare, ad quod reſpiciens *Eudoxia* Athenienſis, uxor *Theodoſii Junioris* ad Hieroſolymitanos Judæos, ait apud Evagrium l. 1. c 20. Ὑμετέρης γενεῆς καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι. *ſtirpe ſatam veſtra, & ſanguine glorior eſſe.* Ipſe vero duce bove ut oraculum juſſerat, *Bæotiam* inde denominandam pervenit, eaque bove defeſſâ & procumbente ſubſiſtit, bovemque mactavit, & *Thebas* condidit; ut refert idem *Apollod.* l. 2. & alii innumeri. Urbem autem *Thebas* dixit quia Phœniciâ linguâ תבה, *Theba*, *navis* eſt; & nave

nave potuit advehi littora legens, & terrestris exercitus latus cingens, ne cibariis & aliis commodis portatu difficilioribus destitueretur. Addit fabula eum *serpentem occidisse*; scilicet *Hevæorum nomen pristinum abolevit*, hujus autem serpentis dentes seminavit, ex quibus viri armati exorti sunt, quos propterea σπαρτὺς vocant, quasi *seminatos*; cujus denominationis variae possunt afferri rationes. 1. Phœnicum & Hebræorum linguâ idem verbum זרע *Zerang semen* quodvis in terras sparsum significat, & etiam *liberos*; sic Gen. 15:3 Abraham Deo dicit *non dedisti mihi* זרע *semen*, (quod verbum Gen 1:11, 12 pro semine herbarum, fructuum, olerumque usurpatur) *Paraphrastes autem Chald. & Syr.* habent ולד *velad*, & ברא *bara filium*: & sic debet accipi Gen. 3:15. ubi atrox bellum indicitur *semen mulieris inter*, & *semen serpentis*, *illudque hujus contriturum caput prædicitur*; at cum σπέρμα sit neutrius

 gene-

generis & ſimile pronomen requirat, tamen in Lxx. αὐτὸς legitur, ſcilicet, quia ibi *ſperma* non quodvis *ſemèn* ſed *humanum* ſignificat, & pro filio mulieris accipiendum eſt. Graeci, autem non minus genus τοῦ σημαινομένου rei ſignificatae, quam nominis ipſius ſolent reſpicere, ut cuivis notum; Seminatos igitur bellatores dixit pro genitis liberis fabula, ut *Mercurius* in Amphitru. Plauti.

Alter decumo poſt menſe naſcetur puer
Quàm ſeminatus.

Seminatus, id eſt genitus, conceptus. Ex *dentibus* autem ſeminatis hi nati dicuntur, quaſi ex *robuſtiori parte*, ut liberi patribus fortiores intelligerentur. 2. Anguineo repente hoſtes reperit ſeminio: quia ad littus fortaſſe cum paucis appulit, & ab exigua turba nihil metuentes incolas illico terreſtri exercitu inopinatò oppreſſit; vel contra maritimo, ſi

ſi Cadmus terreſtri itinere advenit; è terra enim prodire dicuntur quae ſubito & antequam providerentur apparent; Sic è terra pede ſuo pulſa proditurum exercitum jactabat Pompejus: Denique *dentes*, Phaenicum & Hebræorum ſermone *vires*, *praeſidia*, & *arma* deſignant, hinc Pſal. 3:7. Deus *confregit dentes impiorum* id eſt גבורתם *vires ipſorum* ut R. S. Jarchi. Job. 39: 28 *Dens petrae* eſt munitio nullis inſultibus obnoxia; & *Dens* dicitur שן *Sen* à שנן *Sanan* quod *acuere ferrum*, *gladium*, *haſtas* ſignificabat; unde & שניבה *cuſpis haſtae*; & Arabicè ex eadem voce שנן *Sinan cuſpides haſtarum & dentes* vocantur; quapropter Conon apud Photium l. c. fabulas interpretatur de inſidiis & ſtratagematibus inuſitatoque armorum genere, quibus debellarunt incolas Cadmus & ſocii, poſtquam initio repulſi & quaſi deleti fuiſſent, ut viderentur redivivi & ſerpentium inſtar dolis ſuperantium victores incautos, atque

atque illico ex cæde & morte ipsa resurgentium, etiam ferociores. Nonnullas alias expositiones potes videre apud *Tzetzem* ad ℣. 1201. Alexandrae Lycophr. quas omnes referre taediosum esset. *Tzetzis* duntaxat sententiam referam; Vult igitur serpentem fuisse latronem quemdam vel regionis Regulum; à quo nonnulli Cadmi Socii occisi sunt, quare ipsum oppugnavit, & cum majori parte militum trucidavit. οὓς δὲ ὀδόντας καλεῖ διὰ τὸ δηκτικοὺς εἶναι, πολλοὺς δὲ αὐτῶν καὶ διεσκόρπισεν, ὧν τινας δὲ ἀγχιστεῖς καὶ γαμβροὺς ἐποιήσατο. *Quos milites vocat dentes quod mordaces essent, multos autem eorum dissipavit, quosdam autem affinitate sibi junxit & generos fecit.* Quicquid sit, socii Cadmi ob has rationes dicti sunt Σπαρτοὶ *Sparti*, vel ut in Scholiis *Euripidis* ad v. 674. Phænis. secundum Androtionem, διὰ τὸ ἀκολουθήσαντας αὐτῷ ἐκ Φοινίκης Κάδμῳ σποράδην οἰκῆσαι. *Quia ex Phaeniciâ secuti Cadmum sparsim varias regiones occuparunt*; vel ut

Am-

Amphilocho placet, διὰ τὸ ἐπισπαρῆναι τοῖς οἰκοῦσιν ἐν Θήβαις *Quia diſperſi ſunt inter Thebanos incolas.* ἔνιοι δὲ παῖδας Κάδμου αὐτοὺς φασὶν ἐκ διαφόρων γυναικῶν τὸν ἀριθμὸν. *Alii denique volunt Spartos fuiſſe Cadmi liberos ex diverſis genitos uxoribus 13 numero.* Spartos igitur conſtat dictos Cadmi liberos, aut potius, ut pluribus placet, ſocios inter quos plures Idumæi ut probatum; Jam verò conſtat etiam Lacedaemones eodem nomine deſignatos fuiſſe *Spartiaſque* & *Spartanos* quaſi à Spartis oriundos vocari, quod temerè & ſine teſte, non affirmo, ſic enim *Stephanus* de Urbibus in *Spartâ.* Σπάρτη Λακωνικὴν χωρίον ἀπὸ τῶν μετὰ Κάδμου Σπαρτῶν, περὶ ὧν Τιμαγόρας φησὶν, ἐκπεσόντας δ' αὐτοὺς εἰς τὴν Λακωνικὴν Σπάρτην ἀφ' ἑαυτῶν ὀνομάσαι. *Sparta urbs Laconica à Spartis Cadmi ſociis de quibus Timagoras ait eos petiiſſe Spartam Laconicam & à ſeipſis denominaſſe.* Nemo itaque miretur Spartanos Judæorum dici fratres, quandoquidem ſuam originem debent Idumęis

dumæis Judęorum fratribus, & aliis Cadmi sociis, qui cum veteribus Lacedaemoniis illam urbem constituerunt; nisi etiam Lacedaemonum & Lacedaemonis nomina iisdem Phœniciis debeantur, qui novam illam urbem sic vocaverunt, quod è Thebis meridiem versus procedentibus occurrerit & ipsis visa sit לקדם *lakedem* id est *Orientalis*: Nonnunquam enim meridies cum Oriente confunditur; addere possem Bacchum proprium Thebanorum Deum secundum Clem. Alex. admon. ad gent. Phœniciam redolere originem & à בכה *bacha* id est flere dici quia fletibus colebatur sub nomine Osiridis apud Ægyptios. Idem enim teste *Ausonio* Epig. 29:

Ogygia me Bacchum vocat
Osirim Ægyptus putat.
Mystæ Phanacem nominant,
Dionyson Indi Existimant,
Romana sacra Liberum.
Arabica gens Adoneum
Lucaniacus Pantheum.

Nota

Nota Arabibus, id est Idumæis dici Adonæum 'ארוני veri Dei nomen, unde & Adonis revera fletibus celebris, de quo S. Hieronymus, & post ipsum innumeri explicant *Ezechielem* 8:14. sed vide *Seldenum de Diis Syris*, syntagm. 1. c. 4. & synt. 2. c. 11. Denique ne vel minimum sententiae nostrae deficiat fulcimentum, in ipsâ Lacedæmone Judæi inveniuntur prȩter Idumȩos & cæteros Cananȩos Cadmi socios: Judȩos inquam Lacedæmone & vicinis regionibus satis celebres & numerosos inveniam, ut inter Orientis domitrices Bacchi copias eminuerint, & persuaserint ipsam Judȩam ab iis fuisse denominatam; scilicet apud Stephanum de Urbibus in Judæâ refertur quod Claudius Iolaus velit dictam ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος ἐκ Θήβης μετὰ Διονύσου ἐστρατευκότος, *à Judæo Spartiata*, (ut Λάκωνωνος Lacedaemonis incola, sic Σάρτωνωνος Spartae) *è Thebis cum Baccho in militiam profecto.* Necesse est ut Lacedaemone Judȩi fuerint celebres,

quan-

quandoquidem à Judæis Lacedęmonensibus Judęam denominatam Græci crediderunt; Cum autem Judaei illi vel Idumæi Judæorum nomen usurpantes inter Spartae & Spartanorum authores & conditores extiterint & in eandem gentem coaluerint, non mirum si Judæorum patrias sèdes obtinentium Lacedaemonii se fratres autumaverint. Addam *Pausaniam* in Laconicis referre quod *Comitium Spartæ* erat dictum *Varium*, in quo heroïca monimenta Cadmi & sociorum, ut pote gentis autorum asservabantur.

Sed sufficit nec diutius conjecturis nostris obruendus es. Uno verbo potuissem quæstioni satisfacere, observando *Cadmum Asiaticum*, fratrem fuisse *Europæ*, & hâc ratione Europæos Asiaticorum populorum fratres merito posse omnes haberi, ut mittam eos qui cum *Diogene Laertio* in procemio operis de vit. philos. existimarunt non Philosophiam duntaxat, sed totum genus huma-

manum ſuam à Græcia duxiſſe originem. Verùm longioris colloquii deſiderio flexuoſum iter tenui. Utinam tibi moleſtum non fuerit, vel ſaltem non indignum venia. Vale Vir Praeſtantiſſime, & tibi addictiſſimum Morinum tuum amare perge.

STEPHANI MORINI DISSERTATIO II.

AD
CLARISSIMUM DOMINUM
JUSTELLUM
REGIS CHRISTIANISSIMI SECRETARIUM.

DE
Cognatione Lacedæmonum & Hebræorum.

ARGUMENTUM.

Diſſertationis occaſio. Edonii Thraciae *populi*, *ex* Idumæis *orti*. *Ce-*


 leber-

leberrimi Bullialdi, Edonios *à* Colchis *deducentis*, *opinio*. Essedones, Colchis *conjuncti*, *sunt* אישי ארונין, *Viri* Edonii. Graeci *ad* Pontum Euxinum *incolentes*. *Variae* Graecorum *urbes in* Asiâ. Trojani *ex* Peloponneso *orti*. *Mare* Ἄξενον, *ex* Graecorum *humanitate*, *appellatum* Εὔξεινον; *Teste* Strabone. Caucasi *tyrannis*. Graecorum *itinera per* Thraciam *versus* Colchidem. Colchi *probante* Stukio, *ex* Judaeorum *prosapiâ*; *Quod illustri* Herodoti *testimonio confirmatur*. Judaeï *Lini artificio dediti*. *Absurda* Stukii *Etymologia*, Colchidis *nomen*, *à voce* כול, *derivantis*. Maimonidis *gravis Sententia*, *contrà peregrinationes* Judaeorum *extrà terram Sanctam*. Josephi *Sanctio ne fratres alienigenis miscerentur*. Herodoti *error*. Sesostris *expeditio*, *ante* Ninum *&* Semiramidem *Suscepta*. Sesostris *antiquior* Mose *&* Abrahamo. *Circumcisio ab Æ*gyptiis

gyptiis *admissa*, *tempore* Salomonis. Sesostris, *à* Salauce, *rege* Colchorum *victus*; *Ex narratione* Plinii. Colchorum *Etymologia*, *ex* חלח, Celach; 2 *Reg.* 17:6. חלח, Celach, *apud* Lxx. Ἀλαὲ. Bocharti *opinio*, *statuentis* חלח, Celach, *esse* Ptolomaei Calachenam: *Quod non Verisimile. Coloniæ plerumque cognomines, cum iis regionibus, unde exiverant*; *Quod variis exemplis*, Chaldaeae, Aramaeae, Assyriae, Mediae *&* Solymorum *ostenditur*. Colchis, Calachenae Assyriorum *provinciæ colonia*. Israëlitae *primò deducti in* Calachenam, Assyriorum *regionem*, *& deinde*, *in* Colchidem, *eorum Coloniam. Locus* 4 *Esdr.* 13: 40, 41. *illustratus*. Judaei *in* Ponto *incolentes*. *Vestigia* Israëlitarum, *&* Colchorum, *inter se permixtorum non contemnenda*. Colchi, Lazii *appellati*; *Teste* Agathiâ. לעז, *nomen illorum*, *qui legem* Judaïcam *non observant*. Judaei

daei *per Contemptum* Apellae *dicti.* Apellaeï, Scythiae *populus.* Phasis, Colchidis, *fluvius*, *quasi* פצירא, *fluminis alveus.* Bocharti *Explicatio vocum Ambiguarum*, שור, נחש, גזא. *Fabulæ de vellere aureo origo.* *In* Mengreliâ, Colchidis *regione*, *festum cum* Judęorum Paschate *conveniens.* *In* Tartariâ Colchidi *vicinâ Turmae* Nephtalitarum, *&* Danitarum. *Historia de rege* Tibur, *in Meditullio* Tartariae. טבור, *umbilicus.* Judaeorum *reliquiæ in* Indiâ; *Ex quorundam opinione. Doctissimi* Bullialdi *sententia*, *cum illa* Authoris *conciliata.* Israelitę, *è* Colchide *in* Thraciam *delati*, *&* Pelasgis *permixti*, Lacedaemones *&* Judaeos *affinitate junxerunt. Rectius* Cadmus *&* Phoenices *affinitatis*, *inter* Judaeos *&* Lacedaemones, *conciliatores.* Κάδμος, *à* Cedmâ, *filio* Ismaelis, *oriundus.* Phœnix, *frater* Cadmi, *erat* Edom, *frater* Ismaelis. Phœnix,
&

& Edom; Φοινικὸς, & Ἔρυθρος, *Synonyma. Imperatorum* Constantinopolitanorum ὑπογραφαὶ ἐρυθρόχροαι, *vel* φοινικόχροαι, *rubricaloris.* ארום, *notat ruborem. Mare* Edom, *apud* Graecos Ἐρυθρὰ θάλασσα. *Rex* Erythra, Hebraeorum Edom. Boeotia, Καδμηὶς *dicta*; & *Arx* Thebana Καδμεία. *Varia nominis* Phoenicii, *in* Graeciâ *vestigia.* Sparta, *à* Spartis Cadmi *posteris*, *nominata. Concluditur*, Lacedaemones Judaeorum *fratres fuisse*, *tam*, *ex parte* Cadmi, Ismaelis *filii*, *quam ex parte* Phoenicum, Edomi *posterorum. Ad Duplicem Objectionem Respondetur.* Cuthaei *fratres* Judaeorum *se jactantes*; *Teste* Josepho. *Dissertationis clausula.*



BUTERER, VIR CLARISSIME, commercii litterarii jure, quod mihi humaniter concessisti, si sæpius te interpellarem; at, si rarius, utilitati meæ officerem: Patere

re itaque, ut commodo utriusque consulatur, mensis curriculum quod à tuis litteris effluxit, legitimum esse interstitium: Sanè silentium meum diutius non possum prorogare, quin minus gratus videar erga te, qui meis conjecturis favere voluisti, & favore tuo commendasti Doctissimis sodalibus tuis, imo mihi ipsi, cui levissimæ videbantur, antequam benevolentiæ tuæ fuissent conciliatrices. Itaque ad abrumpendum silentium me sollicitant grati animi propensio, & studium ab omni reprehensione favorem tuum vindicandi. Audacter igitur verisimile esse Edonios Thraciæ qui se Iudæos jactarunt ex Idumæis ortos & ex Edom Edonidem regionem factam, Edoniorumque illorum cum Pelasgis omnium Græcorum majoribus coalescentium opera affinitatem Lacedæmoniis cum Iudæis intercessisse, propugnabo. Attamen ne temeritatis suspicione graver, ingenuè fatebor me Celeberrimi Bullialdi humanitate fretum in arenam

arenam contra ipsum descendere; Etenim humanitas à summa qua pollet eruditione, non solet dissociari.

Mavult, quemadmodum refers, magnus ille Vir *Edonios deducere è regione Colchos quàm ex Idumeis quoniam Colchi erant circumcisi.* Miror illum vocare Colchidem *Colchos*; Colchis enim vocatur *la Colchide*, & ab ullo probato authore (Romantiorum enim scriptores tales non duco) eam *Colchos* unquam dictam non arbitror. Circumcisio autem non magis adscribit Edonios Colchis, quam Edoniis Colchos, & par utrobique hæc est ratio, Imò vero probabilius esset Colchos ab Edoniis deducere, cùm nullum Colchorum vestigium inter Edonios appareat, & contrà Colchis junctos *Essedones* celebret Plinius l. 6. c. 7. qui lingua Edoniorum sive Idumaeorum sunt אישי ארונין, *viri Edonii* aut *Edones.* Adde in Scythia, sub quâ Colchidem comprehensam fuisse probabo, Edones quosdam etiam habitasse testari

eundem *Plinium* l. 6. c. 17. Ne autem videatur parum rationi consentaneum reducere in Asiam ex eâ ortos homines, postquàm Thraciam occupassent, nec ab ea caperentur, observandum est apud *Herodotum* l. 2. idem hoc iter tenere Sesostrim, & eandem Thraciam occupasse antequam Colchidem aggrederetur. Constat insuper Graeciam à divisione orbis inter Noachidas facta coli caepisse, & postea colonorum nimia multitudine refertam plures eorum amandasse in vicinas regiones, & tandem in ipsam Asiam, cujus opposita littora tenuisse ad Pontum Euxinum usque, imò circum illud mare celebres condidisse urbes Græcos, omnes historici testantur. Hinc Ovid. 3. trist. Eleg. 9. *Hic quoque sunt Urbes Grajæ.* Sanè ad Ponti Euxini littus invenimus τραπεζοῦντα πόλιν ἑλληνίδα ut loquitur *Xenophon* initio lib. 5. Αναβ. & Athenas cum templo Graecorum more constructo, & Minervae sacro apud *Arrianum* in περιπλ.

Thra-

Thraciamque gentem esse Bithynos Mariandynorum vicinos, apud *Scylacem* in ejus perip. discimus; imò Plinius l. 6. c. 32. refert *transiisse ex Europâ Mysos, & Brygas & Thynos à quibus appellantur Mysi, Phryges & Bithyni.* Imo *Trojanos* ipsos ex *Peloponneso ortos*, & post Samothraciam aliquandiu possessam occupasse Phrygiam *Dardano* duce à quo *Dardanii* dicti, quam jam partim occupaverant ex Attica advenæ, docet *Dionys. Halic.* l. 1. Plura Græcorum monumenta possent describi, sed sufficiet ex *Strabon.* lib. 7. notasse tantam Graecorum copiam in has regiones translatam, ut maris cui adjacebant, pristinum nomen ἄξενον in εὔξεινον mutatum fuerit prævalente scilicet Graecorum humanitate, & domante barbarorum inhospitalitatem. Prætermittere tamen non debes *Caucasum* à Japete ortum in has oras suam protulisse tyrannidem, ut de suo nomine dictus mons testatur, quandoquidem victoria quam ab ipso

 retu-

retulit *Assyrius Thuras*, nostro proposito accommodabitur; Jam verò ex his omnibus coloniis & transmigrationibus Græcorum Colchidem versus, eam petere Thracibus fuisse facillimum colligo, cum per eorum regionem iter facere debuerint Græci, si pedibus, & freto Bosphori angustissimo eò profecti sunt.

Nihilominus cum Viro Doctissimo nolo contendere, & sat honorificum duco quod in nostras conjecturas, oculos & animum voluerit advertere; Per me igitur liceat è *Colchide* Edonios in Thraciam deducere; etiam hac ratione Judæi erunt & Abrahami progenies, quod tibi proculdubiò non est inauditum; Nam I. G. *Stukius* variæ Eruditionis Vir in suis Commentariis ad *Periplum Ponti Euxini Arriani*, contendit *Colchos Judæos esse* ex eo quod Herodotus referat lib. 2. *in Colchidem advenisse ex Ægypto, esse circumcisos, crispos habere capillos, & faciem fuscam, linumque modo iis Ægyptiisque*

isque

ιsque peculiari elaborare; quod revera Judæis convenit; in primis lini artificio deditos patet *Hos.* 2: 5, 6. Nec mirum si ex Ægypto venisse dicantur, & cum Ægyptiis eandem habere linguam, cùm diu in Ægypto manserint, & cum Ægyptiis egerint; quin ipsum Colchidis nomen ex Judaïcâ linguâ vult formari, siquidem כול *col capere*, *valere*, *& nutrire* significat. Equidem non possum Stukio assentiri: Etiam non fugit ipsum decipi dum à כול Colchidis originem petit; Quicunque enim genium linguarum Orientalium novit, fatebitur eas habere litteras, quibus quasi radicibus nomina coalescunt & sustentantur; ea autem non sunt mutationi nec intermissioni obnoxiæ: tales sunt hę tres consonantes C. L CH (vocales contra fluxæ sunt & facile mutantur inter Orientales, qui raro eas adscribunt) Absurdum ergo illud petere à voce vix mediam partem continente vocalium, quae radicem constituunt: Præterea non arbitror Judęos

dæos etiam dum in Ægypto commorabantur ſub Ægyptiis Regibus militaſſe; ſiquidem Joſephus caverat, ne his alienigenis fratres miſcerentur, cum illos monuit docere Pharaonem, quod paſtores ovium eſſent; *nam Ægyptii paſtores execrabantur* Gen. 46:34. Nec minus Judæi averſabantur alienigenas & longinquas à terra promiſſa peregrinationes, ſecundum hoc axioma R. M. B. Maimon, cujus tractatum ab amico verti ſcribis; כל הדר בחוצה לארץ כאלו עבדים &c. *Quicunque extra terram illam commoratur æquè reus eſt, ac qui colit ſtellas & planetas.* Poterant itaque in Ægypto manere quia in hanc regionem Dei mandato deſcenderant, ſed vitæ inſtitutum non ſinebat, ut in longinquam militiam proficiſcerentur: Denique nec *Herodotus* ſtipulatorem me habebit, licet ipſi adſtipulentur *Diodorus Siculus*, *Dionyſius Periergetes*, & alii, dum hariolatur Colchos originem & Circumciſionem debere Ægyptiis, & à

Se-

Seſoſtri in Colchidem traductos; ut enim optimè obſervavit *Agathias* in Juſtiniani hiſtoria l. 2. Illuſtris ille *Seſoſtris* expeditionem quam refert *Herodotus* ſuſcepit *ante Ninum & Semiramidem*; tunc autem nec Judæi nec Iſraëlitae, nee Abrahamus cui primo data eſt circumciſio, exiſtebant; idque poteſt confirmari Ægyptiorum Regum ſerie licet confuſa & perturbata; Nam in Chronographia *G. Sincelli* videre eſt, ſecundum Manethonem, *Seſoſtrim Regem tertium eſſe duodecimæ Dynaſtiæ Regum Dioſpolitanorum*; Moſem autem octavum dumtaxat ab Abrahamo ſub 18. Dynaſtiâ demum natum. *Euſebius* autem in Chronico teſtatur Abrahamum natum anno 43. *Imperii Nini*, dum 16. Ægyptiorum Dynaſtia floreret; jam ſcilicet elapſis à Seſoſtri quatuor Dynaſtiis. Quare optimè Juſtinus initio epitomes, Regnum Ægyptiorum antiquius facit Aſſyriorum Imperio, & Vexorin anteceſſiſſe Ninum aſſerit; idque ratio

ratio ſuadet, nullus enim patet locus victoriis Seſoſtris, quæ ipſi majorem Aſiæ partem ſubdiderunt, ſub Imperio Aſſyriorum, & illius curſum interrupiſſent, quod non factum. Præceſſiſſe igitur neceſſarium eſt, quamvis junior fingeretur Seſoſtris, & ipſi aſſignaretur ſeculum, quo captivi detinebantur in Ægypto Iſraëlitæ: Quis credat Regem & populum dominatorem à ſervis jugum circumciſionis moleſtiſſimum ſuſcepiſſe; Victores quidem Judæi coëgerunt ſubditos circumcidi, at ſubactos id obtinuiſſe à Dominis ſuis nemo ſibi perſuadebit: Poſtquam effugerunt ex Ægypto Iſraelitæ ingens odium poſt ſe reliquerunt ob plagas quibus percuſſa eſt Ægyptus, & tantùm non deleta, quod non ſollicitabat Ægyptios ad morem gerendum Iſraelitis, & ritus illorum amplectendos; ſub Judicibus autem modo à vicinis oppreſſi, modo aſſerti in libertatem vix Ægyptiis anſam dederunt de eorum ritibus cogitandi; Qua-

Quapropter putarem tempore demum Salomonis Ægyptios circumcisionem admisisse, cum sapientia ejus, & Regis magnificentia capti societatem cum ipso inire ambiverunt; Quin videntur *tributa pependisse* 2 *Reg.* 10: 20. Sed sufficit *filiam Regis Ægypti duxisse Salomonem* 2 *Reg.* 3: 1. Ut enim filii Jacobi in matrimonium Sichemo Dinam dare noluerunt, antequam ipse circumcideretur, nec matrimonia cum incircumcisis licita putarunt *Gen* 34: 15. probabile est Salomonem exegisse eamdem conditionem, & necessariam putasse, saltem eo tempore quo regnare incipiens pietati impensius incumbebat; quod fortasse movit *Josephum* ad tribuendum *Susaco* quem asserit regnasse tempore *Roboami* l. 8 Antiq c. 4 *quæ de Sesostri narrat Herodotus*; Tunc quidem Ægyptii revera circumcisi fuere, sed ab Ægyptiis tunc ducere originem Colchi non potuerunt: Jam enim celeberrimi erant, & ante tria circiter

ter secula in ipsos expeditionem susceperant *Argonautæ:* tot rationibus oppugnatum Herodotum debellabit *Plinius* l. 33. c. 3. ubi narrat in *Colchis regnasse Salaucem, & Esubopem reges doctissimos*, illumque aureas cameras, & argenteas trabes habuisse *victo Sesostri Ægypti Rege &c.* Quis enim credet Sesostrim autorem gentis Colchicæ fuisse, si à Rege Colchorum fusus est, & deletus; Sanè Colchi antiquiores ipso fuerunt, si habuerunt Reges qui prostraverint ejus exercitum, nec ab ipso circumcisionem receperunt, cùm Victores à victis leges non accipiant; Falsus est igitur Herodotus & veniam meretur, nam dubitans ad Ægyptios refert originem Colchorum, sed rei sunt qui post ipsum affirmârunt, quod dubitanter proposuerat. Rejectis itaque Herodoti conjecturis & Stukii rationibus ad rem ipsam accedamus, & proponamus probabiliorem sententiam de Colchorum nomine & origine.

Quod

Quod nomen ſpectat Colchi ex חלח *Celach* de quo 2 Reg. 17:6. Ut enim ex *Meſech* facti ſunt *Moſchi*, ex *Celach Colchi* fieri debuerunt: Imò apud *Simocattam* l. 7. c. 8. gens illa Κολχ. dicitur, ſicque propius accedit ad *Celach*: At in Verſione Lxx. pro *Celach* legitur ἀλαὲ quod mirabuntur, qui ignorant litteram ח. h. vel ch. quæ initium & finem facit illius nominis ſæpe inter Ebræos vim aſpirationis aſperę duntaxat obtinere, quod innumeris exemplis poſſet probari; ſic illa littera à fine & principio ablata remanſit ἀλαὲ, quod mutatum tandem in λαΐα, id eſt, ſecundum *Stephanum* in illa voce, λαζίκη, *Colchis*.

Facilè conveniunt nomina, ſed operoſius eſt regiones illis deſignatas conſociare; Nam regio *Celach* ferè eſt ignota, & de ejus ſitu diſcordant authores; Magnus *Bochartus* quondam meus Collega in ſuo *Phaleg* p. 220. breviter obſervat *Celach* eſſe Ptolemæi *Calachena* ad Septentrio-

F nem

nem Assyriæ sitam, cum videatur circa se habere alia loca, in quae deportatos Israëlitas legimus 2 *Reg.* 17. ℣. 6. Dico obiter observasse, vix enim dubito, quin animadvertisset si præstantissimi ingenii aciem in sanctae Scripturæ verba consultò intendisset, ea non cogere, in tres vel quatuor regiunculas Assyriȩ propriè dictæ tot myriades exulum Israëlitarum coacervare, quas nescio an tota capere potuisset; Sic loquitur sacer textus, *Rex Assyriæ cepit Samariam, & transtulit Israëlem in Assyriam, & habitare fecit eos in Celach, & in Chabor flumine Gozan, & civitatibus Medorum*, ubi Assyriȩ comprehendit totum Assyriorum Imperium, & secundum *Strabonem* extenditur ad *Ægyptum*, *Mare Mediterraneum*, *Pontum Euxinum* l. 16. reverà *Celach*, *Chabor*, *Gozan*, & *Media*, ut ejus partes assignantur, quæ in Assyria propriè dicta non continentur; Quis autem credat in ipsum Imperii meditullium

tot

tot hostes infensissimos, suisque cladibus irritatos Assyrium Regem traduxisse, ut iis quasi obsessoribus semper premeretur? Nec etiam simul degentes Mosaïcum oraculum complevissent, nam Levit. 26:33. sic per Mosem Deus eos alloquitur, *Vos autem ventilans dispergam in gentes*. Quibus verbis innuitur dispersio ingens & qualis fit cum paleæ jactantur inanes à ventilabro, & dantur ludibria ventis; unde decem illę tribus nec societatem ullam inter se inire, nec patriam repetere potuerunt, ut Iudaïca, quæ simul in eadem regione mansit Deo sic disponente, & facilius erat unam tribum simul ad paucos annos hospitari quàm decem. Nihilominus in vicinas etiam regiones dispersam non obscure indicat *Epistola Iudæorum reducum* quæ habetur 2 *Macc.* 1:19. & testatur *patres eorum in Persiam deductos*. Ne tamen à sententia Illustrissimi Viri omnino discedam, observabo Assyrios solitos ex propriis ditionibus in eas quas armis com-

paraverant mittere colonias, quæ originis nomen conservabant: Sic *Chaldæa* Arabiæ contermina sibi cognominem fecit coloniam juxta *Tibarenios* & *Trebizontem*, teste *Strabone* l. 12. imo secundum *Æschylum* & *Stephanum* juxta ipsam *Colchidem*; Sic *Aramæa* sive Mesopotamia *Aramæos* misit ad usque *Scythas* quos invenimus apud *Plinium* l. 6. c. 17. *Assyria* etiam misit suos *Assyrios* ad ostium *Thermodontis* quod docet *Dionysius Africanus* ℣. 975. Ἀσσύριοι δαλὸς ἄγχι παρὰ στόμα θερμοδόντος, & *Media* quę ad meridiem maris Caspii sita est *Medos habuit in Thracia.* Tit. Liv. lib. 28. *Isauri etiam olim Solymi dicebantur* teste *Theodoret.* hist. relig. c. 10. quasi ex *Solymis* Iudęorum originem duxissent. Eadem ratione *Calachena* Colchidem potuit condere, & utraque primitus *Cælach* dici, sanè reperitur urbs dicta *Colchis* ad *Calachenae* limites, & ripam *Tigridis* apud *Ptolomæum*, qui horum nominum affinitatem prodit

dit & illustrat. Verisimile est autem è *Calachena* ductam coloniam ad *Phatim* dictam *Colchidem*, à *Thura Nini successore, postquàm subegit Caucasuma Tyrannum*, ut refert *Suidas*, cum addat ἄρεα *Martem* dictum illum Thuram, *Dominicus* autem *Niger* post *Flaccum* testetur *Colchidem Arimanam dictam*, & *Appianus* in Mithrid. vocet *Colchos* ἔθνος ἀρείμανες *gentem Martiam & bellicosam*, quasi ab illo Marte coloniæ autore: Iam verò rationi consentaneum est Reges Assyrios cum gentes subactas è suis sedibus evocabant, eas partitos fuisse inter primitivas ditiones, quas rursus subdividebant inter suas colonias. Hac ratione ducti primò in Calachenam Israëlitę inde potuerunt deduci in Colchidem quod docet author lib. 4. Esdr. c. 13: 40. & 41. Refert enim in longinquam regionem ex eâ quam primò petierant, pervenisse superatis Euphratis angustiis seu angustis meatibus scaturiginis, quâ revera iter est

ad Colchidem. Hinc Act. 2:9. fit mentio *Iudaeorum Pontum* Colchidis vicinam *incolentium*. Fruſtrà veriſimilibus argumentis Iſraëlitas inter Colchos deduceremus, niſi utriuſque populi ſic permixti veſtigia quædam apparerent; Verùm quędam apparent non contemnenda. 1°. nativi *Colchi* dicti ſunt *Lazii* Agathias l. 2. οἱ ἢ Λαζοὶ Κόλχοι τὸ παλαιὸν ὀνομάζοντο, ſcilicet לעז *Laz* eſt vulgare nomen quo Judęi deſignant unumquemque eorum qui legem Judaïcam non obſervant. Id circò Lazios dixerunt idololatras Colchos; contra per contemptum gentes ob circumciſionem Judæos vocant *Apellas* unde ſic dicti illi Iſraëlitæ; quapropter Apellęos (modo conſtet à Latinæ Linguę gnaris eam denominationem iis inditam fuiſſe) invenimus apud Plin. l. 6 c. 17. inter populos Scythiæ, quia Scythia comprehendit Colchidem, & ſuum nomen ei communicat, teſte *Plutarcho* de fluviis dicente, φασις ποταμὸς ἐςὶ τῆς Σκυθίας, nemo au-

autem neſcit Phaſidem Colchidis fluvium eſſe; & ſic potuerunt vocare Iſraëlitæ, quia פצידא *Phaſida* fluvii alueum dicunt; mitto illum egregium luſum in ambiguitate vocum שור. נחש גזא qui poteſt videri in Phaleg. Bocharti l. 4. c. 31. & fabulę velleris aurei dedit originem, quod enim Judæis dixerat: *Theſaurum regium duplici muro & porta arcta aſſervari*; alter ludens expoſuit, de vellere, dracone, & tauris. Unde quæſo ex lingua Ebræa luſus ille eruditus inter Colchos, niſi à Judęis eò tranſlatis. Adde in Mengrelia Colchidis regionę adhuc hodie feſtum religioſè obſervari, quod cum Judæorum Paſchate & Agno a ſingulis familiis edendo magnam habet affinitatem, teſtis I. B. *Tavernerius* l. 3. c. 12. itinerum Perſiæ, qui addit vicinos Tartaros è propriis tribubus ſolis uxores ducere, quod etiam ſecundum Legem Iſraëlitæ obſervabant cap. 13. Sanè inter ipſos Tartaros Colchis vicinos etiam Ilordę ſivę

turmæ Nephtalitarum inveniuntur, teste *Agathia* l 4. Imo *Danitarum*, à quibus volunt *Danos* nomen accepisse, & celeberrimus *Thuanus* l 67. observat circumcisos fuisse antequam Mahumetes ipsis innotesceret, quod non est leve argumentum reliquias esse Israëlitarum, qui è Colchide in vastas Tartariæ solitudines diffusi sunt & ob quandam Mahumetismi cum suis veteribus cęremoniis similitudinem ad ipsum amplectendum proni fuerunt; Nota historia illius, qui se jactabat *Regem Tibur* in Meditullio Tartariæ, nempe טבור *umbilicus* est, & à Francisco I. Rege humaniter exceptus, & initio etiam à Carolo V. sed tandem combustus ejus mandato, quod aulicos ad Judaïsmum sollicitaret. Mitto testimonia Judæorum asserentium maximam Israëlitarum multitudinem Septemtrionalem plagam occupasse, & eos qui volunt plurimos eorum in India degere, quamvis à nostris mercatoribus non inveniantur, qui forsan aliquid au-

audiverunt de profectione in Colchidem, & Colchos, eamque versus Indiam tetendisse existimaverunt, quia Colchos, & Colchicum sinum in India repererunt. Vides quantopere studeam conciliare sententiam doctissimi Bullialdi cum meâ, & si conciliatio placeat, Israëlitæ è Colchide in Thraciam delati & Pelasgis permixti Lacedæmones horum posteros cum Judæis affinitate junxerunt, imò antequam in Thraciam pervenirent cum Pelasgis quibusdam, qui juxta Colchidem sedes posuerant, affinitatem potuerunt contrahere; sin minus observantiæ officio functus saltem merebor gratiam. Verum enim vero ita illis conjecturis adhęreo, ut nullatenus discedam ab eo quod proposui de Cadmo & sociis Phœnicibus, quos nova ratione affinitatis Judæos inter & Lacedęmones fuisse conciliatores demonstrabo. Notandum Orientalium consuetudinem majorum nomina posteris tribuere, sic *Assur* & *Israël* dicuntur

Israëlitæ & *Assyrii* passim in SS. Jam verò inter Ismaëlis posteros *Cedma* numeratur Gen. 25: 15. & populum constituere debuit, qui de suo nomine *Cadmus* vel Κάδμος à Graecis & Latinis dici potuit; *Cadmus* autem fratrem habuit *Phœnicem*; ut authores Graeci testantur, & Apollodorus inter alios l. 3. ut jam observavi; Quid si *Phœnix* ille sit *Edom* sive Esau frater revera Ismaëlis; sanè utriusque nominis eadem ratio, *Edom* & *Phœnix* similiter *Rubrum* significant, ἐρυθρος & φοινικὸς synonyma, hinc passim authores Imperatorum Constantinop. calceos vocant ὑποδήματα ἐρυθρόχροα, vel φοινικόχροα, quod rubri essent ut posteà etiam Pontificum fuerunt. V. B. *Balduinum* in Calceo. antiqu. c. 10. De אדום constat inter omnes Linguae Ebraïcae peritos, & in SS. vox ejusdem originis solet significare *ruborem vini*, *sanguinis* &c. Unde mare *Edom* dictum à Graecis ἐρυθρὰ θάλασσα; & *auri fulgore circa colla cætera purpureus*;

ut

ut cum Plinio loquar l. 10. cap. 2. *Phœnix* dicitur; Revera Phœnices dictos quasi Idumaeos & rubros à mari Edom id est rubro testatur Strabo l. 1. διατὶ Φοίνικες ἐκαλοῦντο, ὅτι καὶ ἡ θάλαττα ἐρυθρά; At quare vult dici Phœnices quasi Rubros à mari Rubro? quia scilicet scivit ortos ex regionibus illi mari adjacentibus, sc. *Idumæa*, ut inter alios Herodot. l. 1. Plin. l. 4. c. 22. Solin. c. 26. qui addit *Erythream vocasse Gades Tyrios à Rubro profectos mari*, & Dionysius Periegetes, hoc ϋ 905. Φοίνικες τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν. *Phœnices sunt ex eorum genere qui Erythræi fuerunt*. Nempe Erythra Rex Graecis est Ebraeorum Edom, & Phœnices ex Erythraeis orti, quia ex Idumaeis maris rubri accolis. Illi itaque Phœnices cum Cadmeis fratribus novas sedes quærentes ad littus Orientale Maris Mediterranei partem copiarum collocarunt, à quibus *Phœnicia* dicta & constituta; Alii Graeciam invadentes varias occuparunt re-

regiones in primis *Bæotiam*, quae Καδμηὶς dicta à Cadmeis vi sua subditam provinciam denominantibus, Herod. l. 5 § 57. ut antè Phoenices denominaverant Phœniciam, licet simul incolis commixti permanerent, sic arx Thebana, Καδμεία, & Thebani Καδμεῖοι, Κάδμιοι, & Καδμείωνες vocantur apud Stephanum; Nec tamen *Phœnicum* sive ἐξυθραιῶν, in Graecia nomen extinctum; Nam inveniuntur in Thucyd. l. 3. ἐξυθραιοὶ ubi Scholiastes δημοὶ Βοιωτίας, sunt etiam in *Ionia* apud Herod. l. 1. & in *Locride* apud Stephanum & in *Ætolia* apud T. Livium l. 28. Est etiam Fluvius *Phœnix* apud Herod. l. 7. §. 2 in Atopum defluens, à *Phœnice* heroë dictus, cujus etiam ibi sepulchrum ostendi refert Strabo l. 9. Alter Fluvius *Phœnix* in Thessalia apud Plin. l. 4. c. 8. & in Baeotia fons *Phœnix* apud Plutarchum in vitâ Pelopidae, & portus *Phœnicius* non longè à Laconia, Pausan. in Messenica, & *Phœnicius* mons juxta *Co*-

rin-

rinthum, Stephan. & *Phœnice* urbs in Arcadia in Laconiam apud Polybium l. 4. Denique ut ex Stephano probavimus ex *Spartis* seu Cadmi & sociorum posteris *Sparta* coaluit, unde *Pausanias* in Lacon. refert *Comitium Spartæ* dictum *Varium*, inter heroïca monimenta Cadmi & sociorum insignia conservasse utpote conditorum urbis & gentis authorum; & hac ratione tam ex parte Cadmi Ismaëlis filii, quam Phœnicum Edomi posterorum, Lacedęmones fratres Judęorum fuerunt, & patrem habuerunt utrique Abrahamum. Opponi potest *primò*, hos anteà supposuisse Phœnices Chananæos fuisse; Revera ita vulgo creditur: sed postquam attentius consideravi Deum totam Chananæorum terram dedisse Abrahamo Genes. 17:8. & jussisse omnes Chananæos exterminari Deut. 7:2. ex Chananæorum numero Phœnices necessariò eximendos putavi, quia conservati fuere, & Rex illorum *Hiram* amicitia & fœdere junctus fuit Da-

Davidi & Salomoni, qui in ejus ditionem nullum ius sibi tribuerunt, quod non neglexissent, si Phœniciam cum Chananitide majoribus Deus concessisset; cùm igitur quidam cum Phœnicia confundant Cananitidem, ut Justinus Matyr exh. ad Græcos referens ex Phœnicia majores Mosis fame pulsos in Ægyptum descendisse, Phœniciam usurpat pro Syrophœnicia utramque sub Romanorum Imperio comprehendente; Itaque nihil impedit, quò minus Idumæi Phœniciam coluerint, & occupàrint.
2°. Jure ac meritò mihi *objicietur* quod antea pro certo statuerim Ismaëlitas in SS. nunquam Judæorum dici fratres; Nunc autem velim cum Idumęis mixtos fuisse Lacedęmones Judęorum fratres, quod non præstarunt, nisi ipsi fratres fuerint: At Idumęis & Ismaelitis ius illius fraternitatis conferendæ non concedo: Lacedaemones duntaxat ab iis occasionem se fratres Judaeorum dicendi sumpsisse arbitror: Praeterca, etsi *Ismaelitas*
fra-

fratres Judæorum Scriptura non dicat, ipsi se tales jactare potuerunt, & post ipsos posteri, Judęi autem eorum auxilio indigentes non reclamarunt, quemadmodum *Cuthæi* alienigenæ, & Judaeorum infensissimi hostes *audebant se fratres dicere Judaeorum*, teste *Josepho* Ant. l. 9. in fine, & *posteros Josephi*, licèt illorum tantùm possessiones occuparent.

Quod ad libros attinet, quorum Editiones adornari scribis ex iis Resp. litteraria magnum capiet emolumentum, maximè ex Luciano & Scholiis; Elegantissimus enim ille autor est penus refertissimum eruditionis antiquæ; Misna etiam scitu digna continet, sed nescio unde peteretur vita autorum qui composuerunt, cum de illis paucissima exstent in libris quos evolui; At nugas aget Anglus cum suis somniis de Cęremoniis Judæorum ex Ægypto oriundis, quia nihil antiquius Lege Mosaïca, nihilque verius quàm Deum authorem il-

illius esse. Si velles me docere judicium tuum de nova editione Conciliorum in 18. tom me beares. Vale Vir Clarissime; Tibi addictissimum ama quæso Morinum.

STEPHANI MORINI DISSERTATIO III.

AD AMPLISSIMUM VIRUM D: DE BRIEUX, CONSILIARIUM REGIUM IN PARLAMENTO METENSI.

DE Sale aspergi solito super urbium dirutarum ruinas.

ARGUMENTUM.

Quæstionis momentum & Dignitas. Ἅλς θεῖος, Sal *divinus*, *apud* Homerum. *Hujus Epitheti rationes*, *apud* Plutarchum, *&* Macro-


crobium. Sal *ad generationem promovendam utilißimum; Quod variis exemplis & rationibus probatur. Locus Ezech.* 47: 10. *in auxilium vocatus.* Venus *è mari edita; &* Dii *Marini fœcundissimi.* Salacitas à Sale. Sal, *pro ingenii acumine & elegantiâ.* Plinii, Terentii, Ciceronis, Martialis, *&* Catulli *Testimonia.* Sal, *pro donis Spiritus Sancti. Loca, Matth.* 5: 13. *Marc* 9: 50. *Coloss.* 4: 6. *illustrata.* Græcia, Sal *gentium.* Sal *Catechumenis datum; Testibus, Concilio* Carthaginensi *tertio*, Augustino, Hieronymo. Sal *etiam gentilibus sacrum; Teste* Arnobio. Sal *amicitiæ Symbolum; Teste* Heliodoro. Salis *usus, in obtestationibus, fœderibus, & juramentis; Apud* Turcas, Moscovitas, *aliasque nationes. Urbem* Sale *defricare; quid?* Horatius *illustratus.* Salis *in Sacrificiis frequentissimus usus; Testibus* Plinio, Virgilio, Ovidio. Sal θεο-

φιλίταιν, *apud* Platonem. Salinum *inter Vasa Sacra; Quod ex* Livio, Valerio Maximo, *&* Plinio, *evincitur.* Sal *etiam in Sacrificiis divinis; Levit. 2: 13. Loco, Marc. 9: 49. lux affertur. Sacrificium in Sacrâ Scripturâ, de ultione Divinâ; Quod locis Jes. 34: 6. & Sophon. 1: 7. probatur. Poenae de facinorosis sumptae, gentilibus pro sacrificiis habitae.* Δίκη, Deo *justitiae*, Melitensibus *nota; Actor.* 28: 4. Eumenides Deæ, *scelerum vindices. Homo sacer, & Accipiter sacer, Quales?* Ἱέραξ. *Formula evocandi, usurpari solita, Cum Agri aut urbes*, Diti, Vejovi, *&* Manibus, *consecrabantur, & Devovebantur; Apud* Macrobium. *Locus, Jos. 6: 29. illustratur. In funestis sacris & devotionibus* Sal *adhibitum. Urbes exitio consecratae, quasi victimae*, Sale *inspersae.* Salis *Aspersio, signum contemptus.* Sal, *pro re vilissimâ, apud* Theocritum, *&* Home-

merum. Ἀλώνητον ἀνδράποδον. Salarium *pro mercede; apud* Plinium. Sal *magiſtratibus datum. Praedictarum opinionum debilitas.* Sal *ex ſuâ naturâ infœcundũ & ſterile; Quod variis Authoritatibus & rationibus evincitur.* מלחה, מלוח, Ἅλιμον, *vel* Ἄλιμον; *Job.* 30:4. Sal, *ſterilitatem inducens; Teſtibus* Pauſaniâ, Plinio, & Virgilio. *Miraculum Eliſae,* 2 *Reg.* 2: 19, 20. *Explicatum.* Chriſtianorum & Judæorum *in hunc locum Commentarii.* Salis *conſecrati ſtupendae vires; ex relatione* Alexandri Pontificis. Sal *aſperſum urbium ruinis, in ſignum æternae ſterilitatis, & Deſolationis.* Sichem *urbs* Sale *conſperſa; Judic.* 9:45. *Locis Pſalm.* 107: 34. *Job* 39:6. *lux affertur. Littora* למלחה, *in* ſalem *data; id eſt, ſterilia facta; Ezech.* 47: 11. Sodoma & Gomorrha, *in ſtagnum* ſalis ים־מלח, *converſa. Homines in diruendis urbibus, exemplum divinæ juſti-*

tiæ imitantes. Loci, *Jes.* 51: 6. שמים כעשן נמלחו, *Cœli sicut fumus* saliti *sunt*, *illustratio.* Lxx. interpretum *inepta horum verborum versio. Melior illa* Chaldæï, Arabis, *&* Symmachi. Ἁλιόω *perdo*, *&* Ἅλιος, *inutilis*; *passim apud* Homerum. מלחים, *panni* salsi, *id est*, *corrupti*; *Jerem.* 38: 12 *Celebris locus*, *Ezdr.* 4: 14. די־מלח היכלא מלחנא, *examini subjectus.* Sale *palatii* saliti *sumus*; *Quid? Versiones variae.* Junii & Bocharti *explicatio.* Sal *mercedis &* salarii *vice datum. Immunitas* ἀπὸ τῆς τιμῆς τῦ ἁλὸς, *à rege Demetrio Judæis oblata*; 1 *Macch.* 10: 29. *Opposita* Hebræorum, Aben-Ezrę, & Salomonis Jarchi *explicatio.* היכלא, & Ναὸς, *significant Templum*, *non palatia regum. Deus* Sale *usus*, *tùm in exitio* Sodomę, & *sociarum urbium*; *tum in pœnâ uxoris* Lothi. Sal *aeternitatis indicium. Fœdus* salis. *Lex* salica. Hesychius, *in voce* Ἁλι-

Ἀλίσπαρτον, *emendatus.* Ἀλίσπαρτοι, *ægroti, quorum morbus insanabilis. Antiquus mos,* Salem *aspergendi, super urbium dirutarum ruinas, à recentioribus, in usum revocatus. Cujus rei varia Exempla producuntur. Loco, Ezech.* 47:8. *lux affertur.*



EGREGIAM sanè & magni momenti quæstionem, Vir Clarissime, mihi proponis, & ex parte salis, & ex parte moris disquisitione dignissimam, quodque apud me praecipuum est, illius solutio ad multa Sacrae Scripturae loca intelligenda plurimum lucis fœneratur.

Constat equidem nihil in rerum natura esse sale praestantius, quamobrem *salem divinum* vocat *Homerus* Il. 1:214. πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο. *Inspersit autem sale sacro*; Scholiastes autem θείους δὲ κέκληκε τοὺς ἅλας, διὰ τὸ ἄσηπτα τηρεῖν τὰ πασθέντα, *divinos verò sales vocat, quia aspersa servant in-*

corruptibilia. Revera creaturarum maxima pars ſubjacet corruptioni, & incorruptibilitas videtur aeternitatis Deo propriae appendix: hanc expoſitionem ſuo calculo & variis aliis exemplis confirmat Plutarchus ſympoſ. l. 5. q. 10. nam obſervat ignem fulminis ſacrum etiam & θεῖον, divinum dici, ὅτι τὰ σώματα τῶν διοβλήτων ἄσηπτα, *quod corpora divinitus tactorum diu permaneant incorruptibilia*; praeterea obſervat quod ἡ ψυχὴ, θειότατον οὖσα τῶν ἡμετέρων, τὰ ζῶα συνέχει, καὶ ῥεῖν οὐκ ἐᾷ τὸν ὄγκον· οὕτως ἡ τῶν ἁλῶν φύσις τὰ νεκρὰ παραλαμβάνουσα, καὶ μιμουμένη τὸ τῆς ψυχῆς ἔργον ἀντιλαμβάνεται φερομένων ἐπὶ τὴν φθορὰν, καὶ κρατεῖ, καὶ ἵστησιν ἁρμονίαν παρέχουσα, καὶ φιλίαν πρὸς ἄλληλα τοῖς μέρεσι, διὸ καὶ τῶν Στωικῶν ἔνιοι τὴν ὗν σάρκα κρέα γεγονέναι λέγουσι τῆς ψυχῆς ὥσπερ ἁλῶν, παρεσπαρμένης ὑπὲρ τοῦ διαμένειν. *Anima noſtrarum rerum diviniſſima animalia continet, & corpoream molem diffluere non ſinit, ſic ſalium natura cadavera comprimens, imitataque animæ officia cohibet in corruptionem ruitura, &*

re-

retinet ſingulis partibus quandam concinnitatem, & amicitiam indens; quapropter Stoïcorum nonnulli ſuillam carnem corpus fieri animâ ut ſale inſperſa ad permanendum. Quod etiam refert Varro de re ruſt. & Plin. l. 8. c. 51. de iiſdem ſuibus. *Animalium hoc maximè brutum, animamque ei pro ſale datam non illepide exiſtimabatur.* Hinc patet ſalis praeſtantia, quippe qui animae ſupplet modò vices, modò vicè versâ animam vicariam habet, quâ autem ratione id fiat videri poteſt apud Macrobium Saturn. l. 7. §. 12. ibidem alia ratione ſali divinitatem quandam meritò tribui colligitur ex eo quod ἄνθρωποι τὰ κοινὰ, καὶ διήκοντα ταῖς χρείαις, ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκθειάζουσι ὡς τὸ ὕδωρ ὡς τὸ φῶς, τὰς ὥρας, τὴν γῆν ἢ οὐ μόνον θεῖον, ἀλλὰ καὶ θεὸν ὑπολαμβάνουσιν, ὧν. οὐδενὸς λείπεται χρεία τὸ τῶν ἁλῶν θελγχωματῆς τροφῆς γινόμενον εἰς τὸ σῶμα, καὶ παρέχον ἐναρμοσίαν αὐτῇ πρὸς τὴν ὄρεξιν. *Homines generalia & utiliſſima ut plurimnm divinitate donant, ut.*

 aquam

aquam lucem, & anni tempeſtates, terram autem non tantùm divinam dicunt ſed Deam arbitrantur: nulli verò horum utilitatis ratione cedit ſal, qui alimenti in corpore robur, & præſidium eſt, & conveniens, gratumque appetitui facit. Quod autem à Philino additur ad noſtrum propoſitum propius accedit, ſcilicet à collocutore quaerit τὸ δὲ γόνιμον ἐ δοκεῖ σοι ἐφὴ, θεῖον εἶναι, εἴπερ ἀρχὴ ὁ θεὸς πάντων. *An inquit, quod ad genituram maximè confert tibi non videtur divinum? quandoquidem Deus omnium rerum ſit principium*, illo autem annuente, καὶ μὴν ἔφη τὸν ἅλα ἐκ ὀλίγον πρὸς γένεσιν συνεργεῖν οἴονται. *Atqui ad generandum, inquit, haud parum facere ſal creditur.* Et propterea obſervat Ægyptiorum Sacerdotes ob caſtitatis ſtudium ſale abſtinere, eoſque qui canibus operam dant cum ſegniores ad coïtum vident, ſalſamentis eorum libidinem excitare, imò naves ſal vehentes incredibilem murium producere copiam fœmellis etiam citra

ma-

maris operam, & ſalem duntaxat lingentibus fœcundis: Quamobrem Clariſſ. Huetius in eleganti de ſale poëmate ad Illuſtriſſimum Montoſidem ait:

Vis ſalibus genitalis ineſt, vivoſque
calores
Segnibus in venerem dant ſalſamenta
maritis.

Hinc longe Major piſcium copia in aquis ſalſis: unde Deus miraculoſam fœcunditatem piſcium dulcibus aquis pollicitus, dicit *fore ſimilem eorum multitudinem marinarum aquarum multitudini* Ezech. 47:10. Denique ob illam ſalis vim & efficaciam, mulierum pulchritudinem allicientem, & illecebroſam dici ἁλμυρὸν καὶ δριμὺ, *ſalſam & amaram*; & Venerem fingi à Poëtis è mari editam· εἰς τὸ τῶν ἁλῶν γόνιμον, *ad ſignificandam ſalis vim genitalem & fœcundam*, Deoſque marinos omnium fœcundiſſimos haberi, & piſces præ omnibus aliis animantibus ſoboleſcere, unde Em-

pedocles meminit piſcium ſoboleſcentium πολυσπερέων καμασήνων, & ideò quoque *ſalacitas* à *ſale* dicitur, tanta autem videtur ſalis fœcunditas, & ad promovendas cunctas productiones, vis & aptitudo, ut res corporeas* ſupergreſſus menti tribuatur, deſignetque acumen ingenii elegantiâ & lepore conditum, à quo emanant ſermonis urbanitas, & gratiſſima in moribus & actionibus concinnitas; quamobrem Plinius l. 31. c. 7. deſcriptis variis ſalis generibus & utilitatibus ſcribit. *Quin & pecudes armentaque & jumenta ſale maximè ſollicitantur ad paſtum, multò largiore lacte, multoque gratiore etiam in caſeo dote: Ergo Hercule vita humanior ſine ſale nequit degere; adeoque neceſſarium elementum eſt, ut tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque: Nam ita ſales appellantur, omniſque vitæ lepos, & ſumma hilaritas laborumque requies non alio magis vocabulo conſtat.* Sic Terent. Eunuch. Act. 3. Scen. 1.

La-

Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis sæpe in se transmovet qui habet salem qui in te est,

ubi Donatus. *Sal neutraliter condimentum est mascul. sapientia.* quod tamen perpetuò non observatur Sic *dicendi sal facetiæq;* apud Ciceronem ad Quintum fratrem l. 2. Ep. 2. *& salsiores, quàm illi Atticorum Romani veteres atque urbani sales.* Epist. l. 9. ad M. Varr. Ep. 15. Sic in repetito Marciæ cum Catone connubio. *Non soliti lusere sales* Lucanus l. 2. v. 368. Martialis etiam se notum dixit *multo sale* l. 10. Ep. 9. At contrà de Quintia Catull. Ep. 87.

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

j. Insulsa erat & ἀνόητ☉, ut enim sal ingenii acumen & amœnam fœcunditatem significat, sic illius sterilitas sive fatuitas, sive insulsitas dicitur quod non magis sapiat,

Quam

Quam ſapiunt fatuæ fabrorum prandia betae

Mart. l. 13. Ep. 13. Nec ad ingenii duntaxat fœcundi & luxuriantis ditiſſimos proventus deſignandos ſal uſurpatur; Sed etiam ſancti Spiritus efficaciſſima dona, quorum ratione Apoſtoli *ſal terrae* dicuntur Matt. 5: 13. T. Livius ſic vocaverat Græciam *ſal gentium*, quia gentes omnes facundia & eruditione Græciæ profecerant, & erudita facundaque opera edere ejus beneficio idoneæ evaſerant: quare etiam convenientiſſimè Apoſtoli, qui terrę incolas miſeræ peccati ſterilitati deditos Evangelica culturâ fœcundarant *ſal terrae* meritò dicuntur. Imò ipſa gratia quâ ſanctificamur dicitur ſal Marc. 9. v. 50. *Habete ſal in vobis* id eſt Efficacem illam gratiam quæ à peccato ſervat, & fideles fructuum pœnitentię convenientium capaces reddit: cujus pars eſt *ſal illud quo condi debet ſermo noſter* Col. 4:6. Cum autem ſalutaris

ris illa gratia à Christo ut à suo fonte emanet, & in ejus communione duntaxat reperiatur, prisci Ecclesiæ Doctores ut solarentur Catechumenos in solennem Eucharistiæ communionem nondum admissos, testarenturque Sacramenti privationem posse fide suppleri, *sal ipsis dabant*, ut contrà nativam corruptionem municiores essent, & bonorum operum fertiliores. Unde Concil. Carthag. 3. can. 5. *Item placuit ut per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal.* S. Augustinus qui huic Concilio affuit ad hunc morem alludit in Confess. l. 1. c. 11. *Audieram enim ego adhuc puer de vita aeterna nobis promissa per humilitatem Dei nostri descendentis ad superbiam nostram, & signabar jam signo crucis ejus, & condiebar sale.* Sic S. Hieronymus, vel author Epistolæ 13. quę in tomum 9. illius operum rejecta est. *Sal autem propterea Catechumenis datur in mysterio ut nos esse sal terrae,* id est

Sa-

Sapientiam Dei noscamus. Quod ab antiquis gentium moribus non abludit, sal enim ipsis sacrum, & sacræ communionis symbolum non temerandum. Hinc Arnob. l. 2. adversus gentes, *Sacras facitis mensas salinorum appositu*; quare primò apponebatur, & si omissum vel dejectum, ominosum habebatur, quod inter superstitiosos etiamnum obtinet qualem se profitetur Lipsius Satur. Serm. l. 1. c. 2. *Profanam sine salino mensam esse, veterum opinio fuit, sed & nostra.* Sal etiam amicitiæ symbolum; unde proverbium, ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν, *non esse violandum sal nec mensam*; 1. Fidem religiose iis, qui ejusdem mensę fuerunt participes esse servandam, quò spectant hæc Calasiris Mystæ Ægyptii verba apud Heliodorum c. 4. σπονδῶν καὶ τραπέζης κοινωνήσαντας καὶ φιλίας ἀρχὴν ἱεροὺς ἅλας ποιησαμένους, μὴ οὐχὶ καὶ τὴν περὶ ἀλλήλων γνῶσιν ἔχοντας ἀπελθεῖν, *qui ejusdem libationis & mensae fuerunt participes, & sacrum sal amicitiae ini-*

initium fecerunt non nisi post mutuam rerum ad eos pertinentium cognitionem discedere à se invicem; & hæc Nausidis Ægyptii religiosa obtestatio cap. 6. πρὸς ξενίων καὶ φιλίων θεῶν πρὸς ἁλῶν καὶ τραπέζης, *per hospitalitatis & amicitiæ Deos per sales & mensam*, quod libentius observavi ut pateat non omnes Ægyptios à sale abhorruisse, ut de sacerdotibus testatur Plutarchus; sed cæteros eo etiam religiosè usos, vel potius cum tempore antiquum morem immutatum. Constat enim Heliodorum sat diligenter moribus regionum suos collocutores accommodare. Similes etiam obtestationes Turcis etiam usitatæ teste Ducâ qui Bysantinæ hist. c. 22. refert Mahometem Imperatorem morti proximum sic egisse cum Bajazero Vesire: λέγων ἐν τῷ θεῷ καὶ ἐν τῷ προφήτῃ αὐτῶν, καὶ ἐν τῷ ἄρτῳ, καὶ ἅλατι τῷ παρ' αὐτῶν δοθέντι, καὶ δαπανηθέντι εἰς βρῶσιν αὐτῷ ἡγεμῶν τοῦ Παγιαζήτ, ὡς ἔσται πιστὸς δοῦλος καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Μουρὰτ καθὼς καὶ ἐν αὐτῷ ἦν. *Adjuravit Bajazetem per Deum & per*

per Prophetam eorum perque panem & sal quæ ei præbuerat, & in eo alendo impenderat, ut fidelem servum erga Moratem filium suum se gereret qualem eum ipse fuerat expertus. Hinc Moscovitæ inter alia dona suis Regibus in exordio Regni salem & panem offerunt, eaque Princeps præfert unionibus & pretiosissimis donis, Thuan. l. 120. & Lud. à Bavia in 3. part. hist. Pontif. & Catholic. c. 82. Gandavenses, Brugenses, & Antuerpianos, fœdus inter se contraxisse: *Con juramento, y con su modo antiquo de comer pan y sal.* Cum juramento, & antiquo suo more panem & sal comedendi: imo *Osseniorum Iudaïca secta* per *sal* ut quoddam numen *jurabat* teste Epiphan. de Hær. l. 1. hær. 19. Cum tantæ sint tamque efficaces salis dotes, ut gratiæ, vires ingeniique vividiores fœtus designet, & præsentissimum contrà corruptionem præsidium, & ad promovendam generationem utilissimum remedium, meritò potuit urbi-

bium ruinis inſpergi, ut ſegetibus ferendis redderentur idoneę, de iiſque citius diceretur, ut de Troiâ. *Nunc ſeges eſt ubi Troia fuit.* Sanè vernacule dicimus *defricher*, terras incultas cum excolimus & ad fructus diſponimus producendos: nec dubito eodem ſenſu olim uſurpatum *defricare*, cum metaphorico uſurpet Horat. l. 1. Sat. 10. ubi laudat Lucilium.

Quod ſale multo
Urbem defricuit.

Defricuiſſe autem urbem dicitur, quia ſalibus, & facetis acribusque dictis cives carpendo & irridendo, urbaniores reddidiſſet & ingenioſiores; Cur non etiam urbes defricari dicantur, cum reapſe ſal iis inſpergitur, quoniam ab illâ reali defricatione alia, quæ moralis eſt & metaphorica, mutuata videtur, & teſte Huetio l. c.

Sal fortunatas largo beat ulcere terras,
Arvaque respondent avidis, sale fæta, colonis.

Etsi convenienter sal inspergi potuerat urbium ruinis, ut culturæ eas destinari pateret, hocque sale defricarentur, & uberiores proventus darent; cùm tamen sal non deficiat in ruderibus, & hic mos magis iram quàm futurarum messium curam sapiat, convenientius est alium salis usum respicere; illius autem frequens fuit usus in sacrificiis, quare sal θεοφιλέςατον, *diis carissimum* vocavit Plato, & notæ *molæ salsæ*, & *salsæ fruges* Veterum, unde licet sal τῶν ἄλλων ὄψωνῶψον, *sit aliorum condimentorum condimentum*, teste Plutarcho; *Ejus*, inquit Plinius, *maximè tamen in sacris intelligitur authoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsâ.* l. 31. c. 7. Hinc Sinon fingens se destinatum aræ, sic apparatum describit sacrificii 2. Æneid.

Jam-

Jamque dies infanda aderat mihi sacra parari & salsæ fruges.

Ad quę verba Servius. *Salsæ fruges, Sal & Far quod dicitur mola salsa, quâ & frons victimae, & foci aspergebantur & cultri.* Vide etiam in 4. Æn. Sic Ovid. Fast. 1.

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica salis.

Quamobrem salinum inter vasa sacra apud T. Livium l. 26. *hærens in maximâ difficultate populus Romanus aurum & argentum in publicum omnes conferre jussit, & quibusdam tantùm licuit, Salinum patellamque Deorum causâ habere,* & Val. Max. l. 4. c. 4. C. Fabricium & Q. Æmilium Papum Principes seculi sui habuisse, *Patellam & Deorum Salinum* confitetur. Sed Plin. l. 34. c. 12. testatur quod *Fabricius bellicosos Imperatores plusquam pateram & salinum ex argento habere vetabat.* Lex

divina etiam in ſacrificiis ſal requirebat Levit. 2. ℣. 13. *Omnem autem oblationem ſale ſalito; neque ceſſare ſinito ſal fœderis Dei tui à munere tuo, cum omni oblatione tuâ offerto ſal.* Unde Marc. 9. ℣. 49. *Omnis oblatio ſale ſalietur*: ubi quidem de ſale myſtico agitur, ſed cum reſpectu ad aliud: Scilicet impii conſiderantur, ut holocauſta igne penitus abſorbenda, fideles verò, ut oblationes illo ſale conditæ, quæ conſervabantur in uſum ſacrum. Jam verò nemo in dubium revocare poteſt ultionem habere quandam ſacrificii rationem; quare licet ad ſacrificia pertineat verbum *macto*, & Nonio Marcello teſte dicatur *quaſi magis aucto vel augeo*, quia ſcilicet thure & vino augebant hoſtiam Diis immolandam; attamen cædes quaſvis ſignificat, quibus ira vel juſtitia ſibi adverſantes immolat. Sic in primis loquitur ſacra Scriptura, ut Eſ 34. ℣. 6. ubi agitur de ultione ſumenda ex Idumæis זבח ליהוה θυσία τῷ κυρίῳ. *Sacrificium erit Domino*

mino in Bozra, & Sophon. 1. ℣. 7. Minatur Deus rebellibus proximum exitium, aitque, Præparavit Dominus זבח הקדיש קראיו LXX. τὴν θυσίαν αὐτοῦ καὶ ἡγίακε τοὺς κλητοὺς αὐτοῦ. Vulg. *hostiam, sanctificavit vocatos suos*: ubi non tantum hostes ut irę suæ victimas repræsentat, sed eos, quos ad cædem adhibebit, comparat cum iis, qui solebant præviâ sanctitatę disponi ad esum victimarum peractis sacris. Inter gentes autem sacrificia revera habebantur poenę de facinorosis sumptæ, iis siquidem Dea erat Δίκη sive *ultio*, quę æquum ab iniquo secernebat, & contumaces debitis afficiebat poenis; Etymologicum magnum Δίκη ἡ θεός: de qua multa Hesiod. in Oper. & dieb. & inter alia.

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη Διὸς ἐκγεγαυῖα.

Virgo autem est ultio Jove nata. Nota illa Dea Melitensibus, quare Act. 28. ℣. 4. videntes Paulum à vipera appetitum dicunt. *Omnino est homicida homo iste, quem servatum è mari*

 ri

ri Δίκη *non ſinit vivere*. Deæ etiam Infernę habebantur *Eumenides* ſcelerum vindices, de quibus videndus *Æſchylus* in comœdia ab iis denominatâ. Illis igitur ultricibus numinibus ſacra fiebant, cùm urbes rebelles & contumaces ſolo æquabantur, & ſempiterno exitio devovebantur. Sanè devotiones illæ ſacrę habebantur, & in res devotas ſua numina ultricia gentes advocabant; Quare homines diris devoti, quos impune licebat trucidare, ſacri dicebantur; hinc Lex duodecim tabularum. *Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto*. Servius in 6. Æn. v. 613. Nam *homo ſacer*, inquit Feſtus, *is eſt, quem populus judicavit ob maleficium*, additque quod *lege tribunitia prima cavetur, ſi quis eum, qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit: ex quo quivis homo malus atque improbus ſacer appellari ſolet*, quod ad aves tranſit; unde accipiter ſacer dicitur Virgilio Æn. ij. ad quem locum Servius. *Sacer ideò*

quia

quia Marti est consecratus accipiter, aut sacer, avibus execrabilis; Græcè ἱέραξ ut gallicè *sacre*. Execrabilis igitur & consecratus idem esse potest, etiamque sacer, cum execrationes religiosis ritibus perficerentur, quod inprimis probat formula usurpari solita, cùm hostes, agri, & urbes Diti patri, Veiovi, & Manibus consecrabantur, & devovebantur, quæ extat apud Macrob. Saturn. l. 3. Evocatis enim prius prece & sacrificio eorum numinibus, desolabantur, & Diis Inferis ita addicebantur, ut in posterum nemini in usum deberent cedere, quod, sepositâ gentili superstitione, non omninò abhorret ab usu antiquorum Ebræorum, cum legamus Jos. 6. ℣. 29. hac execratione usum Josuam adversus Jerichuntem, *Maledictus esto coram Deo vir iste qui surget. ut reædificet civitatem hanc Jerichuntem; pretio primogeniti fundet eam, & pretio minimi sui statuat fores ejus*, quod Deus ratum fecit, ut eventus comprobavit

 1. Reg.

Macrobio Saturn. l. 7. c. 13. aqua marina cęteris pinguior, & idcircò ad eluendas ſordes inepta; ipſique ſuffragetur Ariſtoteles teſtatus ineſſe ſalibus quiddam pingue, & noſtrorum agricolarum ſtercorationis vice algam per agros ſpargentium mos; Nihilominus propugnabo ſal eſſe ex ſua naturâ ſterile, & omninò infœcundum, generationique & rerum productioni per accidens duntaxat prodeſſe, quatenus ſcilicet excitat vim naturalem rerum & calefacit: quamobrem *Theophraſtus* de cauſis plantarum, quærenti, quare cum plurimi ſint ſapores, & cæteri omnes in plantis reperiantur, & in fructibus, ut amarus, acerbus, acutus, &c. ὁ δ' ἁλμυρὸς οὐκέτι *ſalſus autem nequaquam?* οὐδὲν γὰρ τῶν φυομένων ἁλυκόν. *nihil enim in genere plantarum ſalſum percipitur*, ſcilicet ita ut in ſe talem habeat ſaporem, ſunt enim quorum ſummam partem duntaxat ſalſugo quędam obducit; reſpondet αἴτιον, δι' ὅτι ἄτροφον καὶ ὥσπερ ἀγέννητον τὸ ἁλμυρόν. *cauſa*,

ſa, quod ſalſum nullam alimoniam, nullam generationem præſtare poteſt, cujus addit ſignum eſſe, quod in locis ſalſis nihil naſcatur, vel ex dulcedine. unde piſces in mari nati dulces; alteram hanc ſubjungit rationem: δεῖ γὰρ ἐξ οὗ τι μέλλει γίνεσθαι μεταβλητικὸν εἶναι· τὸ δὲ ἁλμυρὸν ἀπαθὲς καὶ ἀμετάβλητον· διόπερ οὔτε φύεται οὐδὲν ἐξ αὐτοῦ, οὔτε αὐτοτελὲς οὐδέν. *Illud enim ex quo aliquid fieri debet commutabile eſſe neceſſe eſt; ſalſum autem eſt impaſſibile, & incommutabile, quamobrem nihil ex eo eſt perfectum, nec poteſt generari.* Plutarchus etiam in quæſtionibus naturalibus eandem agitat queſtionem. Διὰ τί τῶν χυμῶν ὀκτὼ τῷ γένει ὄντων ἕνα μόνον τὸν ἁλμυρὸν ἀπ' οὐδενὸς καρποῦ γενόμενον ὁρῶμεν? *Qui fit cùm ſint octo ſpecies ſaporum ſolum ſalſum videmus in nullo fructu naſci,* reſpondet autem ſimiliter. πότερον ὅτι οὐκ ἔστιν ἁλμυροῦ γένεσις, ἀλλὰ φθορὰ τῶν ἄλλων τὸ ἁλμυρόν. *forte quia non producitur ſalſus ſapor, ſed ſalſum ſit corruptio aliorum ſaporum,* vel ſaltem alimento-

rum

rum condimentum, nullum alimentum suppeditans, & in excrementa abiens, quare extremitatibus quorundam fructuum & plantarum nonnunquam quædam insidet salsedo, ut de cicere &c. testatur Theophrastus. Eadem ratio plantæ quam Arabes vocant מלחה & Ebraei מלוח & Græci ἄλιμον, ut in versione Lxx. Job 30:4. ubi cum spiritu leni scribitur, quod excusant, quia licet Ebraicè & Arabicè à sale dicantur, & Græcè etiam quando habet spiritum asperum, attamen ob vim famem propulsandi etiam ἄλιμον ab α privativo & λίμος fames meritò dici potest: de quâ videndus Dioscorides l 1. c. 102. Nonnulli *malvam* malè interpretantur, licet nomina Ebræi & Arabica *maluach*, & *malecha* & μαλάχη magnam habere videantur affinitatem, at revera valdè differunt: hæc enim à mollitie, illa à sale denominantur; salsarum herbarum etiam meminit Virg. Georg. l. 3. v 395.

Ipse manu, salsasque ferat præsepibus herbas.

At-

At *salsâ* habent quidam Codices, ut referatur ad manum quę sale aspersa herbas apponit; sed vulgaris lectio tamen non obest, & excrementitio humore vel adventitio plantæ possunt salsæ dici eo sensu quo à Theophrasto observatum est. Sal itaque infœcundum & sterile; sed præterea sterilitatem inducit, & abigit fœcunditatem; quapropter Pausanias in Corinthiacis testatur Neptunum iratum ποιεῖν ἄκαρπον τὴν χώραν ἅλμης εἰς τὰ σπέρματα, καὶ τῶν φυτῶν τὰς ῥίζας καθικνουμένης, *facere regiones infructuosas & steriles immissa salsugine, in sementes & arborum radices.* Plinius autem l. 31: c. 7. docet quod *omnis locus in quo reperitur sal sterilis est, nihilque gignit.* Constat hinc natum proverbium ἁλμυρὸν γειτόνημα. *Salsuginosa vicinia id e.* sterilis & ingrata, quia suâ sterilitate proxima & adjacentia inficit, & lædit. Etiam constat terræ sal nocere, & infœcundam esse salsam teste Virgilio 2. Georg.

Salsa

Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando.
Nec Baccho, genus aut pomis ſua nomina ſervat.

Quapropter volunt amara ſalſedine infectam Jerichuntinam regionem, quę ſpes ſuorum colonorum fruſtrabatur, neque ad maturitatem fructus vel meſſes producebat, ſecundum Jerichuntinorum querelas 2 Reg. 2. ỷ. 19. Revera Theodoretus in hunc locum quęrit, Quapropter δι' ἁλῶν τὴν πικρίαν τῶν ὑδάτων ἰάσατο φύσιν, *Nativam amaritudinem ſalibus curavit*, & Joſephus teſtatur Prophetam ardentibus votis petiiſſe à Deo, μαλάξαι τὸ ῥεῦμα καὶ γλυκυτέρας φλέβας ἀνοῖξαι, *ut leniret fluentum, & dulciores venas aperiret.* Sed ſi à ſale fluebat illa amaritudo, quæ inficiebat Jerichuntinam regionem, quomodo potuit ſale curari? Sanè longè major ſali ſterilitatem averruncanti laus accedit, quàm

quàm decedit ob impeditam fœcunditatem; ſi quidem illi noxę remedium extitit, & prævaluit benefica vis, & mira fœcunditas: At contrà nativum & proprium virus exeruit, dum offecit frugiferæ regioni, ſed virtuti divinæ miraculoſè imperanti ceſſit, cum profuit, & creatura creatori morigera ſibi ipſi vim fecit. Sic ſolet Deus ſummus omnium rerum Dominus iis uti indifferenter, imò eas, quae magis videntur ſuo propoſito contrariae, præfert, ut in majorem admirationem homines rapiat; quamobrem Franciſcus Valerius de ſacrâ Philoſophia c. 34. poſtquàm ſcripſiſſet de illo aquarum vitio, *quod videtur rationi conſentaneum fuiſſe ſalſuginem; & quia id ſolet eſſe frequens in aquis, ex quo quamplurimæ fiunt ad potandum inutiles, & quia id ſolet omnium maximè ſterilitatem afferre*, convenienter huic ſententiae affirmat exiſtimandum in illo Eliſaei miraculo, *nullam eſſe habitam naturae rationem, ſed eſſe rem adhibitam*

prorſus

prorſus adverſam & noxiam, majoris portenti cauſa. Eadem celeberrimorum Rabbinorum ſententia. R. David Kimchi in illius expoſitione miraculi ſcribit. היה כי המלח עושה עץ " אמרו עץ מר היה נס בתך נס ונס בתך נס היה חמים רעים וכן ויומהו. *Miraculum eſt in miraculo; ſal enim aquas facit ingratas & noxias*: ſic Exod. 15: 25. *Deus ipſi lignum oſtendit*, ſcilicet ad reddendas dulces aquas fontis amari: *Dicunt quod amarum erat miraculum ſcilicet in medio miraculo.* R. Jarchi iiſdem fere verbis eandem exponit ſententiam; quapropter nativae creaturarum proprietates non ſunt colligendę ex effectis extraordinariis, quae gratiae operâ duntaxat producuntur; & omnibus ludibrio eſſent, qui ſali convenire arbitrarentur ſtupendas vires quas ſali conſecrato tribuit Alexander I. Pontifex Epiſtola 1. initio tom. 1. Concil. Gen. edita 1. his verbis. *Si cinis vitulæ aſperſus ſanguine populum ſanctificabat atque mundabat, multo*

multo magis aqua sale aspersa, divinis precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat, & si sale asperso per Elizæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quantò magis divinis precibus sacratus sterilitatem aufert rerum humanarum, & eo inquinatos sanctificat, atque mundat & expurgat, & cætera bona multiplicat, & insidias Diaboli avertit, & à phantasmatis versutiis homines defendit, &c. Sanè nisi falsus sit Alexander, vel potius Epistola supposititia, ut omnes vel ferè omnes veterum Pontificum Epistolæ, mira & incomparabili fœcunditate sal polleret, at totam consecrationis efficaciæ deberet, nec sterilitati addictum esse desineret.

Itaque sal sterile & sterilitatis symbolum jure ac meritò potuit adhiberi in contumacium urbium eversione, ut designaret æterno exitio damnatas, nec ex illis ullum unquam commodum esse exspectandum, vel sperandum ex tanta clade unquam emer-

prorſus adverſam & noxiam, majoris portenti cauſa. Eadem celeberrimorum Rabbinorum ſententia. R. David Kimchi in illius expoſitione miraculi ſcribit. היה כי המלח עושה
עץ " אמרו עץ מר היה נס בתך נס
ונס בתך נס היה חמים רעים וכן ויומהו.
Miraculum eſt in miraculo; ſal enim aquas facit ingratas & noxias: ſic Exod. 15: 25. *Deus ipſi lignum oſtendit*, ſcilicet ad reddendas dulces aquas fontis amari: *Dicunt quod amarum erat miraculum ſcilicet in medio miraculo.* R. Jarchi iiſdem fere verbis eandem exponit ſententiam; quapropter nativae creaturarum proprietates non ſunt colligendę ex effectis extraordinariis, quae gratiae operâ duntaxat producuntur; & omnibus ludibrio eſſent, qui ſali convenire arbitrarentur ſtupendas vires quas ſali conſecrato tribuit Alexander I. Pontifex Epiſtola 1. initio tom. 1. Concil. Gen. edita 1. his verbis. *Si cinis vitulæ aſperſus ſanguine populum ſanctificabat atque mundabat, multo*

multo magis aqua ſale aſperſa, divinis precibus ſacrata populum ſanctificat, atque mundat, & ſi ſale aſperſo per Elizæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quantò magis divinis precibus ſacratus ſterilitatem aufert rerum humanarum, & eo inquinatos ſanctificat, atque mundat & expurgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli avertit, & à phantaſmatis verſutiis homines defendit, &c. Sanè niſi falſus ſit Alexander, vel potius Epiſtola ſuppoſititia, ut omnes vel ferè omnes veterum Pontificum Epiſtolæ, mira & incomparabili fœcunditate ſal polleret, at totam conſecrationis efficaciæ deberet, nec ſterilitati addictum eſſe deſineret.

Itaque ſal ſterile & ſterilitatis ſymbolum jure ac meritò potuit adhiberi in contumacium urbium everſione, ut deſignaret æterno exitio damnatas, nec ex illis ullum unquam commodum eſſe exſpectandum, vel ſperandum ex tanta clade unquam emer-

sura, sed ut semina terris sterilibus obruta ipsam illarum memoriam ruderibus, & inssperso sale obrutam penitus periisse; Nec obscurè patet hanc fuisse mentem Abimeleci, cùm destructam Sichemum sale sevit Jud. 9:45. Incolas enim omnes trucidaverat, nec ulli cultui destinavit, sed omnem illius memoriam abolere sategit. Unde in hunc locum Theodoretus q. 18. Judic. τί ἐστιν, ἔσπειρεν ἐν αὐτῇ ἅλας, τὴν ἀκαρπίαν τοῦτο δηλοῖ, οὐδὲν γὰρ ἐξ ἁλῶν φύεται. *Quid hoc est? seminavit illam sale. Hoc denotat sterilitatem; quoniam ex sale nullus fructus nascitur.* & R. Levi ben Gerson. עשה זה כדי שלא תהא ראויה לשדות ולכרמים *hoc fecit, ut inepta fieret agris & vineis.* Id est nec sationi segetum vel vinearum plantationi posset convenire, quod ad Dei exemplum fecisse homines videntur, scilicet sale asperserunt terras, quas perdere voluerunt, quia Deum videbant in ingratorum colonorum pœnam terras fœcundas in sal-

ſas tranſmutare, ſic Pſ. 107:34. *Deus ob hominum ſcelera paſcua irrigua vertit in deſerta arida.* וארץ פרי למלחה *& terram frugiferam in ſalſuginem.* Lxx. γῆν καρποφόρον εἰς ἅλμην. ſive ut Buchananus.

Et fœcunda, ſui facta ob ſcelerata coloni
Arua jubet ſalſis ſubito ſterileſcere glebis.

Quamobrem Jobi 39:6. Eadem regio dicitur *deſerta*, & *ſalſugo*, & Jerem. 17:6. *terra ſalita* explicatur per terram inhabitabilem ארץ מלחה ולא תשב Lxx. ἐν γῇ ἁλμυρᾷ ἥτις οὐ κατοικεῖται. *in terra ſalſa quæ non habitatur.* Ezech. autem 47. v. 11. littora dantur למלחה *in ſalem* ad ſignificandum quod expertia fœcunditatis, & inſanabilia remanerent: Sed in primis obſervatione digna ſunt Soph. 2:9 hæc verba. *Dixit Deus; certè Moab ſicut Sodoma erit, & filii Hammon ſicut Gomorrha ſenticetum,* ומכרה מלח *& fodinæ ſalis & deſolatio uſque in ſeculum erit.* Non

tantùm ſal & urtica vel ſentes ad ſignificandam deſolationem adhibentur, ſed Sodomae & Gemorrhae fit mentio, quas urbes funditus deletas, & in ſtagnum ſalis, ים מלח Gen. 14: 13. Lxx. ἡ θάλασσα τῶν ἁλῶν, converſas legimus, ut pateat origo ſparſi ſalis ſuper urbium ruinas, nempe divinę juſtitiæ in ſalſum ſtagnum impias urbes convertentis exemplum, quod imitati ſunt homines quantùm ipſis licuit: cùm enim in ſal ſterile non poſſent hoſtiles urbes convertere, iis ſal aſperſerunt, ut inutiles redderent: adeò certum autem & conſtans eſt ſal vaſtationis & deſtructionis ſymbolum, ut apud ſcriptores ſacros idem verbum ſignificet ſalitum eſſe, & deſtructum, ſic Eſai. 51: 6. *Cæli ſicut fumus* נמלחו ad verbum & proprio ſenſu *ſaliti ſunt*; & ita intellexiſſe videntur Lxx. habent enim: cœlum ὡς καπνὸς ἐστερεώθη *ut fumus firmatum eſt*, quia ſal ſolet carnes ſolidiores reddere, eaſque diutius ſervare; ſed ineptè, ut comparatio fumi probat, nul-

nullo modo. enim fumus eſt ſolidus vel firmus: melius igitur Interpres Chaldæus altero ſenſu reddidit, *cœli ut fumus pertranſiens*, כן יעדון *ſic traſibunt & abolebuntur*, vel ut Syrus, חברון *tranſibunt & deficient*, vel ut Arabes vertunt *diſſipabuntur*. Omnium autem melius & facilius Symmachus, qui ſimili verbo & eodem omnino ſenſu reddidit, ἀλιάζονται à ſale etiam formato, ſed revera ſignificante, deſtruentur. Nam Iliad. Π. v. 737. οὐκ ἀλίωσε βέλος, *non perdidit telum*, & ibi Scholiaſtes ἀλίωσε explicat, ματαιὸν ἐποίησε, *inane fecit*. Sic Odyſſ. ε. v. 104. ἀλιῶσαι νόον, *fruſtrare mentem, & irrita reddere propoſita*. Sic ἄλιος *inanis, inutilis & caſſus*, ſic ἅλιον βέλος, *perditum telum*, Iliad. δ. v. 498. ἅλιον ὅρκιον, *jusjurandum vanum*, Iliad. δ. v. 158. Denique Jerem. 38: 12. *panni* מלחים *ſunt contriti & conſumpti*. und. R S. Jarchi in hunc locum. המלחים לשון רקבון כמו כעשן נמלחו. *Salſi i. detriti & corrupti ut ſupra cœli ſaliti ſunt. id*

eſt,

est, corrupti & R. D. Kimchi exponit מלחים *salsos*, per נשחתי *corruptos*. Ob diversam illam à sale ortam significationem diversimodè expositus est celebris locus Esdr. 4: 14. Ibi extat epistola hostium populi Judaïci ad Artaxerxem, conantium impedire reædificationem Jerosolymæ & templi; Inter cetera autem argumenta, quibus in suam sententiam Regem conantur perducere, ingens promovendæ suæ gloriæ studium jactant scribuntque *Notum sit Regi quod si civitas illa restituitur, vectigal & census non persolvetur & tributum Regium afficietur detrimento; nos autem contrà.* די מלח היכלא מלחנא. *quod sale palatii saliti sumus, & turpitudinem Regis non passumus conspicere, propterea misimus & Regi notificavimus.* Quæritur quid sit, *Sale palatii saliti sumus*, Syriaca versio textum iisdem verbis referens, ne minimam quidem ei lucem prebet. Lxx. autem secundum editionem Sixti, vel secundum antiquum

quum Alexandrinum exemplar, quod à S. Tecla exaratum volunt, illa verba prętermiserunt; ut etiam Arabica versio, at editio Complutensis habet, ἅλας τȣ̃ ναȣ̃ ἡλισάμεθα, ubi notanda phrasis ἅλας ἡλισάμεθα, quę actionem designare videtur, passivè enim S. Marc 9:49. dixit ἁλὶ ἁλισθήσεται, quasi hic vellet significare *sale saliri*, illa *salem salire*: Attamen utramque plurimi Viri Doctissimi confundunt, & Flaminius Nobilius in vers. gr. Lxx. ad Esdr. 4. vertit ἅλας τȣ̃ ναοῦ ἡλισάμεθα *sale palatii saliti sumus*, quod etiam volunt respondere textui. Sane celeberrimus Bochartus sic illud vertit, *sale palatii salimur*; *ita ad verbum*, inquit, id est, *ut rectè Junius*; *salarium de Regis Palatio percipimus*. Hieroz. 1. part. 2. l. 1. c. 7. §. 4. quod potest Illustrari observatione nostra de sale mercedis & salarii vice olim & hodie etiam dato; quo potest etiam referri immunitas à Rege Demetrio Judæis oblata, ἀπὸ τῆς τιμῆς τοῦ ἁλὸς, *à pretio salis*, quasi ad salem
 au-

aulæ aliquid contulerint 1 Macch. 10: ỷ. 29. & 11. 34. Quidquid ſit, prę-cedens hæc ſententia vulgo recepta eſt, & neſcio an ab ea quidam Interpretes receſſerint; at altera ei directè oppoſita placuit Ebręis, ſiquidem illi *ſale* vaſtationem intelligunt, voluntque intentionem ſcriptorum eſſe, extremum Judæis exitium minari, quaſi dicerent, quia *vaſtationem templi vaſtare*, ſeu funditus illud delere, optamus. Sic R. Aben Ezra מלח היכלה מענין כעשן נמלחו ארץ מלחה לא תשב. *Sal regis eodem ſenſu quo dicuntur cæli ſolvendi, ut fumus, & terra ſalita quæ non habitabilis*, & R S Jarchi. חורבן ההיכל אנא רוצים להחריב די מלח לשון הורבן ושממון כמו ארצ מלחה ולא תשב מלחנא ארו רוצים לסתור ולהחניב. *Vaſtationem templi volumus vaſtare. Sal ubi ſumitur pro ruina & deſolatione ut terra ſalſa & non habitabilis, ſaliemus*, id eſt, *volumus vaſtare & penitus delere* Quam obrem verſio Hiſpanica Judęorum ſic habet. *Deſtruy-*

cion

cion del palacio destruy remos, y me no sprecio del rey no derecho à nos paraveir. Sic *salem salire* Græcæ editionis significabit destructionem destruere, sive penitus delere, & ad ultima fundamenta delere templum; templum inquam, nam היכלא & *vads* significant *templum*, non verò palatia regum; quare vix sal regium & salaria possent intelligi; templum autem sal non habuit, quo uti potuerint Cuthęi, quapropter non proprio sensu accipiendum esse videtur, sed figurato, quo desolationem & vastationem significat; quicquid sit ita acceptum ab Ebræis, & in variis S. Scr. locis usurpatum, quapropter jure & merito sal potuit usurpari in desolationibus urbium, & earum ruinis aspergi, ut desolationem illam sempiternam fore significaret, idque eo convenientius quod sale Deus usus est in ultionibus gravioribus, ut in exitio Sodomæ & sociarum urbium in stagnum salis conversarum. Ubi Deus non tantum adhibuit imbres

 ful-

ſulphureos, & ignem ſed etiam *ſalia* ut teſtatur Moſes *Deut.* 29: 23. hic eadem legis trans greſſoribus minatur Deus; imò in uxoris Lothi pœna Gen. 19: 26. Nec ſal tantum deſignat exitium, ſed æternitatis etiam indicium, unde *fœdus ſalis* dicitur fœdus divinum, cui nulla unquam finem afferet ætas; Exitium itaque urbium ſempiternum fore ſal aſperſum ritè denotabat: ſic aſſignata Levitis portio victimarum *pacto ſalis* & ſempiterno Num. 18: 19. unde & Lex noſtra *Salica* dicta, quod ſit perpetua & immutabilis; è S.S. autem & ab Ebræis ſalis uſum in ultionibus petendum puto, quia in S.S. prima antiquitas, & ab Ebræis promanarunt multæ conſuetudines à Gentibus receptæ, & animadverſiones divinę, quibus mulier, & urbes refractariæ converſæ ſunt in ſal, à gentibus ipſis ignorari non potuerunt, quare illas in exemplum traxerunt, & quia urbes in ſal convertere non valebant, iis ſaltem ſal aſperſerunt.

Præ-

Preterea mihi non est compertum morem illum inter gentes à prima antiquitate fuisse usurpatum; etenim nihil antiquius, præter scripturam, de illo more suppeditat memoria, quam hæc Hesychii verba; ἁλίσπαρτον, τὸ ἁλικτὸν, ἐσπαρμένον χώρον ϗ ἄλμυρον. Sed medica manu indigent, quam jampridem adhibuit Clarissimus Palmerius Grentmenilæus Avunculus meus, sic legens in editione Hackiana τὸ ἁλὶ ἐσπαρμένον χωρίον, ϗ ἀλφίτοις. *locum sale & farina sparsum.* sed minori & faciliori mutatione posse legi existimo. ἁλίσπαρτον τὸ ἁλικὸν ἁλὶ ἐσπαρμένον χωρίον, ϗ ἀλεύρον. *Alispartum*, id est, *salsum sale aspersa regio, & farina*: Sic tres differentes significationes vox illa habet; Prima generalis est & omnes res salsas significat; quæ sunt particulares, & una significat sale aspersam farinam, quę usui à Palmerio observato poterit inservire; altera regionem sale aspersam seu exitio devotam significabit, hâc ultimâ metaphoricè constat accepisse

Eu-

Euſtathium Od. 17. obſervans ἁλισπάρτους dictos *ægrotos, quorum morbus inſanabilis habebatur*; ſcilicet petita ſignificatione ab urbibus & agris, quæ ſale deſtinabantur exitio; ęgri ad exitium ferè perducti convenienter ſale aſperſi dicebantur: Antiquum autem illum morem obſoleſcentem in uſum revocavit Fridericus Barbaroſſa Imperator in Mediolanenſes ira percitus. *Poſtquam enim*, inquit Mutius Germ. Chron. l. 18. *milites omnia in urbe convaſarunt, funditus evertit mœnia, & omnia ædificia, ubi urbs ſolo æquata eſt, circumducere aratrum, & ſal ſeminari juſſit, quod ſignum erat perpetuæ condemnationis.* & Maximilianus Mediolanenſibus reſtitutis minabatur poſtea referente Guicciardino lib. 12. *che ſarebbe peggio à quella citta, che non haveua fatto Federico Barbaroſſa ſuo anteceſſore, il quale non contento d'haverla abbruciata, & disfatta, vi fece per memoria della ſua ira, & della loro ribellione ſeminare il ſale.*

Sic

Sic an. 1370. Ægidius Carilla Pontificis legatus funditus evertit forum Popilii, dirutumque ſale conſperſit, & ducto aratro ſempiterno exitio addixit, Andr. Scotus in itin. Ital. ubi de Forlimpopoli, & in hiſtoria Hiſp. Lud. Majerni l. 27. *ob contumeliam Cardinali Ximeni factam* deleta urbs *Villa fratria* dicta, *& ejus rudera ſale aſperſa: ibidem etiam area domus Joannis Padillae ob rebellionem deletae ſale aſperſa eſt*; ut Neapoli domus Seplaſiarii ſolo ęquata ſimiliter ſale conſperſa apud Thuanum lib. 82. quod Majernus lib. 28. in alterum orbem introduxiſſe Hiſpanos teſtatur, cùm palatium Conſalui Pizarri in urbe Cuſco diruerint & ſale aſperſo ad aeternum exitium damnaverint. Sic amara hominum ira effunditur, & cultiora loca vaſtat & inficit regnante Euangelio, ſub quo gratia divina torrentis inſtar effuſa, infecta purgat, ſterilia fœcundat, & grata dulcedine condit, reficitque, quare ipſa maria, imo ma-

mare mortuum illius affluxu dulcescere, & fœcundari legimus, Ezech. 47: 8. Vale & amare perge tuum Morinum.

STEPHANI MORINI
super verba S. Hieron. l. 1. adv. Jovin. DISS. IV.

AD DOCTISSIMUM THOUROUDÆUM A CELEBERRIMO HUETIO CONSULTUM

SUPER HÆC S. HIERONYMI VERBA. l. 1. adv. Jovin. c. 8.

Multa compellitur Apostolus velle quæ non vult: Circumcidit Timotheum, rasit in se calvitium, nudipedalia exercuit, comam nutrivit, & totondit in Cenchris.

ARGUMENTUM.

Verborum Hieronymi *Scopus, digamiæ Licentiam reprimere. Apo-*

sto-

stolus Paulus, *à rectiori tramite, nonnunquam abductus, ad reducendos devios.* Timotheus à Paulo circumcîsus, *ut* Judæis *gratior fieret.* Radere calvitium, *id est,* se radere *usque ad* Calvitium. Γαλιλαῖος ἀναφαλαντίας, Galilæus *recalvaster*; Apostoli Pauli *descriptio, apud* Lucianum. *Omnes* Christiani, Galilaei *dicti.* Paulus *reverà* Galilaeus *ortus à parentibus* Galilæis, *& oppido* Giscalâ. *Proverbium,* Calvum vellis, *de operâ vanâ, & inutili. Ritus* Nudipedaliorum *ex multorum opinione, in* Judaïcâ *religione ignotus.* Lacedæmonum *liberi, ex* Lycurgi *institutione,* Ἀνυπόδητοι βαδίζοντες, *ad majorem agilitatem & celeritatem comparandam; Testibus* Plutarcho, *&* Xenophonte. Calceatus *pedum, inter sacra* Paschatis, Origenis, Cypriani, *&* Hieronymi *allusiones. Festa* Paschatis, Pentecostis, *&* Tabernaculorum, רגלים, Pedalia *dicta.* Aben-

Ezra

Ezræ *Testimonium. Mos* nudis pedibus *incedendi in regionibus calidioribus, receptissimus; Quod variis exemplis ostenditur. Imprimis apud* Judæos. *Vestigia pedum* Christi Olivetanæ *rupi impressa; Secundum* Adrichomium. *Locus, Matth.* 3: 11. *illustratus. Servi sandaligeruli. Loci, Matth.* 10: 10 *latior explicatio. Inepta ὑποδημάτων, à σανδαλίοις distinctio. Patrum antiquorum, ut* Hieronymi, Origenis, Gregorii Nysseni, Tertulliani, *&* Clementis Alexandrini, *de* Ἀνυποδησίᾳ *Testimonia.* Nudipedalia *ad intima* Judæorum, *sacra pertinentia. Loca; Exod.* 3: 5. *& Jos.* 5: 15. *examini subjecta.* Calceatis *templum ingredi & sacra peragere illicitum.* Nachmanidis, Gregorii Nysseni, *&* Theodoreti *testimonia huic veritati adstruendæ. Inter omnia sacerdotum ornamenta, nulla* calceorum *mentio. Labrum æneum, in atrio sanctuarii, manibus pedi-*

busque

busque lavandis. Sacerdotum pollices, manuum & pedum victimarum sanguine aspersi. Sacerdotum ἀνυποδησία, *toti populo in exemplum proposita.* Berenice *regina in Templo nudipes; juxta* Josephum. Juvenalis Judææ *descriptio* Æthiopes, Mahumetani, Persæ, *&* Tartari, *non nisi* discalceati, *loca Sacra frequentantes. Palatia regum, apud Indos* calceatis *inaccessa. Diabolus Dei simia.* Γυμνοποδία, *in profanis gentilium sacris observata; Quod variis Authoritatibus & testimoniis evincitur. Justa funebria*, nudis pedibus *celebrata; Ex relatione* Æschyli, *&* Suetonii. *Festa* Nudipedalia; *apud* Americanos *nota. Omnium gentium* Γυμνοποδία, *ex unâ religione* Judaïcâ *orta.* יום הכפורים, *Dies expiationum* יום צום, *Dies jejunii. Locus Actor.* 27: 9. *de jejunio, & periculosâ navigatione illustratus. Verba* את נפשיכם תענו, Ταπεινώσετε τὰς ψυχὰς ὑμῶν, Affligetis

 ani-

animas vestras; *quid sibi velint? Variæ horum verborum versiones.* Calceorum *usus, in die Expiationis,* Judæis *interdictus.* Judæorum *testimonia*; Jonathanis Ben Uziël, Maimonidis, Isaäci Karonis, & Manassis Ben Israël. *Hodierni* Judæi, discalceati *diem Expiationum transigentes*; *Ex* Buxtorfio. *Concluditur Festum Expiationum meritò dici* Nudipedalia. Calcei detracti *in opprobrium & dedecus*; *Quod probatur ex loco, Deut.* 25:7. *Mæsti & Pœnitentes in S. Scripturâ* nudipedes. R. Levi Ben Gersom *observatio, ad Locum,* 2 *Sam.* 15:30. *Loci, Ezech.* 24:17. *illustratio.* Achabus, *in Humiliatione,* nudipes; *juxta* Iosephum. Iudæorum, ἐθελοθρησκεία. Nudipedalia *apud recentiores* Christianos *in usu. Concilii* Moguntini, *tempore* Caroli Magni, *Sanctio. Pervigilia, Lectisternia, Februa, Vinalia, Ambarvalia, Robigalia,* & Nudipedalia

dalia *in Ecclesiam* Christianam, *sub* Clodoveo introducta. *Secta* Nudipedalium *apud* Augustinum, & Hieronymum. *Superstitio inconstans, & sibi ipsi contraria. Apostolus* Paulus, *accuratus rituum observator. Dissertationi de* Nudipedalibus colophon *imponitur, & Mens* Hieronymi *dilucidè exponitur. Verborum* Hieronymi, *de* Pauli comæ nutritione illiusque in Cenchris tonsione *succincta explicatio.* Æthiopici *interpretis ἀπειρία.* Conclusio.

LUdere operam, & quod ajunt, captis avibus dumos cædere me jubes, qui vis, ut post te raræ perspicacitatis, & acerrimi judicii Virum verba S Hieronymi difficilia perscruter, & illorum mentem sensumque exquiram; Nihilominus morem geram, ne si in me acumen desideres, etiam possis desiderare obsequium.

Patet hic totis viribus contendere

Hieronymum, ut digamiae licentiam reprimeret, & coerceret, vel ſaltem ipſi notam inureret incontinentiae, at obſtabat Apoſtoli autoritas, quam ut declinaret, illum obſervat, à rectiori tramite quem probabat non nunquam abduci, ad reducendos devios, & hoc mirae charitatis illicio ſibi devinciendos; Hoc autem vocat *velle*, *quae non vult*, quod pluribus illuſtrat Exemplis, inter quae agmen ducit *Timothei Circumciſio*, quae ſicut cæteri Iudaeorum ritus caeremoniales morte Chriſti evanuerat; illo tamen Iudaïſmi obſoleto ſigillo Timotheum obſignandum curavit Paulus, Iudaeis gratior fieret, mutuamque ab illis referret gratiam: illorum ſcilicet caeremonias rituſque aliquantiſper colere, & in tumulum honorificè deducere voluit, ut viciſſim exorientem Euangelii gratiam exciperent. Paulò obſcurius eſt quod ſequitur; *Raſit in ſe caluitium*, quia raſura calvitium non eget, neque illam pati-

ti-

titur; Attamen vix potest dubitari, quin velit significare quod Paulus se raserit usque ad calvitium, imo in se raserit ipsum calvitium, quando Hierosolymitanorum Presbyterorum consilio comam rasit Act. 21: 24. quandoquidem ipse caluus erat, ut ipsum pictores repraesentant, & Triphon illum describit apud Lucianum in Philopat. his verbis. *Quando me Galilaeus ille convenit* ἀναφαλαντίας *i. recalvaster, naso justo praeditus, qui in tertium usq; cœlum per aërem ingressus est, quaeque optima atque pulcherrima sunt, inde didicit, per aquam nos renovavit*, & sanè neminem alium hic praeter Paulum posse intelligi putat Baronius in Annal. ad an. 68. §. 2. & vult dici Galilaeum, quod sic omnes discipuli & caeteri Christiani dicerentur, à Christo etiam Galilaeo ob maximam vitae partem in Galilæa transactam dicto. Quin revera Paulus Galilaeus fuit ortus à parentibus Galilaeis, & oppido Giscala, quo à Romanis deleto hi se Tarsum rece-

perunt, quam ob rem Romanae civitatis jus eſt adeptus, ibi natus Act. 22:3. & 28. *Tarſus enim Ciliciæ jus municipale à Romanis obtinuerat*, ut ex *Ulpiano* refert *Baronius* ad An. 58. §. 147. vid. Hier. de ſcriptoribus Eccleſ in Paulo. *Raſit igitur in ſe calvitium*, eſt locutio hyperbolica, cujus nimia vis propoſito Hieronymi inſerviebat, cum inanem & ſupervacaneam hanc Pauli raſuram arguere intenderet; notum enim proverbium, *calvum vellis*, de opera vana & inutili, neque ex animo egiſſe vellet probare, ſed tantum ut Iudaeis gratificaretur; ipſe in Ep. ad Gal. c. 4. id vocat *calvitium exercere*, quia novacula ſuper calvitium ducta ſuo non fungitur officio, ſed calvitium duntaxat exercet vexatque; nihilominus qui ſic calvitium exercet, aliquo modo in ſe calvitium radere videtur. At nullâ ratione *Nudipedalia* exercuiſſe Paulum jure ac meritò affirmare poſſumus; Quandoquidem nullum hujus ritus veſti-

gi-

gium in Iudaïca Religione obſervari plures arbitrantur; Imò inter Legis Moſaïcae conſtitutiones nullam eſſe, quae pedum nuditati faveat; Quin ipſi Rabbini monendos ſedulò curant parentes ne nudis pedibus pueros incedere ſinant, Buxt. ſyn. jud. c 3. quod non facerent, ſi religioni conſentaneum pedibus nudis incedere putarent. Lacedaemones enim duntaxat ob rigidae auſteritatis cultum & ad majorem agilitatem, celeritatemque comparandam ex Lycurgi inſtituto liberos ſuos docebant, βαδίζειν ἀνυποδήτους, *diſcalceatos incedere*, teſte Plutarcho in Lycurgo. Sic Xenophon de Rep & leg Laced teſtatur quod Lycurgus, ἀντί γε τοῦ ἁπαλύνειν τοὺς πόδας ὑποδήμασιν, ἔταξεν ἀνυποδησίᾳ κρατύνειν, *contra eorum morem qui pedes calceis emolliunt, diſcalceatione illos corroborare inſtituit*, quod, ut addit, cenſuerit hujuſmodi exercitatione factum iri ut facilius in acclivum aſcendere, & tutius in declivum deſcendere poſſent, expediti-

uſque diſcalceati, ſiquidem pedes aſſuefeciſſent, quam calceati, currerent, ſaltarent, & exſilirent. Præterea ipſe pedum calceatus inter ſacros Paſchatis ritus fuit à Deo præſcriptus, mandatumque illud ad totum deſerti iter pertinuiſſe voluntOrigenes, S. Cyprianus, & S. Hieronymus, ut patet multis alluſionibus, quibus Chriſtianorum vitam cum illo itinere comparant, & fideles contra ſerpentum morſus, & ſcorpionum vulnera calceis munitos dicunt, V. Hieron. Ep. 8. ad illamque poſtremam *Gravii* annotationem. Attamen ex Hieronymi genio & phraſi ſatis commodè illius *Nudipedalia* interpretari poſſumus. Nam quemadmodum radere calvitium dixit pro caput ex parte calvum ſive recalvaſtrum novaculæ ſubjicere; ſic nudipedalia potuit vocare feſta, quæ talia ex parte erant, & ad quæ plures nudis pedibus properabant. Sanè quia maxima Judæorum pars Hieroſolymitanum iter ad feſta illa celebran-

branda pedibus conficiebat, Feſta Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, in primis dicebantur רגלים *regalim* ad verbum *pedalia* ſive *pedeſtria* teſte R. Aben Ezra in Exod. 23:14 רגלים מגזרת רגל כי רובם רגלים הם. *Regalim feſta dicuntur à regel, pes, quia major pars eorum qui illa celebrabant, pedites erant.* Cum autem maxima pars illorum peditum etiam diſcalceata eſſet, ut pedeſtria à pedibus, ſic nudipedalia à nudis pedibus Judaïca feſta jure ac meritò dicta ſunt. Ne autem mera conjectura videatur, quod dico maximam Judæorum partem pedibus nudis ad feſta ſua profectam, obſervandum eſt in regionibus paulo calidioribus morem nudis pedibus incedendi fuiſſe receptiſſimum: Nudis pedibus incedit Socrates apud Xenophontem l. 1. memorandorum, Plato duas corporis extremitates non eſſe velandas docuit, nec aſſueſaciendum mollitiei capitis, vel pedum: ipſi Imperatores nudis pedibus incedunt ut inter

Grȩcos Phocio, inter Romanos Cato apud Plutarchum in eorum vitis; ſic Scipio & Germanicus apud Tacitum Annal. l. 2. c 59. & ipſe licet luxui totus deditus Nero apud Suetonium. Unde Muſonius apud Stobæum Serm. 1 τοῦγε ὑποδεδέσθαι τὸ ἀνυποδετεῖν τῷ δυναμένῳ κρεῖττον, κινδυνεύει γὰρ τὸ μὲν ὑποδεδέσθαι, τῷ δεδέσθαι ἐγγὺς εἶναι. *Diſcalceatum incedere præſtantius eſt, quam calceari, perinde enim videtur calceatum eſſe ac vinctum*, & verba Grȩca non magis ſunt affinia. Inter Judæos maximè mos ille obtinuit; hinc pedum utpote nudorum inter pulverem & ſordes adeò frequens in S. S. lotio: Hinc pedibus toties promiſſum tutamen contra omnes offenſas, quod iis abſque calceorum protectione paterent, hinc *pedes eorum qui proſpera nunciant, pulchri dicuntur* Eſaiæ 52: 7. quod oculis exponerentur: Hinc *pulverem pedum Eccleſiæ hoſtes lingunt* Eſai. 49:23. & Diſcipuli *pulverem pedum ſuorum* in contumaces excutiunt, Matth.

Matth. 10: 14. Hinc Chriſtus pedum veſtigia Olivetanę rupi impreſſit, quæ nudos fuiſſe arguunt, ſi fides Adricomio & multis peregrinis. Quod etiam innuitur Matth. 3: 11. Johannis Baptiſtæ verbis, quibus ſe indignum qui ſoleas Chriſti ferret, alluſione ad ſervos ſandaligerulos, qui poſt dominos deferebant calceos ut illos induerent, cum ipſis commodum videbatur; & ſimul doceret miniſterium ſuum, & Chriſti Domini morem abſtinendi à calceorum uſu in itinere; quare etiam diſcipulis calceos ferre vetat Matth. 10: 10. Fateor equidem non mihi videri Chriſtum omnem calceorum uſum interdixiſſe; ſed duo tantum paria calceorum, ut binas veſtes, & binos baculos, quod abſolutè neceſſariis rebus contentos eſſe vellet diſcipulos, idque Marcus 6. ℣. 9. ſatis explicatè docet Alii nodum in ſcirpo quærunt, conanturque ὑποδήματα vetita apud Matthæum diſcriminare à σανδαλίοις conceſſis Lucæ, quaſi ὑπόδημα ſit

ſit ſecundum Ebręos מעל של עור רך *Calceus è corio molliori.* סנדל של עור קשה *ſandalium quod è corio duro conficitur.* At fruſtra ſunt, cum Marcus velit diſcipulos, ὑποδεδεμένους σανδάλια id eſt *calceatos ſandaliis*, quod ſandalia cum calceis confundit, & ὑποδήματα, habent qui ſandaliis ſunt ὑποδεδεμένοι. Pręſtat itaque quodvis pedum indumentum probare, & tantùm improbare ſuperfluum, quod omiſſa futuri ſollicitudine, præſentibus ſubſidiis contenti debent eſſe Chriſti Diſcipuli; Nihilominus ſanctiſſimis Doctoribus aliter viſum, & Hieronymus Chriſtum & Apoſtolos nudis pedibus & abſque calceis inceſſiſſe arbitratur Ep. 22 ad Euſtoch. de cuſtod virg c. 8. *Moſes*, inquit, *& Ieſus Nave nudis in terram ſanctam pedibus jubentur incedere, & Diſcipuli ſine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem novi Evangelii deſtinantur, & milites veſtimentis Ieſu ſorte diviſis caligas non habuere, quas tollerent,* *nec*

nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat ſervis. In eadem etiam ſententia videtur fuiſſe Origenes, quandoquidem per multos annos calceamentis omnino abſtinuit, & pedibus nudis ambulavit, teſte Euſebio hiſt Eccl. l 6. c. 3. & S. Gregorius Nyſſenus Homil. ij. in Cant. diſertè aſſerit quod τοῖς μαθηταῖς ὁ κύριος ἀπαγορεύει τὰ ὑποδήματα. *Dominus diſcipulis interdicit calceos*, Tertullianus verò probat hanc auſteritatem; at fortitudini potius quàm pietati adſcribit, dum dicit, quod *pedes nudi viriles magis quam in calceis.* Ei ſuffragatur Clemens Alexandrinus Pędag. l. 2. c. 11. & cæteri omnes, qui Philoſophiam profeſſi Euangelium amplectebantur, quia ἀνυποδησία, pallium, & cętera auſteritatis & frugalitatis inſignia Philoſophis apprimè arridebant. Hieronymus itaque potuit feſta Judæorum vocare *Nudipedalia*, quandoquidem nudis pedibus plures illa celebraturi Hieroſolymam peterent, ſicque illa deprimebat, quia

quia vulgo multi Christiani & Philosophi etiam fere omnes, plurimique omnium ordinum Viri sic passim incedere solebant. Verum enim vero hic nequeo consistere, sed Nudipedalia ad intimam sacrorum Iudaïcorum rationem pertinuisse contendo, idque probabo Dei ipsius verbis Exod. 3: 5. & Ios. 5: 15. illic sic alloquitur Mosem, ut à rubo ardente arceret. *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est*; Hic ad Josuam eadem verba habet; Ex iis autem infero non licuisse calceatis templum ingredi & sacra peragere, cum sanctissimum haberetur, & præsenti numini consecraretur. Sed in quęstione facti rationibus præstant testimonia; Audiatur itaque testis luculentus R. Bar Nachman in antiquissimo opere schemoth. rabbah. parasc. 2. כל מקום שהשכינה נגלית אסור בנעלת הסנדל וכן ביהושע של נעלך וכן הכהנים לא שמשו במקדש אלא יחפים. *Omnis locus in quo divina majestas se patefa-*

facit, prohibet calceorum uſum, hinc Joſuæ dicitur, ſolve calceamentum tuum &c. Sicque Sacerdotes ſuo miniſterio non funguntur in templo niſi diſcalceati. At nullibi ſępius magnificentiuſve ſe manifeſtavit Divina-majeſtas quam in templo; Quare merito Sacerdotes calceos, illud ingreſſuri, deponebant, & eorum exemplo cuncti Iſraëlitę, erga quos eadem ratio valebat, & validius etiam militabat: Patres Rabbinis adſtipulantur; nam S. Gregorius Nyſſenus Hom. 11. in Cant. videtur arbitrari Moſem ſine calceis quaſi coram Deo, ſemper ambulaſſe ſcribens οὐδὲ γὰρ Μωυσῆς τῷ θείῳ προστάγματι τῆς νεκρᾶς τῶν δερμάτων περιβολῆς ἐλευθερώσας τοὺς πόδας, ὅτε τῆς ἁγίας τε καὶ πεφωτισμένης ἐπέβαινε γῆς, πάλιν ἱστορεῖται διαλαβὼν τοὺς πόδας τοῖς ὑποδήμασιν. *Neque enim Moſes cum juſſu divino liberàſſet pedes à mortuo pellium indumento, quando terram aſcendit ſanctam, & illuminatam, narratur rurſus pedes induiſſe calceis.* Et poſtea prudenter obſervat omnia

ſa-

sacerdotum ornamenta accuratè describi à Mose Exod. 28. At calceorum nullam mentionem fieri. οὐδένα τοῖς ποσὶ κόσμον ἐπιτεχνήσαντο. ἀλλὰ ἦν καλλωπισμὸς τοῦ ἱερατικοῦ ποδός τὸ γυμνὸν εἶναι πάσης περιβολῆς, καὶ ἐλεύθερον, χρὴ γὰρ τὸν ἱερέα πάντως ἐπὶ τῆς ἁγίας βεβηκέναι γῆς, ἧς μετὰ νεκρῶν δερμάτων ἐπιβατεύειν οὐ θέμις. *Neque illum ornatum pedibus adaptari, ut pateret decus & ornamentum sacerdotalis pedis esse nuditatem; & ab omni involucro exemptionem. Oportet enim sacerdotem semper terræ sanctæ insistere, quam cum mortuis pellibus non decet peragrare*; sicut in diversi licet cultus descriptione Ovidius.

Scortea non illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos.

B. Theodoretus in Exod. q. 7. quærit quare jussus est Moses calceamenta solvere; Rejectis autem quorumdam opinionibus ita suam exponit sen-

ſententiam. δύο τοίνυν ἡγοῦμαι διὰ τούτου δηλοῦσθαι· πρῶτον μὲν γὰρ εὐλαβέστερον αὐτὸν τῷ ῇ τῷ λόγῳ καθίστησιν, ὥστε μετὰ δέους τῶν προσταττομένων ἀκοῦσαι· ἔπειτα προπαιδεύεται, πῶς χρὴ τοὺς ἱερέας ἐν τῇ σκηνῇ λειτουργεῖν· γυμνοῖς γὰρ κἀκεῖνοι περὶ τὰς λειτουργίας ἐπιτελοῦν, καὶ τὰς θυσίας. *Duo igitur per hoc arbitror ſignificari; primum quidem religioſiorem hac ratione illum reddit, ut cum metu audiret quæ imperabantur; Deinde prædocetur, quomodo oporteret ſacerdotes in tabernaculo ſacra obire miniſteria; Nudis enim pedibus religioſis officiis fungebantur & victimas mactabant.* Revera in atrio juxta ſanctuarii portam Labrum æneum juſſu Dei appoſitum eſt, ut in eo ſacerdotes ad munia ſua properantes pedes manuſque lavarent, Exod. 39: ℣. 19. & Levit. 8: ℣. 23. Moſes in conſecratione Aaronis, & filiorum ejus eorum pollices dextros pedum ſanguine victimarum aſpergit, quod nudos fuiſſe evincit: Ad Saeerdotes quidem hæc teſtimonia expreſſe videntur per-

L tine-

tinere, iisque pedum nuditatem duntaxat assignare; Sed argumento à majori ad minus licet concludere, quod Israëlitis omnibus suum Sanctuarium cum calceis non licuit ingredi, si Sacerdotes à suo Sanctuario arcebantur, donec calceos deposuissent, nec cæteris tribubus concessum, quod sacræ erat omninò interdictum; ex Sacerdotum more proculdubiò reliquus populus suum officium discere debuit, quare Lyra in Exod. 3:5. *Hinc antiqui & specialiter Ebræi sancta loca pedibus calceatis non ingrediebantur.* Quò spectant hæc verba S. Augustini licet in mysticum sensum vergentia. Serm. 1. de Sanctis in genere tom 10. *Quid tam terra Sancta, quam Dei Ecclesia; in illâ ergo stemus, calceamenta solvamus, id est mortuis operibus renunciemus* Quamobrem apud Josephum l 2. de bello c. 15. Berenice Regina Deo vota solvit in templo Hierosolymitano nudipes; sic enim de illa. τοῖς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένοις, ἢ

τι-

τισὶν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας, ἃ δὴ τότε τελοῦσα Βερενίκη γυμνόπους τε πρὸ τοῦ βήματος ἱκέτευσε τὸν Φλῶρον. *His enim qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur mos est orare per triginta dies antequam immolent hostias, abstinere quoque vino, & capillos radere, quæ Berenice perficiens, & nudipes existens ad tribunal Flori ipsum oratura contendit*; Nudipes itaque ex more erat in templo, & zelo percita, omnisque vel minimæ moræ impatiens eo habitu properavit ad Florum; Unde Juvenalis Sat. 6. facta mentione Berenices morem Judaïcum hoc illius facto Romanis palam manifestatum illicò refert hâc Judææ descriptione.

Observant ubi festa mero pede Sabbata Reges
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Mero pede, id est, *nudo*, inquit

Joannes Britannicus commentator celebris, *nam Judæi pedibus nudis Sacra sua peragunt*; quod confirmat Tertulliani, Hieronymi, Josephi, & Egesippi testimoniis. Hinc proculdubio Æthiopes, qui antiquitus à Judaismo ad Religionem Christianam pervenisse videntur, discalceati semper suas Ecclesias ingrediuntur, & Sacerdotes eorum rasis capitibus, & pedibus nudis degunt, nec unquam possunt calceati suas Eccles. ingredi, teste Alvare, descriptione Æthiop. c. 12. & Legato Æthiopum apud Damian. Goes. Discalceati etiam superstitionum Judaïcarum ex asse hæredes Mahumetani omnes suas Mosquitas ingrediuntur, calceosque in limine relinquunt, ut inter alios referunt G. Sionita & I. Hesronita Maronitæ de Morib. orient. c 10. & I. Baptista Montalbanus, cujus hæc sunt verba, *Ingredientibus deponendæ sunt exteriores soleæ, interioribus tantum retentis*, rerum Turcic. Commentario: Sic Persæ qui omnia san-

ſanctorum ſuorum ſepulchra pedibus duntaxat nudis etiam ingrediuntur, & Schach Abas ſuperbiſſimus licet, non niſi diſcalceatus, cum Ardebil petebat ut Schich Sephi ſepulchrum inviſeret; proxima milliaria conficiebat, teſte Oleario itineris Perſici l. 4. Tartari etiam ut patet ex Epiſtola ad D. Chytręum an. 1581. ſcriptâ quæ extat ad calcem deſcriptionis Tartarię. Unde factum ut quia Reges vivæ ſunt Dei imagines, ejuſque vices gerunt, eorum palatia etiam templa viſa ſint, & eodem ritu culta, quare regia palatia non ingrediuntur Indi, niſi pedibus nudis teſte Petro della Valle part. 4. Ep. 6. & Præfectus Beaulieu non potuit in Regis Acheni conſpectum admitti antequam ſuos exuiſſet calceos, ut ipſe refert in ſuis diurnis; quod in Aulis Ingarum etiam obtinuit teſte F. Lopes de Gomora hiſt. gen. de las Indias c. 120. Nec illis ſolis qui à Judęis multos accepiſſe ritus palam profeſſi ſunt, Nudipedalia obſerva-

ta, ſed gentes ferè omnes à Diabolo Dei ſimiâ deluſæ γυμνοποδίαν in prophanis ſacris quæ divinum cultum imitabantur, ut honore ſibi ſoli debito ſic ſpoliaretur verus Deus, uſurpaverunt, ut videre eſt apud Juſtinum Martyrem Apol. 2. Sanè apud Jamblicum hoc dat præceptum Pythagoras; ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει. *Diſcalceatus ſacrifica & adora.* Apud Strabonem vates Cimbricæ γυμνόποδες captivos mactant, ad divinationem l. 7. Apud Florum l. 1. c. 13. Veſtales *nudo pede ſacra ſua comitantur*; Apud Suidam γυμνοποδία, χοροὶ ἐκ παίδων ἐν Σπάρτῃ τῆς Λακωνικῆς εἰς θεοὺς ὕμνους ᾄδοντες εἰς τιμὴν τῶν ἐν Θυρέαις ἀποθανόντων Σπαρτιατῶν. *Nudipedalia, chori puerorũ qui nudis pedibus in agri Laconici urbe Sparta hymnos Diis canebant in honorem Spartanorum occiſorum in Thyræis.* Scilicet in celebri pugna trecentorum Spartanorum cum totidem Argivis ob agrum Thyræum, vel totius utriuſque gentis exercitus dubiam ex trecentorum

pugna

pugna victoriam referre volentis, ut videre est apud Herod. l. 1. § 82. apud Prudentium hymno 10. perist.

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos matris Idææ sacris

Sic Ovid. de sacris Vestæ 6. fast.

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

& Horatius de veneficarum superstitionibus l. 1. Sat. 8.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nigris, passoque capillo

Ovidius etiam de expiatoriis sacris fast. 5.

Ille memor veteris ritus, timidusque Deorum
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.

Ipsa Dido apud Virgilium Æneid. 4.

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta
Testatur moritura Deos.

Et apud Sil. Ital. Hammonis Sacerdotes sic describuntur: lib. 3. *pes nudus, tonsæque comæ, castumque cubile.* Præterea justa funebria defunctis solvisse veteres pedibus nudis & absque calceis colligi potest ex Æschylo in Choephor. ubi *Electra* patri parentatura miratur comam suæ omnino similem jam fuisse oblatam, moxque magis stupet ob pedum vestigia suis etiam simillima, quare exclamat.

Πτέρναι τενόντων θ' ὑπογραφαὶ μετρούμεναι
Εἰς ταυτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις.

Calcanea tendonumque subscriptiones mensuratae perfectè conveniunt cum meis. Vestigia autem illa quę fratris Orestis erant, sic descripta cum suis non potuisset conferre nisi ille ipsaque γυμνοπόδες fuissent, dum sacris illis funeribus operam darent; quod con-

confirmatur Suetonii teſtimonio in Auguſto c. 100. referentis quod *Auguſti cremati reliquias legerunt Primores equeſtris ordinis tunicati & diſcincti, nudiſque pedibus*: penè prętermittebam Proclum, de quo Marinus ejus diſcipulus, & Academię poſt ipſum moderator, ἀπολυσάμενος αὐτόθι ἃ ἦν αὐτῷ ὑποδήματα ὁρώντων ἐκείνων, τὴν θεὸν ἠσπάζετο. *Solvens illic quos habebat calceos ipſis conſpicientibus Deam oſculatus eſt.* Denique mos ille adeò per totum terrarum orbem diffuſus eſt, ut in ipſa America obtinuerit, & accuratiſſimus illius deſcriptor I. de Laet. lib. 11. c. 17. teſtetur in urbe Cuſco inter quatuor præcipua feſta eſſe Solis feſtum menſe Junio poſt Solſtitium, Regemque tanquam filium Solis, & Summum Sacerdotem poſt triduanum jejunium, magnumque victimarum apparatum, cum ſuis conſanguineis, proceribus, & omni plebe procedente in aream majorem urbis quam vocant Haucaypato, ibidem

demque attente omnes conversos ad Orientem & *Nudipedes* præstolari, donec Sol ascendat supra Horizontem, ad primumque illius conspectum considere humi, & brachiis apertis, elatis manibus, orique objectis aërem osculari solent, ut supremum numen, & parentem venerantes; Constans illa in omnigenis omnium gentium sacris γυμνοποδία evidenter probat eam non fuisse ab errore ubique sibi dissimili, inconstanti, & vario inventam, neque ab hominum genio pro regionibus, temperaturis, & ætatibus diverso, unde tot contrarii ritus sępe in ejusdem urbis cæremoniis, sed ex una & eadem origine emanasse, Religione scicet Judaïca, cujus externam speciem non aspernata est superstitio, ut facilius incautos deciperet; In dubium igitur non revocandum *Nudipedalia* Judæis jure tribui ab Hieronymo, cum ipsis fuerint usitata in ipsis Templi Hierosolymitani sacris, nec ulla gens latius suas Leges & Cære-

mo-

monias ſparſerit, quandoquidem conſtare debet omne jus gentium, & omnem tam de Deo, quàm de Creatione & Providentia, legitimoque cultu cognitionem à Judæis & Judæâ originem duxiſſe, & in ceteras orbis regiones perveniſſe; Reſtat tamen ſcrupulus, nec videtur omninò conveniens ut inter varios Judeorum ſacros ritus numerentur *Nudipedalia*, ſi Nudipedalia omnibus ſacris ſint annexa, & diſcalceatio cunctarum cæremoniarum fuerit appendix. Sponte quidem flueret Hieronymi ſermo, & omnia quadrarent, ſi Nudipedalia ſignificarent feſtum quoddam peculiare, cui pedum nuditas inprimis conveniret, quod nunc probandum ſuſcipio.

Nemo neſcit inter celebriora Judæorum feſta eſſe יום הכפורים *diem expiationis*, qui decimo die ſeptimi menſis *Tiſri* dicti, & partim Septembri noſtro reſpondentis celebratur; Dies autem ille ſolet à Judęis dici יום צום. *Dies jejunii*, יום,

גדול

גדול, *Iejunium magnum*, & absolutè *jejunium*: Hinc optimi interpretes sic exponunt jejunium, cujus mentio Act 27:9 voluntque difficilem & periculosam dici navigationem, quod præteriisset illud festum & jam mensis October ageretur, quo tempore ventorum & imbrium sęvitia solet nautis innumera creare pericula; Sanè agitur de jejunio Judaico ut expressè notavit versio Syriaca & jejunium illud ad hyemem vergens procellis præ aliis erat obnoxium; illius autem institutio & commendatio habentur Lev. 16:29. & 23. 27. Num. 29:7. his verbis תענו את נפשיכם & עניתם את נפשיכם. Lxx. ταπεινώσετε τὰς ψυχὰς ὑμῶν, κακώσετε τὰς ψυχὰς ὑμῶν vulg. *Affligetis animas vestras*. At versio Samaritana habet *Jejunare facietis animas vestras*. Sic Arabica vertit, *Affligetis fame vos ipsos*. Paraphrasis etiam Hyerosolymitana, תצמו בה על נפשתיכון. *Iejunabitis in eo pro animabus vestris*. At Jonathan Ben Uziel in sua Paraphra-

phrasi Chaldaïcâ, hanc diei expiationum afflictionem vel humilationem magis explicat, & jejunio varias austeritates annectit, vultque animarum afflictionem præscriptam exigere abstinentiam מן מיכלה ומן משתייא ומין הוית' בני והמדוקא ומסנא ותשמיש ערסא. *à cibo & potu, & ab usu balneorum, unctione, calceis & coïtu*, quæ repetuntur Lev. 23: 27. ubi pro מסנא *calceo* habetur סנדלא *sandalium*, ut etiam Num. 29: 7. sic Baal Hathurim in Lev. 23: 27. חמשה ענוים הם איכלא ושתיה ורחצה וסיכיה ונעילת הסנדל ותשמיש המטה. *Quinque sunt afflictiones*, hîc imperatæ, n. abstinentia, *ab esu, & potu, balneis, unctionibus, calceorum inductu, & coïtu.* Nudipedalia itaque ad diem expiationum propriè spectabant, & in eo absolutè requirebantur: Quamobrem R. M Ben Maimon de quo Judæi dicere solent quod *à Mose*, legislatore scilicet, *ad hunc Mosem non fuit talis Moses*, ritus & cæremonias describens, ad diem expiati-

tionum pertinere calceorum abjectionem apprime neceſſarium docet, ſic enim iad chazak. part. 1. l. 3. tract. de die Expiationum c. 3. §. 7. אסור לנעל מנעל וסנדל אפילו ברגלו אחד ומותר לצאת בסנדל של שעם ושל גמי וכיוצא בהן וכורך אדם בגד על רגליו ויוצא בו שהרי קושי הארץ מגיע לרגליו ומרגיש שהוא יחף: התינוקות אף על פי שהן מותרין באכילה ובשתיה ורחיצה וסיכה מונעין אותן ממנעל וסנדל וגומר. *Prohibitum eſt in eo die induere calceos vel ſandalia etiam pede uno; licet tamen egredi cum ſandalis ex ſubere & corticibus, vel junco & ſparſo* (qualia habuiſſe dicuntur Hiſpani apud Plin. l. 19. c. 2.) *& ſimilibus; ſic poteſt quivis convoluere veſtem ſuper pedes, & ſimili ratione cavere ne terræ aſperitate pedes ſui lædantur, & ob nuditatem aliquo afficiatur incommodo; quamvis autem infantes liberi ſint ab abſtinentia cibi & potus, & lavationis, & unctionis, tenentur tamen diſcalceari & ſandaliis exui.* Sic R. Iſaac Karo in

in Schulcan Aruch part. 1. tract. de die Chippurim tit. 67. dilucidè exponit mentem ſuam circa illum ritum & reg. 1. ſcribit. יום הכפורים לילו כיומו לכל דבר ומה הם הדברים האסורים בו מלאכה אכילא שתיה רחי צה סיכה נצלת הסנדל תשמיש המטה ואין חיוב כרת אלא על מלאכה אכילה דשתייה. *Chippurim dies & nox eodem modo ſe habent, & hæc in ipſis ſunt interdicta, operatio, eſus, potus, lotio, unctio, calceorum uſus, coitus; Attamen opus tantum, eſus, & potus ſub pæna exciſionis interdicuntur.* Scilicet quia diſertè exprimuntur in lege, & cætera traditionum lege ſunt interdicta ut à Maimonide obſervatur, uterque poſtea quaſdam circumſtantias obſervat, quę legitimum faciunt tunc calceorum uſum; puta puerperis intra triginta dies proximos à partu, & ęgrotis quibus pedum nuditas poſſit nocere, & iis qui in locis à ſcorpionibus, ſerpentibus, cæteriſque noxiis animalibus obſitis degunt. Quæ

ex-

exceptiones ab urgenti neceſſitate imperatæ confirmant γυμνοποδίαν, *abſolute requiſitam in hoc feſto.* Etſi hæc ſufficere videantur, & libenter prætermittam quaſdam Thalmudis & Commentatorum Maimonidis & Karonis obſervationes, in gratiam tamen R. Manaſſis Ben Iſraël, cujus benevolentiam non ſemel expertus ſum, referam quę Luſitana linguâ ſcripſit in hanc rem, in theſauro dos dinim. c. 98: *das* coſas que ſaon prohibidas na noite & dia de Kipur. *De Rebus prohibitis in nocte & die expiationum.* Poſt alias obſervationes ſcribit. Calçaros capatos, he à ter-
„ceira couſa prohibida; pois vemos
„que David de Abſalom, na quella
„afflicaon ſe diz que hia com os pe-
„des deſcalços; & aſſim he neſte dia
„prohibido calçar, aynda quę ſeja
„ſo num pé çapatos de couro, mas
„de pano, ou outra qualcher couſa,
„he lecito; porque & julga o meſmo
„que andar deſcalço. Pode con
„tudo a parida dentro dos 30. dies a
„par-

,, parto calçar capatos de couro, e assi ,, mesmo o dointe aynda que não ,, esté perigozo, e o que tem algu- ,, ma ferida no pe, ser mordido de ,, serpentes, donde as ay. E sen do ,, a algum necessario hir a casa, não ,, podendo hir senão calçado a te che- ,, gar a ella, porse os çapatos de cou- ro. Id est *Induere calceos tertia res est prohibita; quoniam videmus Davidem ab Absalone filio fugientem nudis pedibus properasse; quapropter induens pedem calceis coriaceis omninò prohibitum, sed licet ex panno vel alia simili materia pedem involvere, quia id ipsum habetur idem ac non esse calceatum: nihilominus puerperæ licet intrà triginta dies à partu induere calceos è corio, idem licet ægroto licet non gravissimè laboret, vel illi etiam qui vulnera timet, vel serpentinos morsus ubi serpentes inveniuntur, ei denique cui necessarium est domum repetere nec potest sine calceis, tunc potest induere calceos è corio, ut illam repetat.* Po-

ſtremo Buxtorfius in Syn. Iud c. 21. hodiernos Judæorum ritus deſcribens teſtatur, quòd eo die *Nemo calceos induere debet, Senes verò & debiles aut ij quibus frigus nocet, ſoccos laneos induere poſſunt, vel in ſchola in pulvillum ſtare.* Conſtat igitur teſtimoniis celeberrimorum inter Judęos interpretum, commentatorum, & illorum qui diverſis linguis & temporibus ritus Judaïcos explicaverunt omnibus Judæis tam Sacerdotibus, quàm laicis, tam viris quàm mulieribus, tam infantibus quàm ſenibus, domi & in templo & Synagogis, diu noctuque dum celebrabatur feſtum expiationum, calceorum uſum fuiſſe interdictum & γυμνοποδίαν imperatam, ac conſequenter jure ac merito dici potuit *Nudipedalia.*

Ne autem illa nudipedalia vanæ Rabbinorum authoritati duntaxat inniti videantur, licèt id propoſito Hieronymi ſufficeret, & probaret incomparabilem S. Pauli humanitatem, qui vel leviſſimis *Iudęorum* ri-

ritibus morem gereret, ut Judæos lucri faceret; Observandum est illa legis genio convenisse, & à luctu, jejuniis & humiliationibus extraordinariis raro abfuisse. Lex jubebat calceos detrahi in opprobrium & dedecus ei, qui non obtemperabat mandato jubenti, ut frater fratris demortui viduam duceret, liberosque ei daret Deut. 25:7. Quid itaque convenientius quam peccatores ignominiosè calceos detrahere, dum coram Deo comparebant ad peccata sua agnoscenda, ut illorum expiationem & remissionem consequerentur; Jejunio præterea annecti solebat continentia ab usu uxorum, quam fovere & adjuvare creditur pedum nuditas; sed quod majori consideratione dignum est plurima suppeditat exempla sacra Scriptura, quibus mœsti & pœnitentes exhibentur nudipedes. David inprimis, ut à R. Manasse est observatum, nudipes fugiebat Absalonem 2. Sam. 15. v. 30. *David autem ascendebat per clivum*

montis olivarum aſcendendo flens, opertus capite ſuo, & properans diſcalceatus. R. Levi Ben Gerſom autem prudenter obſervat, quod mons ille olivarum אצל בית המקדש וידמה כי לקדושת המקום ההוא היה דוד נוהג בהיתו שם להשתחוות שם לשם יתעלה וזהו אמרו אשר ישתחוה שם לאלהים *Erat è regione ſanctuarii, & videtur quod propter loci ſanctitatem ipſi notam David ſolebat ibi Deum adorare, quare paulo poſt dicitur quod adoravit ibidem Deum.* Quamobrem tunc David nudis pedibus adorans Deum è regione montis ad cultum divinum deſtinati, ſolennem agebat pœnitentiam criminum, ob quæ plectebatur; ſicque exemplum præbuit pœnitentiam acturis in die expiationum, ut eodem modo nudipedes comparerent coram Deo ad veniam impetrandam. Ezech. 24: 17, 23. inprimis patet luctui & dolori nuditatem pedum convenire, ſiquidem Deus jubet Prophetam in acerbiſſimo luctu ob uxoris cariſſimę obi-

obitum calceatos pedes habere, & cætera luctus indicia deponere, ut extraordinario illo habitu percelleret Hierosolymitanos cives, & perculsos stupentesque stuporis & dementiæ argueret, quod mirarentur luctus indicia deponi, & negligi in obitu uxoris, ea autem cum luctu ipso deponerent instante urbis & Ecclesiæ horrendâ clade, & totius Religionis & sacræ politiæ defectu; *Calceamenta tua pones in pedibus tuis*, inquit Deus Prophetę: Judæis autem, *& habebitis ornamenta vestra super capita vestra, & calceamenta vestra in pedibus*; in quę verba R. Salomo Iarchi & R. D. Kimchi observant hęc à luctu aliena, & capitis ornamenta, ut & calceos tunc deponi solita fuisse; Quamobrem Iosephus antiq. l. 8. c. 7. referens Achabi humiliationem descriptam 1. Reg. 21: 27. licet γυμνοποδίας nulla ibi mentio fiat, attamen quia à solennibus jejuniis, & extraordinario luctu non debebat abesse, scribit, Αχάβῳ ᾗ λυπὴ τῶν

πεπραγμένων εἰσῆλθε καὶ μετάμελος, καὶ σάκκιον ἐνδυσάμενος, γυμνοῖς τοῖς ποσὶ διῆγεν οὐχ ἁπτόμενος τροφῆς, ἀνομολογούμενος τὰ ἡμαρτημένα, καὶ τὸν θεὸν οὕτως ἐξευμενίζων. *Achabum autem facinorum pœnitentia occupavit; & indutus Saccum, nudisque pedibus à cibo abstinuit, peccata confitens, & Deum placare hac ratione studens.* Quamvis Judæi in Lege & Prophetis suis tot & tanta necessariè in humiliationibus γυμνοποδίας argumenta non habuissent, suffecisset ingens ἐθελοθρησκείας studium, quo postremis suæ Oeconomiæ & adventantis Euangelii temporibus flagrarunt; Nam humano genio in corporea exercitia, & externos ritus propensissimo semper placuerunt nudipedalia, utpote austeritatis indicia, hinc Tertullianus Apolog. c. 40. *Cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti, statimque pransuri, balneis & cauponis & lupanaribus operati Aquilicia Iovi immolatis, nudipedalia*

lia populo denunciatis, & de jejun. adverſ. Pſych. *Cum ſtupet cœlum & aret annus nudipedalia denunciantur*; Hinc illa eadem nudipedalia ut plurimi ſimiles ritus recentioribus Chriſtianis etiam arriſerunt, quare Pamelius ad illa Tertulliani nudipedalia ſcribit; *Apud Chriſtianos nonnunquam in uſu ſunt*, revera Concilium Moguntinum tempore Caroli Magni & Leonis III. Papę ſub Richolpho Archiepiſcopo celebratum an. 813. can. 33. habet. *Placuit nobis ut Litania major obſervanda ſit à cunctis Chriſtianis diebus tribus, ſicut legendo reperimus, & ſicut ſancti Patres inſtituerunt, non equitando nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati cinere & cilicio induti niſi infirmitas impedierit.* tom. 3. Concil gen. p. 1. quare Præſes Fauchetus l. 2. c. 19. de ſtatu religionis ſub Clodoveo inter innumeros ritus, qui à Gentibus & Judæis in Eccleſiam Chriſtianam exundarunt, *pervigilia, lectiſternia, Februa, vinalia,*

 Am-

Ambarualia, *Robigalia*, refert, & *Nudipedalia*; etiam quę vult fuisse processiones religiosas in quibus Christus pro Iove & cæteris numinibus fuerit invocatus; devotioque illa minimè carni parcens, & pietatis speciem gerens adeò dementavit homines, ut secta fuerit Nudipedalium, *sive hominum nudis pedibus ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Mosen, vel ad Iosuam, solve calceamentum de pedibus tuis*, ut S. Aug. verbis utar hanc hęresim discribentis de hæres. c. 68. quorum etiam meminit S. Hieronymus Ep. 22. ad Eustochium his verbis. *Viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus, fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes: hæc omnia argumenta sunt Diaboli &c.* Sic nudipedalia cum Judaïsmo ab Apostolis, & cum Gentilismo seu Paganismo Apostolorum successoribus sepulta, & à Tertulliano, Hieronymoque irrisa, ut

va-

vana & inania devotionis ludibria, ſunt revocata in lucem; Chriſtianuſque aliis religioſior haberi cupiens hoc Socratis apud Ariſtophanem & Laërtium affectavit elogium, ἀνυποδητὴς κακὰ πολλ' ἀνέχῃ, *diſcalceatus mala multa tolerat*; At ut ſuperſtitio inconſtans eſt & in contraria ipſi deditos agit, queritur author Epiſtolæ 21. de celebratione Paſchatis, quæ tom. 9. operum Hieronymi extat; quod tunc gravius corripiatur, *qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit.*

Itaque jure ac merito Hieronymus Paulum deſcribit ab utraque illa extremitate vitioſa alienum, docetque nudipedalia exercuiſſe in gratiis; utpote inanem cultum, & ut Judęis duntaxat in re indifferenti morem gerens gratificaretur? Non dixit quando Paulus illa exercuerit, ſcilicet agebatur de re minimâ in exemplum adducta, cumque paſſim ſimilia exempla occurrerent, ſupervaca-

neum duxit illud curiosius explanare; Preterea non est improbabile tunc illa nudipedalia placuisse nonnullis, qui ad illarum authoritatem stabiliendam Pauli exemplo abutebantur, eumque illa observasse contendebant, quamobrem libenter id concessit Hieronymus, eoque ipso exemplo patere docuit multa fecisse Paulum mero erga contribules suos studio, utque gratiam illorum his voluntariis obsequiis demereretur. Attamen satis probabile est revera Paulum exercuisse nudipedalia; siquidem coram Iudæis profitetur Act. 23: 1. quod omni conscientia bona serviverat Deo ad illum diem, & Act. 25: 8. Se neque in legem neque in templum quicquam peccasse, imo c. 22. vers. 3. dixerat se institutum ad exquisitissimam formam legis patrię, & Dei zelo accensum, ut Judęi rituum suorum tenacissimi; & expressè c. 28. v. 17. nihil fecisse adversus populum & ritus patrios; firmum igitur testimonium ipsi prębebat conscientia, quod ne-

neminem neglectu rituum publicè receptorum offenderat; neque ulla legis mandata contempserat, neque tolerabiles patrum constitutiones violaverat, sed ipsas studiosè observaverat, & eodem Spiritu, quo S. Jacobus Act. 21: 24. actus, τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν studuerat, ut illa rituum observatione os adversariorum obturaret, & pacis amantissimus haberetur; fecisset autem contrà ritus patrios si nudipedalia die expiationum ubique ab omnibus Judæis ex Legis genio, & præceptis majorum exerceri solita neglexisset, quod haud dubiè ipsi etiam objecissent adversarii, sed vel cavillandi ansam prudentissima conversatione ita abstulit, ut ad calumnias confugere, & comminisci Græcorum in templum introductionem Act. 21: 28. coacti fuerint.

Superest *comæ nutritio*, *illiusque* in Cenchris Corinthiorum navali *tonsura*, quæ ad Legem Judaïcam etiam spectabant; nam Num. 6: 5.

co-

comam Nazareatus voto obſtricti tenebantur alere, nec novacula illorum capitibus ſuperferri debebat. At legi non videtur conſonum ut Paulus, in Græcâ urbe tonderetur; Hieroſolymis enim duntaxat vota perſolvi Num. 6: 18. Pſ. 65: 2. & ſacrificia omnia offerri debebant, quia templum ibi erat; hic nodus vindice dignus viſus eſt Æthiopico interpreti, ſed cum illum ſolvere non poſſet, reſecuit, nullamque Cenchrearum fecit mentionem. Non erat tamen Gordius ille nodus, & legenti Nazareatus leges variis pollutionibus obnoxios fuiſſe Nazaræos patebit; ex. gr. occurſu inopinato mortui polluebantur Num. 6: 9. tunc autem ubicunque illa pollutio contigiſſet radere comam tenebantur, quod voti complementum non erat, ſed contra quæcunque præceſſerant, irrita erant, & ab illa tonſura rurſus debebant dies voti numerari. Paulus itaque voti reus inceptum votum Cenchris aliqua legali impuritate abrum-

abrumpere coactus eſt, illico redintegrare, Num. 6:12. ut abſolutum tandem Hieroſolymis ſolveret; Imò ſi Hieroſolymis polluebatur eodem tempore victimas ad purificationem ſuam offerre tenebatur ibidem.

Hæc ſtrictim, ut nudipedalium prolixitatem redimam. Si mei aliquam mentionem tua ad clariſſimum Huetium reſponſione faciendam putas, meo quæſo nomine illum ſalutabis, certioremque reddes, quod ad ipſum frequentius non ſcribo, ne importunè interpellem, & graviſſima quibus incumbit ſtudia perturbem. Vale Vir præſtantiſſime, & benevolentia tuâ dignare tibi addictiſſimum Stephanum Morinum.

STE-

STEPHANI MORINI

DISSERTATIO V.

Steph. Mor. de Stoïcis Hercifcundis Appellatis Diff. V.

AD

CLARISSIMUM DOMINUM

LE MOINE,

S. THEOLOGIÆ PROFESSOREM.

In alma Lugdun. Batavorum Academia.

DISSERTATIO V.

De Stoïcis à Servio HERCISCUNDIS Appellatis.

ARGUMENTUM.

Modeſta præfatio. Stoïcorum Herciſcundorum *nomenclatura ſubobſcurior.* Herciſcundi, *id eſt*, medium ſecuti, *ipſo* ſervio *teſte.* Hercium, *id eſt*, *Diviſio*, *apud* Ciceronem. Herciſcunda *familia*, *quid?* Εἴργω, *Arceo*; Εἵργω, *includo*; Εἱρκτὴ, *Carcer*; Ἕρκος, *Septum.*

tum. Jupiter Hercæus; *apud* Harpocrationem. Stoïci, *quoad statum animorum corporibus exutorum; inter* Epicureos, & Platonicos, medium secuti; *Quod ex scopo* Servii, & *circumstantiis loci clarè ostenditur. Insepultorum animæ vagæ; Testibus* Homero, & Servio. *Anima, ex* Stoïcorum *doctrinâ, tamdiu durans, quamdiu durat corpus.* Plato, Socrates, & *melior Philosophorum pars, animarum immortalitatem propugnantes.* Epicurus, *cum suis, mortales esse animas, & cum corporibus interire, asserens.* Stoïci, *tanquam* medii, *inter animarum mortalitatem, & immortalitatem, earundem longævitatem docentes; Quod* Laërtii, Ciceronis, *ipsiusque* Senecæ *testimoniis patefit,* Stoïci, *sapientum animas, à vulgaribus discriminantes, illasque his longæviores statuentes. Æternitas,* Senecę *est vita ad omnium rerum conflagrationem permanens.*

Stoï-

Stoïci, *modò ad* Epicureos, *modò ad* Platonicos *accedentes. Anima, flatus quidam corporeus; ex opinione* Varronis, *&* Zenonis: *vel ut alii, ignea quædam substantia. Ingenti mole obrui aut suffocari animæ fatale, sed aquis submergi funestissimum.* Homerus *illustratus. Anima* Ajacis, *utpotè penitus extincta, apud inferos non occurrens.* Achilles *&* Æneas *mortem in aquis perhorrescentes. Variorum Authorum, de funestâ hâc in aquis morte testimonia. Duplici de causa in aquis mori miserum; Tum, quia anima suffocari credebatur; Tum etiam quia corpus à piscibus devoratum, animam superstitem non sinebat. Instantaneæ corporum destructiones secundum* Stoïcorum *placita, omnium mortium funestissimæ.* Macrobii *de vocibus* Δέμας, *&* Σῶμα *observatio.* Romani *corpora comburentes; & quare?* Deę *in fabulis*, Heroum *corpora comburentes*,

tes, & Sic immortalitatem confe-rentes; Apud Apollodorum & Plutarchum. *Vanæ* gentilium *opi-niones, de celerrima cadaverum consumptione in* Synagogam & Ecclesiam, *invectæ.* R. Samuelis, & R. Leonis *superstitio. Locorum, Jes.* 66: 24. & *Job.* 24: 20. Judaïca *detorsio.* Persarum & *Hodiernorum* Græcorum *monstrosae opiniones.* Ægyptii *cadaverum putrefactionem arcentes, narrante,* Herodoto. Rabbi Salomonis Vergidis, & Rabbi Lixmanni *in loca Eccles.* 12: 7. & *Job.* 14: 22. παρερμηνεία. *Concilii* Eliberini *error; frustrà illum excusante, doctissimo* Albaspinæo. Conclusio.

DE modestia nostra te omnino securum esse oportet, qui dubia tua nobis solvenda proponere non vereris; per te enim suspicari licet ex obscuro nostro musæolo lucem, quæ

tenebras Doctioris orbis illustrare, valeat, posse emanare: Sed bene est nostræ tenuitatis conscii agnoscimus Illustrem Leydensium luminum splendorem, novimusque exiguam esse Lampyridum gloriam, quamvis deficientibus syderibus, nonnunquam micare videantur. Miraris igitur cum Doctissimo amico *Stoïcos à Servio* HERCISCUNDOS *dici*, & à nobis hujus nomenclaturæ rationem efflagitas, indaganda est igitur, verum ipsemet Servius illam sponte largitur, ausculta modo: sic ille ad Æneidos l. 3. vers. 67. *Stoïci herciscundi, id est, medium secuti.* Quid in illa explicatione obscurum? nosti scilicet, & tecum docti omnes, *hercium* significare divisionem, & apud Ciceronem lib. 1. de Orat. §. 238. legi: *quibus verbis herciſceri oporteat*, vel *hercium*, aut *erctum fieri oporteat*, ad significandam herciscundæ familiæ, dividendorumve bonorum familiarium rationem: unde in jure lib. 3. cod. titulus 36. *familiæ herciscundæ*, qua

qua actio conceditur hæredi à familię communione difcedere volenti; hercium igitur, erctum dicitur patrimonium dividendum à Gręco ἕρκω *arceo*, vel ἕργω *includo*, quod certis limitibus definiatur, & ab alięnis fecernatur, unique Domino addicatur; quare etiam ἑρκτὴ *carcer* ἕρκος *feptum* quodvis: imo Jupiter *Hercæus*, qui in ædium fepto colebatur, & *penetralis* dicebatur tefte S. Pomp. Fefto de verborum fignif. unde Harpocration, Ἑρκεῖος Ζεὺς ᾧ βωμοὶ ἐντὸς ἕρκους ἐν τῇ βουλῇ ἵδρυνται, τὸν γὰρ περίβολον ἕρκος ἔλεγον. *Hercæus Jupiter, cui altaria intra feptum in curia ftruebant, clauftrum enim hercos dicebant.* Verum enimvero quid Stoïcis commune cum clauftro, fepto, aut hercio, ut hercifcundi nuncupentur, & medium fecuti dicantur? hic nodus, fed Gordius non eft, & abfque Alexandri, aut ferri opera folvitur. Septum\ clauftrumve fuis circumdatur cancellis, & in eorum medio conftituitur; fic Stoïci medium tene-
 bant

bant inter cæteros philoſophos, eorumque ſententia circa ſtatum animorum corporibus exutorum, oppoſitis Epicureorum, & Platonicorum ſententiis, non ſecus ac quibuſdam cancellis utrinque coercebatur, atque hac ratione medium inter illos tenebant, unaque illos etiam dividebant, ut merito *herciſcundi* dicerentur: quod ipſa luce meridiana clarius patebit, ſi obſervaveris Servium revera agere de anima hujus vitæ limites tranſgreſſa, quandoquidem agit de Polydoro à Polymneſtore Tyranno Thraciç immaniter trucidato, & potiùs telis obruto, quam rite tumulato, unde frondentia tela cruorem emittebant, dum violenter evellebantur; quare Poëta:

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus.......
Et .... animamque ſepulchro
Condidimus.

Quod Servius explicat obſervando

ex 6. Æneid. *insepultorum animas vagas esse*, unde querelę Patrocli ad Achillem quod inferorum aditu arcebatur, quia nondum sepulturę honoribus fuerat donatus apud Homerum Iliad. ψ. vers. 69. additque Servius de Polydoro: *Hinc constat non legitime sepultum fuisse: rite ergo reddita legitima sepultura, redit anima ad quietem sepulchri*, adverte nunc animum sodes: *quam Stoïci herciscundi id est medium secuti tamdiu durare dicunt, quamdiu durat, & corpus*; & sane si quid unquam clarum fuit, clarum est Stoïcos dici *herciscundos*, & medium secutos, quod tamdiu durare animam docerent, quamdiu durat & corpus; superest itaque ut probemus sententiam illam inter receptas philosophorum sententias mediam esse; quod nullo negotio peragetur, nam melior philosophorum pars animarum immortalitatem propugnavit, ut Laertius l. 1: v. 8. Cic de Senect. Thales, Pythagoras, Alcmęon, Pherecy-

des, Plato in operibus passim, & imprimis ejus præceptor Socrates qui *animos hominum esse divinos, iisque cum è corpore excessissent, reditum ad cœlum patere*, constanter docuit, referente cum debitis laudibus, & suo calculo comprobante Cicerone de amicitia: Contra Epicurus cum suo grege mortales esse animas, & cum corporibus interire audacter asseruit; unde Lucretius Epicureus lib. 3.

... Ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus;
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.

Sic Plinius lib. 7. c. 55. pro hac impia doctrina etiam militans: *Omnibus* (inquit) *à suprema die, eadem quæ ante primam; nec magis à morte sensus ullus, aut corpori, aut animæ,* quam

quam ante natalem. Et Epicurei igitur, & Platonici ex caftris directe oppofitis inter fe acriter dimicabant, hique animæ immortalitatem tuebantur, illi pro mortalitate ejufdem ftabant; at Stoïci neque mortalitatem animæ, neque immortalitatem amplectebantur, verum compofitam ex utraque longævitatem, quafi medium fecuti docebant: ita Zeno apud Laertium lib. 7. vult animam, μετὰ θάνατον ἐπιμένειν, φθαρτὴν δ' εἶναι, *poft mortem quidem permanere, corruptibilem tamen effe:* unde Cicero 1. Tufcul. quæft. §. 77. *Stoïci ufuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus, diu manfuros ajunt animos, femper negant,* & paulo poft: *animos manere è corpore cùm exceſſerint fed non femper,* &c. quamobrem incautioribus ad Socraticorum partes non raro acccdere Stoici videntur, ut Seneca epift. 102. *per has mortalis ævi moras, illi meliori vitæ, longiorique proluditur* &c. Et *intrepidus horam illam decretoriam pro-*

ſpice, non eſt animo ſuprema ſed corpori &c. Et *dies iſte quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt &c.* alias contra ipſiſſimum Epicurum diceres, ut de conſol. ad Marciam cap. 19. *mors nec bonum, nec malum eſt, id enim poteſt aut malum, aut bonum eſſe, quod aliquid eſt: quod vero ipſum nihil eſt, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit* &c. attamen ſuę ſectę ſemitis conſtanter inſiſtit, & medius inter animarum immortalitatem, & mortalitatem corpoream, ab hac illas immunes vendicat, meliorem, longiorem vitam concedit, non autem æternam, niſi quatenus æternitatis natalitium diem vocat, illum quo æterno ſuo principio anima reſtituitur: ſecundum hæc ejuſdem verba conſol. ad Marciam cap. 26. *nos quoque felices animæ, & aeterna ſortitæ, cum Deo viſum erit iterum iſta moliri, labentibus cunctis, & ipſæ parva ruinae ingentis acceſſio, in antiqua elementa ve-*

vertemur &c. itaque quemadmodum epist. 24. vult *homines quotidie mori, vitamque etiam dum crescunt, decrescere, sic functos hac vita animos suam etiam pati mortem, quae fines suos, ut corpora tandem assequitur, ut totus homo in pristinum nihil, vel in illam tranquillitatem in qua antequam nasceretur jacebat, reponatur,* ut ipse loqui amat in eadem consolatione ad Marciam. Quin medium etiam aliud inter cæteros Philosophos sequebantur Stoici, quandoquidem Philosophi cæteri eandem animarum humanarum conditionem, & cunctas esse immortales illi, hi vero mortales statuebant; sed Stoici sapientum animas à vulgaribus discriminabant; nosti enim Numenium eorum placitis convenienter loquentem in Eusebio observare: *animas* τῶν μὲν σπουδαίων, μέχρι τῆς εἰς πῦρ ἀναλύσεως τῶν πάντων, τῶν δὲ ἀφρόνων πρὸς ποσούς τινὰς χρόνους, *sapientum quidem usque ad rerum omnium conflagrationem, stultorum ad breve*

 ali-

aliquod tempus: hinc modo Seneca, dicebat, *fœlices animas, aeterna sortitas*; æternitatem vocans vitam ad rerum omnium ultimum terminum permanentem, & Zeno Ἥρωας, τῶν σπουδαίων ψυχὰς, τὰς ἀπολελειμμένας, *Heroas esse animas sapientum corporibus solutas*, testatur; apud Laertium in ejus vita. Addam etiam genus lethi secundum Stoïcos contrahere, aut producere animarum longęvitatem, ita ut hæc sententia eos in quoddam medium præterea constituat, & modo ad Epicureos, modo ad Socraticos accedere faciat: nempe existimabant animam esse flatum quendam corporeum, unde ad eos accedens Varro dicebat apud Lactantium de opific. cap. 17. *Anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus*: sic Zeno apud Laertium in ejus vita docet animam, εἶναι τὸ συμφυὲς ἡμῖν πνεῦμα, διὸ καὶ σῶμα εἶναι. *Ingenitum flatum esse, ideoque & corpus*: Jamvero quia flatus violen-

lenta obftructione interceptus fuffocatur, & corpus gravi mole oppreffum atteritur, fic voluerunt Stoici animam cum corpore opprimi & fuffocari illico poffe: quare de Stoicis Seneca epift. 57. *exiftimant animam hominis magno pondere extriti* * *permeare non poffe, & ftatim fpargi, quia non fuerit ei exitus liber*, ad quam fententiam alludens Statius lib. 6. Thebaid verf. 778. dicit de homine ingentis montis ruina oppreffo:

Indignantem animam propriis non
reddidit aftris.

Propria aftra dicit, quia ut Scipio apud Ciceronem in ejus fomnio, Stoice agens docet, hominibus *animus datus eft ex illis fempiternis ignibus, quae fydera & ftellas vocatis*, iis propterea etiam reddi debet anima, ut vera vita fruatur, quemadmodum ibidem videre eft: contra favent bufta,

* Lipfius *legit permanere aut permanare.*

In-

Ingentemque animam rapiunt ad
ſydera flammae,

ut de Hercule cantat Silius Italic. lib. 3. ſcilicet Stoici inſuper animum ignem eſſe dixerunt, Zeno, Antipater & Poſidonius docent (inquit Diog. Laertius lib. 7.) πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχήν, *ſpiritum calidum eſſe animam*: unde Cicero 1. Tuſcul. §. 19. *Zenoni Stoïco animus ignis videtur:* quapropter obrui aut ſuffocari non tantum fatale, ſed aquis ſubmergi imprimis funeſtiſſimum duxerunt, qui eorum præceptis fuerunt imbuti, quod ad variorum auctorum loca intelligenda pandit viam; ſic non mirum eſt ſcribere Homerum Odyſſ. δ. verſ. 511. de Ajace:

ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.

Periit poſtquam bibit ſalſam aquam.

Non dicit ſimpliciter obiiſſe, ſed periiſſe, quia in aquis igneam animam miſere egit; τὸν ἐν θαλάττῃ ἀποσβεσθέντα ἀπο-

ἀπώλειαν εἶναι πληρέστατον· οὐδένα γοῦν ἄλλον ἐξαπολωλέναι φησὶν, ἀλλ' ἕκαστος ἀποθνήσκειν. *Lethum in mari summum omnium exitium esse significans, sane nullum alium periisse ait, sed unus quisque mortuus dicitur* inquit epist. 4. ad Nicandrum Synesius atroci similis periculi imagine adhuc perterritus; quin & prudenter observat, in inferis, cum à pluribus Heroibus lustrantur, non occurrere animam Ajacis, quod penitus extincta videatur; & Achillem licet φιλοκινδυνότατον mortem in aquis perhorrescere, illamque vocare perniciosissimam? Sane Il. φ. cum fluctibus diu luctatus despondet animum, & votis cœlum lacessens quidvis pati exitiosâ morte offert modo eripiatur λευγαλέῳ θανάτῳ cujus horrore exanimabatur. Tom. 2. Poëtarum Grecorum pag. 198. Maximus Margunius hymno 4. queritur sibi imminere *mortem luctuosam*, *prae caeteris*, *marinam*, ipse Heraclitus apud Philonem de mundi incorruptibilitate, & Clementem Alexand. ab illorum

sen-

ſententia non recedit ſcribens: ψυχῇσι θάνατος ὕδωρ γενέσθαι, ὕδατι δὲ θάνατος γῆν γενέσθαι, *quod animarum mors eſt aquam fieri, aquae autem mors terram fieri.* Denique Servius noſter ad Æneid. 1. verſ 95 obſervat Æneam præſenti naufragio exterritum ingemuiſſe: *non propter mortem* inquit, *ſed propter mortis genus: grave enim eſt, ſecundum Homerum perire naufragio, quia anima ignea eſt, & extingui videtur in mari, id eſt elemento contrario; ut igneus eſt ollis vigor &c.* ad illas à natura animæ petitas rationes quæ mortem efficiunt perniciosiorem accedit alia ex ipſius corporis caſu orta ſecundum eoſdem Stoicos: quandoquidem ex Servio audivimus eoſdem docuiſſe, *animas tamdiu durare quamdiu durat & corpus*; ſic duplici de cauſa in aquis mori miſerum, quia & anima ſuffocari credebatur, & corpus à piſcibus devoratum, iiſque in eſcam cedens animam manere ſuperſtitem non ſinebat. Quamobrem funeſtiſſimæ omnium mortes, ſecundum

Stoi-

Stoicorum placita, quæ instantanea corporum destructione residuam animarum vitam perdere credebantur; & idcirco rursus *herciscundi* & medium secuti merentur dici; incedunt enim medii inter eos qui animas demum vivere arbitrantur, cum liberę à corporibus exutis vitam cœlestem auspicantnr, & alios existimantes officere animarum tranquillitati diuturniorem cadaverum conservationem, eamque esse indubitatum miseri interitus argumentum, *ii vivunt*, inquit Africanus in somnio Scipionis, *qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere evolaverunt; vestra vero, quæ dicitur vita mors est:* ad quæ verba Macrobius lib. 1. §. 11. optime observat corpus revera dici δέμας quasi *vinculum*, & σῶμα quasi σῆμα *sepulchrum:* sic alii voluerunt, quod τὸ ζῆν ἐστὶ κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν, *vivere est mori, mori vero vivere*, ut quamvis dubitanter loquitur Euripides apud Stobęum serm. 120. contra multi tenuerunt vin-

vincula animarum morte quidem luxari, ſed omnino non diſſolui, & quamdiu corpora manent iis quodammodo obnoxia permanere animas, & à perfecta ſua felicitate arceri, quare Romani exiſtimantes conducere animabus celerrimam corporum deſtructionem ea illico comburebant, *ut ſtatim* (inquit Servius ad 3. Æneid.) *anima in generalitatem, id eſt ſuam rediret naturam.* Unde & hac eadem ratione Deę in fabulis conferunt immortalitatem; Ceres enim apud Apollodorum lib. 1. Deiphontem in ignem conjicit, & ſenſim περιήρει τὰς θνητὰς σαρκὰς αὐτοῦ, *mortales adimit carnes*, ut in immortalium album referat: & lib. 3. Thetis ſuſceptum è Peleo Achillem æternitati ſimiliter volens conſecrare, igne ἔφθειρεν ὃ αὐτοῦ θνητὸν πατρῷον, *quidquid paternæ mortalitatis in eo erat, conſumere ſatagebat*; cum à patre propoſiti inſcio impedita eſt; imo apud Plutarchum Iſis puero regio immortalitatem aggreditur conferre, ſed re-

regina videns ipfum ardere, clamore fuo turbavit opus, effecitque, ut eventu caruerit, de Ifide & Ofiride p. 357. Stoici igitur inter hos, & illos medii, vere in corporibus vivere animas, & poft corpora exuta quamdam cum ipfis eas confervare focietatem, quæ tantum abeft ut officeret, proderat contra ad illas fuftentandas quo tamdiu durarent, quamdiu corpora, arbitrabantur, quafi utrique æqualis temporis ufura foret conceffa, & partem vitæ quam conjunctim tranfigere mors impediverat, faltem feparatim deberent perficere, non fecus ac quidam ajebant animas *immatura morte præventas eoufque vagari ifthic donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum pervixiffent, fi non intempeftivè obiiffent*, apud Tertullianum de anima cap. 56. Hæc & cetera gentium in denfis errorum tenebris degentium circa mortuos dogmata tibi notiffima funt, fed nefcio an obfervaveris vanas illas de celerrimæ cadaverum confumptionis utili-

tate opiniones in Synagogam & Ecclesiam irrepsisse; audi igitur R. Samuelem Ha-cohen Pisanum in ejus Tsophnach Pagneach cap. 14. כאשר
שב בשר הכת לעפר טהור הוא ונמהל
עונו: ואם בשרו לא כלתה ולא שבה
לעפר זה יהיה כי בחטאו כת בלי תשובה.
quando revertitur caro mortui in pulverem, ipse purus est, illiusque iniquitas expiata fuit, si autem ejus caro non consumitur, neque revertitur in pulverem, indicium est eum in peccato suo, & absque pœnitentia periisse. Egregia cognoscendae mortuorum beatitudinis, vel exitii ratio, meritò comparanda cum Persarum idololatrarum superstitione, qui defunctorum suorum cadavera corvis devoranda exponentes de eorum beatitudine securi sunt, cum ab oculo dextro incipiunt, miseros vero, si à sinistro arbitrantur, Tavernier lib. 4. cap 8. itinerum Persiæ. Suam autem confirmare sententiam satagit, vermibus illis perpetuis quibus cadavera impiorum obnoxia leguntur, Esa.

Esa. 66: 24. & Job. 24: 20. permansurasque illorum carnes in æternum arbitratur, ut escam sempiternam his vermibus valeant suppeditare: nec solus ita sentit, sed suæ sententiæ celeberrimum R. Leonem Mutinensem adstipulatum refert. Discimus etiam ex Agathia in historia Justiniani lib. 2. ab ea sententia non fuisse alienos Persas, refert enim eos mortuorum suorum cadavera exponere feris, & avibus, atque existimare illos impios quorum cadavera diu intacta manent. Sic Greçi hodierni in sepulchris non consumi facinorosorum & imprimis excommunicatorum cadavera, sed manere integra, iisque uti solere dęmones ad terrendos, & variis injuriis afficiendos homines existimant: talia autem spectra *Bulcolaccas* vel *Buthrolaccas* barbarè dicunt, adduntque precibus, & à peccatis absolutione cadavera illa in cineres illico redigi, teste Christophoro Angelo de hodierno Greçiæ statu cap. 25. & Georgio Fhelavio Dantiscano ejus commen-

mentatore. O infelices Ægyptii qui tanta arte, & cura, atque ſumptibus à cadaveribus putrefactionem arcebant, ut videre eſt apud Herodotum lib. 2. §. 86. & ſequentibus! ſed in contraria erant ſententia, & de animarum immortalitate perſuaſi ut idem Herodotus eodem lib. §. 123. eandem corporibus impertire conabantur, ut conditionem animarum ſequerentur, non è contra, ut Stoicis placebat: Denique non ſolis gentibus à Dei cognitione alienis placuit ſepulturam animarum felicitati prodeſſe, animaſque à corporibus ſolutas nonnullam cum ipſis aliquamdiu conſervare ſocietatem; quemadmodum colligere licet ex R. Salomone Vergide ſcribente in ſcevet Jehuda ſect. 41. קבלנו שהנשמה אינה חוזרת למקומו אשר בשמים עד שיקבר הגוף שכן אמר שלמה וישיב העפר אל הארץ וגומ׳. *Traditione accepimus animas cœleſtem ſuam ſedem non repetere antequam earum corpora fuerint ſepulta, convenienter his Salomonis verbis*

bis Ecclef. 12: 7. *redibit pulvis in terram ficut fuerat, fpiritus vero redibit ad Dominum.* Scilicet ex eo quod prius dicitur reverfurum in terram corpus prolixe contendit probare, tum demum eo in terram reverfo cœlum petere animam. & interea circa corpus verfari, rerumque terreftrium quandam habere notitiam: in eadem eft fententia infenfiffimus Chriftianę veritatis R. Lipman in virulento fuo Nitfachon fectione 8. de Samuele à Pytoniffa evocato agens, fcribit enim: ר"זל ר"ל שבתזך יב חדש סמוך למיתתו היה שהנשמה חוזרת ושוכבת אצל הגוף ומתאבלת עליו כמו איוב ונפשו וגומ. *Rabini noftri, quorum memoria in benedictionem, dicentes quod intra duodecimum à morte menfem anima verfatur & habitat juxta corpus, ipfum lugens; unde apud Jobum* 14: 22. *animus ejus fuper ipfum luget &c.* Cave ne indigneris has opiniones ex gentium fabulis in dogmata Judęorum admiffa fuiffe; vix enim, ac ne vix quidem fanctiffi-

 ma

ma Ecclesiæ antiquę adyta ipsas omnino valuerunt propulsare, unde hic Canon. 34. Concilii Eliberini ipso Nicæno primo antiquioris: *Cereos per diem placuit in Cœmiterio non incendi, inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt: qui hæc non observaverint arceantur ab Ecclesiæ communione.* Nec potuit ab illo errore hoc Concilium absolvere Doctiss. Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in notis quibus illud illustravit, sed communione sententiæ cum Tertulliano, S. Cypriano, & patribus ea ætate florentibns excusare conatus est, & ex eo quod Apoc. 6:9. *subtus altare* animæ martyrum repræsentantur expectantes futuram de persecutoribus ultionem: eas sub altaribus in quibus eorum reliquiæ asservabantur tunc degisse, probabile visum antiquis illis patribus arbitratur. Quidquid sit, valeant nunc Stoïci, & toties herciscundi seu medium secuti, tandem de medio recedant, nec inter nos dissidium faciant, quam enim

de

de illis exposui sententiam tuo judicio libenter submitto. Vale, & me totum tuum amare perge.

STEPHANI MORINI DISSERTATIO VI.

DOMINO DES YVETEAUX SACRI REGIS CONSISTORII CONSILIARIO Ac Libellorum Supplicum Magistro.

DISSERTATIO VI.

De Divortiis & eorum usu.

ARGUMENTUM.

Quæstionis difficultas & Momentum. Scribendi occasio. Vinculum matrimonii, *ex suâ natura, & ex intentione Dei indissolubile; De facto autem dissolvitur hominum scelere, & effrænatâ libidine. Legis conniventis toleran-*

tia; *Deut.* 24: 1. *Levissimæ* divortii *causæ*, *secundum* Hillelem *&* Akibam Pharisæorum *argutiæ*, *&* Christi *incomparabilis sapientia*. *Solum* adulterium, *vera & unica causa uxorem dimittendi*. *Locus Matth.* 19: 3-9. *quoad scopum & intentionem* Christi *explicatus*. Josephus *Historicus uxorem repudians*, Μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσι. Divortium *apud* Hebræos כריתות, *Abscissio*. *Mens Apostoli* Pauli *in loco*, 1 *Cor*. 7: 15 *aperitur*. Ἀποπομπὴ, *&* Ἀπόλειψις; *quomodò distinguantur? Apud* Græcos; *viri erat*, Ἀποπέμπειν τὴν γυναῖκα; *& uxoris* Ἀπολείπειν τὸν ἄνδρα; *Observante* Petito. *Formula libelli* Ἀποπομπῆς, *apud* Manasseh Ben Israel; הרי מתגורש ממני והרי את מותרת לכול אדם. *Uxores suos viros repudiantes*. Παρεκτὸς λόγου πορνείας; *quid sibi velit*, *in loco*, *Matth.* 5: 32. ערות דבר, *impudicum negotium*; *juxta* Tertullianum. *Adulteria manifesta*, *morte punita*; *sed clandestina*, *dimissi-*

missione & Divortio; *quod exemplo* Josephi *innuitur*, *Matth.* 1:19. Divortia *absque adulterio*, *sub Euangelio*, *illicita*; *sed intercedente adulterio*, *licita*; *quod &* Tertulliani, Lactantii, *&* Theodoreti *Testimoniis confirmatur.* *Quæritur*, *an verba* Christi *præcepti formam habeant*; *an verò tantum licentiam concedant*, *uxorem adulteram dimittendi?* *pro absolutâ adulteram dimittendi necessitate*, *dimicantes* Theodoretus, Hieronymus *&* Hilarius. *Accedunt Sanctiones juris canonici*, *& concilii* Eliberini. *Huic necessitati consonans lex* Attica, *apud* Demosthenem; *suffragantibus* Imperatorum Romanorum *constitutionibus.* *In mitiorem sententiam inclinantes gravissimi Authores*; Chrysostomus, Basilius, *&* Chromatius. *Adduntur* Varronis, *&* Auli gellii *testimonia.* *Quæstio deciditur*, *distinctione factâ*, *inter Adulteria manifesta*, *& incer-*


ta. Romanę Ecclesię *doctrina, remanere vinculum post divortium legitimum, & non licère disjunctis* divortio *alteras celebrare nuptias primum definita à* Concilio Tridentino. . . *Contraria sententia, nimirum vinculum matrimonii adulterio penitus dirimi, à quibusdam Theologis* Ecclesiæ Romanę *addictis, defensa; Quod tribus testimoniis,* Cajetani, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, Catharini, Archiëpiscopi Compsæ, *&* Magni Erasmi, *confirmatur.* Leo X. Pontifex, *maximus* Erasmi *fautor.* Bellarmini *conatus vetiti. Variorum* Conciliorum *&* Patrum *testimonia, quæ sententiæ* Ecclesiæ Romanæ, *&* Concilii Tridentini, *videntur favere, producuntur, examinantur. Ad hunc ordinem pertinent sanctiones* Concilii Florentini, & Eliberini, *ut &* Libri canonum Apostolorum; *Accedunt testimonia* Hieronymi, Augustini, *&* Hermæ in Libro pasto-

pastoris; *Ad quæ sigillatim respondetur. Sequuntur adversæ partis Authores, tum authoritate, tum rationum pondere antecellentes.* Ambrosii, Origenis, Epiphanii, & Pollentii *assertiones, expressè docentium* vinculum Matrimoniale adulterio dirimi. *Nec inficiantur* Juris Canonici, & Concilii Triburiensis *constitutiones.* Concilii Arelatensis *sanctio, examini subjecta.* Ecclesiæ Romanę, & Concilii Tridentini *sententia, per consequens refutata.* Matrimonia sępius dissoluta *per statuta humana, ob rationes adulterio longè minores, ut Consanguinitatis & affinitatis gradus, in S. Scripturâ nunquam interdictos; Quod ex constitutionibus* Concilii Agathensis, Julii I. Innocentii III. & Gregorii IX. Pontificum, *ostenditur. Exempla hujusmodi solutionum, in* Philippo I. Franciæ *Rege, & uxore* Bertha; *& in* Alphonso IX. Legionis *rege, &*

uxore

uxore Berenguele *producuntur. Hinc colligitur, si statutis humanis matrimonia possunt dirimi, & nova contrahi, multò magis adulteriò, à lege divinâ damnato. Consensus omnium ferè* Ecclesiarum, *una* Romanâ *exceptâ. Mariti & uxoris jus, circa* divortia, *utrunque æquale; Quod variis argumentis evincitur. Objectioni satisfit.* Patrum *Testimonia,* Hieronymi, Augustini, *& Basilii; Consonantibus,* Imperatoris Justiniani constitutione; Græcorum lege Atticâ, *&* Jure Romano. *Accedunt variarum Gentium consuetudines,* Americanorum, Persarum & Indorum. *Conclusio dissertationis, variorum* divortiorum, *& casuum matrimonialium exemplis prolatis.* Anaxandrides, Spartæ *rex à* Divortio *abhorrens.* Romę *per quingentos & viginti annos nulla* divortia *facta; Teste* Aulo Gellio. Flameum *sic dictum à* Flaminica, *id est,* Flaminis *uxore; juxta*

juxta Festum. Bajazethis *ad* Tamerlanem *notabilis vox.* Solonis *&* Draconis *leges, adulteras ad mortem damnantes.* Christiani *à sanguine alieni, & hinc in veniam proclives. Mulier pia &* Christiana, *apud* Justinum Martyrem, *Viro* Ῥεπούδιον δοῦσα ἐχωρίσθη. *Consimiles apud* Tertullianum *&* Hieronymum *Historiæ.* Divortiorum *recentiora exempla, in* Galliâ, Italiâ, Hollandiâ, Scotiâ, Angliâ. Christianorum Imperatorum, Theodosii, Valentiniani, Anastasii, *&* Justiniani *concessiones. Longæ dissertationis venia oratur; & sic finis imponitur.*



VIR AMPLISSIME.

Difficilis, & magni momenti quęstio, quam me decidere vis. Licet enim ad fundamentum fidei non pertineat; ei annectitur, & maxima orbis lumina, ecclesiasque ipsas in partes distraxit olim, hodieque etiam pergit

git distrahere, quin non contentus scire, quid de divortiis judicem, requiris insuper, ut eorum jus, & usum una exponam, cum sententiis patrum, exemplisque ab historicis relatis, quod sine accuratissimo examine non potest præstari.

Verum ad superandum hunc laborem non leviter incitas tuo gravissimo suffragio, quo expositionem verborum Christi Matth 19:9. in nobilissimo Consessu, ubi quæstio illa de divortiis obiter agitari cœpta est, à me propositam munivisti; generose enim in omnium conspectu declarasti tibi in iis videri manifestissimum, quod pręter adulteria nulla causa esset, quę divortia legitima efficeret, jusque novarum nuptiarum concederet; sed adulteria ita dirimerent matrimonium, ut pars lęsa & innocens jure aliud contrahere posset; quamobrem nihil plenissimum tuum assensum cohibebat præter devotum ecclesiæ tuę obsequium, quæ mentem Christi aliter exposuisse creditur:

ditur: æquum enim est, ut tuum in me favorem tuear, demonstremque Romanam Ecclesiam adversę quidem sententię suffragari, nostram tamen non ita adversari, quin ei addictos toleret, & amplecti gaudeat; idque merito cum plurimi sunt, ac Spectatissimi, sacroque matrimonii vinculo totum suum decus vendicent.

Revera arctissimum, & ex se indissolubile tenent sacri matrimonii vinculum, utpote quod conjugatos in unam eandemque carnem coalescere faciat Genes. 2: 24. & Matth. 19: 5. quod Deus ipse matrimonii auctor innuere etiam visus est, cum primam uxorem ex Adami primi mariti latere avulsit, & conjugio restituit; ea enim quæ vi aliqua à se invicem divulsa sunt restitui integrum amant, & redintegrata glutine quodam indissolubili adstringi consueverunt.

Verum enimvero vinculum illud indissolubile jure, ex sua natura, &

ex

ex intentione Dei secundum hęc oracula: *quod Deus conjunxit homo non separet* Matth. 19:6. *Maritata mulier viro viventi devincta est per legem, quod si mortuus fuerit liberata est à lege viri; proinde vivente viro moecha vocabitur, si fiat alterius viri.* Rom. 7:2. & Luc. 16:18. & Marc. 10:11. ubi adulter dicitur quisquis dimissa propria uxore alteram ducit: fit de facto dissolubile hominum scelere, & effrænata libidine; ita ut scelus, & libido vices suppleant mortis, quae sola probe divortium facit, & omne jus matrimonii solvit, unde Lyranus in Rom. 7. docet *uxorem marito resurgenti obsequium non debere*, & Christus matrimoniorum jura resurrectione abolenda testatur Matth. 22:30. & Tertullianus *tam repudio matrimonium*, dirimi, *quam morte* de Monog. c. 9.

Scelus ab effrænata libidine distinguo, & hac intelligo σκληροκαρδίαν propter quam Christus declarat Matth. 19:8. Mosem concessisse Israelitis

litis olim divortia, non illa probans, ſed modum contumacibus, & violentis eorum paſſionibus ponens, ne ſummo ſtrictoque jure eas coercendo irritaret, atque in horrenda vitia præcipites agerentur; ſic divortia toleravit, ut prudens politiæ rector ad tempus, non vero ut conſtans morum ſanctiſſimorum director; hoc vero *ſcelere* adulteria intelligo quæ inter conjugatos gangrenæ inſtar ſerpentia reum tanta labe inficiunt, ut putreſcens labaſcat, laxetque vincula conjugii, & liberam relinquat partem innocentem. Nemo poteſt revocare in dubium ſub lege, & inter Judæos, illa libidinoſa viguiſſe divortia, & legis conniventis tolerantia Deut. 24: 1. non tam legitimata (ut ſic loquar) quam excuſata; unde multis rationibus ipſa lege coercentur: nam 1. requiritur ut immiſericors ſit maritus & gratię expertem ſe prodat, 2. ut uxor fœdum quid commiſerit, 3. ut omnis reconciliationis ſpes abrumpatur, 4.

denique declaratur iis pollutionem fœdam contrahi: nihilominus adeo licenter iis usi sunt Judæi, ut levissimæ causæ suffecerint, *cibus nempe nimis coctus* secundum Hillelem, vel *cum formosior uxor potest haberi*, secundum Akibam, vel κατὰ αἰτίαν πᾶσαν, *ob quamcumque causam*, ut loquuntur Pharisęi, Matth. 19. vers. 3. exacte autem loquuntur, ut Christum illaquearent, & incautum adigerent ad damnanda divortia contra legem; aut saltem eorum licentiam contra magistrorum placita; aut ad illa probanda quod ęquioribus displicuisset: sed sapientia sua incomparabili illorum argutias dissolvit, legem ab omnis culpæ suspicione vindicando, & totam divortiorum labem ab eorum perversitate derivando, qui legis clementia abutentes sibi laxabant habenas, cùm retinere debuissent, ut Deo patienter ferenti eorum infirmitatem, donec corrigeretur, morem gererent, eamque sensim satagerent corrigere; qua-

quapropter, & pravas eorum consuetudines, & stulta sapientum suorum placita damnat; declaratque iniqua esse divortia, nisi ob adulteria fiant, solaque adulteria conjugalem societatem dirimere & parti laesae jus concedere novum matrimonium contrahendi, *Dico autem vobis: quicunque dimiserit uxorem suam*, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *nisi ob scortationem, & aliam duxerit, eum mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchari*: ut sensus manifeste pateat, conferatur haec responsio cum quaestione; quaerunt Pharisaei an ob quamvis rationem liceat dimittere uxorem, ut tunc mos erat eis, unde Josephus historicus vir sapiens propriam uxorem, ex qua tres susceperat liberos, testatur in vita sua repudiasse, μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσιν, *quia ejus moribus non delectabatur*, & aliam postea duxisse, quæ ipsi duos peperit liberos: & agitur de dimissione ad alterum matrimonium præparatoria; respondet autem Chri-

ſtus non quidem licere ob omnem causam, ſed neque ob nullam; verum ob unam ſolam, nempe adulterium; & conſequenter ob adulterium licet dimittere uxorem; & alteram ducere. Præterea excepta ſola ſcortatione, inquit Chriſtus, non licet uxorem dimittere, & alteram ducere, igitur poſita ſcortatione, & uxorem adulteram dimittere, & alteram ducere licet, exceptio enim regulam firmat, & cum ſola ſcortatio excipiatur, à vitiis quorum vim ſuperat individua conjugii *ſocietas*, colligitur illam hujus ſocietatis eſſe diſſolutionem, & quoddam exitium; mirum autem videri non debet vinculum illud fornicatione diſſolvi, cum ſit duorum tantum ex *inſtitutione divina* uno enim tertio intercedente unio duorum abrumpitur, quod confirmatur 1 Cor. 7: 15. ubi Apoſtolus poſtquam hortatus fuiſſet uxorem fidelem ad debita viro ſuo, licet infideli, officia reddenda, *ipſi* demum concedit abſolutam liberta-

tem

tem, si infidelis se separet: *si infidelis se separet, separatus esto, non enim servituti subjectus frater, aut soror in his* casibus: ubi desertio unius conjugum, & officii conjugalis prætermissio dicitur *separatio* pro more etiam Ebræorum, qui divortium vocant כריתות *abscissionem*, quod vinculum matrimonii abrumpat & scindat.

Observanda autem duplicis divortii distinctio in his Pauli, & Christi verbis, quæ utrumque probant: nempe unum quod ἀποπομπῇ *ejectione* solemni fiebat, de quo Christus, & alterum quod ἀπόλειψις *derelictio* simplex dici debet, & proponitur ab Apostolo: utrumque autem probatur, & utroque novum matrimonium contrahere jus viro, & uxori æqualiter concedi videtur. paulo aliter hac distinctione usi Græci, quibus viri erat, ἀποπέμπειν τὴν γυναῖκα, & uxoris ἀπολείπειν τὸν ἄνδρα, nam ut optime S. Petitus in leges Attic. l. 6. Tit. 3. uxor nupta domum mariti

deducebatur, neque poterat eum ex ſuis ædibus ejicere, quarum domina non erat: at poterat eum relinquere, & ab ejus ędibus recedere: contra ipſe in iis remanens illam ejiciebat: verum Lex Divina jus divortium faciendi uxoribus ſecundum Judęos non dabat, & in divortiis merè paſſivè ſe habebant, ejiciebantur ſolemniter, aut ſimpliciter relinquebantur ſuo juri; quin ſunt qui volunt ἀπολείψεως cauſa non licuiſſe mulieribus Judaïcis alteri nubere, & ἀποπομπῆς libellum ad id eſſe neceſſarium; *libellus* à ſapiente coram duobus teſtibus nulla conſanguinitate conjugatos attingentibus ſcribendus continere debuit expreſſe hęc verba הרי כגורשת ממני והרי את מותרת לכל אדם. *Repudiata es à me, & nunc libera & cuivis viro conceſſa,* ſive propria verba eorum lingua vulgari expreſſa referam: *Seras quite de mi dragora, è licita para qualquer homem,* ut videre eſt apud Manaſſeh ben Iſrael Theſ. dos dinim part. ult. trat. 2. cap.

cap. 42. da repudiada. non constanter tamen id observatum, & Judæi inter gentes commorantes; eorum moribus sępe se accommodarunt hinc uxores etiam suos viros repudiarunt, ut Solome Herodis soror Costobaro marito misit, γραμμάτιον ἀπολυομένη τὸν γάμον, οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίους νόμους: ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ' ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος, *Libellum, quo matrimonium dirimebat non convenienter Judaïcis Legibus; inter nos enim hoc viro conceditur, mulieribus vero ne dimissis quidem fas est nubere, nisi prioris viri permissu* &c. inquit Josephus Antq. l. 15. c. 11. & cap. 7. l. 18. Herodias post susceptam ex Herode viro suo filiam, ejus fratri nupsit, eo etiamnum superstite, patrios ritus contemnens; unde in reprehensionem Joannis Baptistę incurrit, eamque ejus cæde ulta est Marc. 6:18. & Matth. 14:8. dupliciter scilicet ea 1. quia fratri mariti nupsit

contra Legem Levit. 18:16. 2. quia divortii libellum marito contra Legem dedit, quod inconcessum mulieribus; Sed ut jam monui induere cœperant mores gentium ipsis imperantium Judæis, quod in legitimis divortiis tolerandum fuisset, cum ad politiam videantur pertinere; unde ipse Apostolus visus est concedere omnimodam libertatem alteri viro nubendi mulieri à viro infideli derelictæ, saltem secundum auctorem Commentarii in 1. Cor. 7:15. qui S. Ambrosio vulgo tribuitur, & inter ejus opera habetur, nam ex libertate quam ipsi tribuit Paulus infert: *quod si infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere legis suæ viro &c.* quamvis id à moribus Judæorum abhorreret; Sed verisimile est suppofuisse derelictam à viro infideli uxorem, quo alteram duceret, & tunc patrabitur adulterium, & penitus revera solvetur matrimonium, ut ex scriptura probavimus, confirmarique potest Matth.

5.

5: 32. ubi declarat Christus: quod *qui dimiserit uxorem suam* παρεκτὸς λόγου πορνείας *extra rationem scortationis, facit, ut ea mœchetur; Et eum qui dimissam duxerit etiam mœchari;* quia remanet vinculum matrimonii absque adulterio à quo dumtaxat resoluitur; quin eadem potuit esse mens legis, & ad eam revocasse Judęos Christum, cum Deut. 24: 1. requirat ad dandum libellum repudii uxori, ut in ea inveniatur ערות דבר *res fœda*, sive ut exponit Tertullianus l. 4. adversf. Marc. c. 34. *impudicum negotium:* neque immerito, cum S. Scriptura soleat ערוה *nuditatem* vocare, obscuritates fornicationum, & ipsi Rabini eod. hoc vocabulo ad significandos incestus utantur; Licet enim Lege Levit 20: 10. adulteri mortem luerent, & repudia in iis locum non habuisse videantur; attamen sola adulteria manifesta & ad judices delata sic puniri potuerunt, clandestina autem, & requisitis probationibus

bus destituta divortium pro pœna habuerunt; præcipue cum amici communes, aut arbitri humaniores illorum examini praesidebant, cum marito penes quem summum in his privatis judiciis arbitrium fuit: sic secundum hanc conjecturam mors soluit conjugia adulteriis notissimis, & coram judicibus probatis violata, at dederunt divortia, cum ignotiora erant illa adulteria, & reos in *judicium* non vocabat pars laesa, sed supprimebat & argumenta & testes, ut suspicioni dumtaxat firmae inniti viderentur divortia, quod exemplo Josephi innuitur, simulatque enim beatam Virginem sibi desponsatam animadvertit praegnantem esse, & ignoravit id Sancti Spiritus opus esse, apud se statuit eam *clam dimittere*; jure in eam agere potuit, & secundum Legem Deut 22: 24 quae morti desponsatos, sicut conjugatos, violatæ fidei reos addicebat, capitalem sententiam persequi: Sed quia justus justitia illa clementi & benigna quae de

ju-

jure ſuo ſponte dimittit, & judicibus pœnas exigendi officium relinquit, divortium dumtaxat meditabatur, Matth. 1: 19. donec cœlitus admonitus ſuſpicionem pia veneratione propulſavit. Quidquid ſit, conjecturam enim meram propono, non ſententiam propugno; divortia illigitima ſunt, ſub Euangelio, abſque adulteriorum labe conjugio funeſta, nullumque nova contrahendi matrimonia jus conferunt: ut enim optime loco cit. Tertullianus: *manet matrimonium quod non rite diremtum eſt; manente matrimonio nubere adulterium eſt.* Sed ut addit: *ſi conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit, & quod non in totum prohibuit permiſit*; conſequenter quod ſub conditione adulterii permiſſum eſt divortium dirimit matrimonium, & nubere concedit. Sic Lactantius Divin. inſtit. epit. c. 8. adulterio dirimi matrimonium docet his verbis: *ideo præcepit non dimitti uxorem niſi adul-*

adulterii crimine devictam, ut nunquam conjugalis fœderis vinculum nisi ruperit, resolvatur. & Theodoretus Græc. affect. cur. serm. 9. μίαν δὲ μόνην ἀφορμὴν διαλύσεως ἔδωκε τὴν ἀληθῶς διασπῶσαν τὴν ζεύγλην *solui matrimonium vetat, unam vero hujus dirimendi causam assignavit eam, quæ maritalem copulam vere divellit: omnis enim ait qui dimittit uxorem, excepta fornicationis causa facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat; idcirco cætera uxoris vitia ferri jubet, seu loquax sit illa, seu temulenta, seu convitiosa:* εἰ δὲ τοῦ γάμου παραλύσοι τοὺς νόμους, καὶ πρὸς ἕτερον ἴδοι τηνικαῦτα λύειν κελεύει τὴν ζεύγλην. *Sin vero nuptiarum Leges transiliat, in aliumque procax intendat, tunc demum copulam solui jubet.*

Observandum usque quo S. Theodoreti sententia procedat. vult à Christo jussum adulterio matrimonium solui; licet autem dubitare an id ita sit, cum verba Christi præcepti formam non habeant, & licenti-

tiam dumtaxat dimittendi uxorem concedere videantur. Judæi teste R. Leone Mutinensi degli rit. Ebr. part. 4. c. 6. coguntur uxores adulteras dimittere, velint, nolint; S. Hieronymus non abfuit ab eorum sententia scribit enim in Matth. 19. *Sola fornicatio est, quæ uxoris vincat affectum: imo cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura: qui adulteram tenet stultus, & impius est.* Hæc autem verba quæ ex S Scriptura refert, ex Proverb. 18:22. mutuatur secundum versionem Græcam, Arabicam, & Latinam, in textu Ebræo autem nihil tale; sed cùm authentica Concilio Tridentino declaretur vulgata, huic sententiæ tenentur acquiescere Pontificii; Auctor Commentarii imperfecti in Matth. qui inter opera S. Chrysostomi, eandem illam sententiam refert, eique innititur; *Fatuus & injustus*

justus qui retinet meretricem; nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris: imitatores ergo debemus esse Dei, ut sicut ille agit cum Ecclesia, sic nos agamus cum conjuge: ille enim nunquam derelinquet populum, nisi ad gentilitatem vel ad hæresin voluntarie transierit, alias autem peccantem castigat, si dereliquerint filii ejus legem &c. Ps. 88. *sic & vir meretricem quidem dimittat, alias autem male morigeratam castiget, & teneat &c.* Sic in jure canonico caus. 32. q. 1. can. 4. *in conjugio quis positus quæcunque peccata fecerit non infuscat propriam conjugem; sed fornicatio etiam uxore coinquinat, ut jam non sit viro suo licita, sed adultera*, ex S. Hier. & can. seq. *Si quis uxorem suam invenerit adulteram, & postea deinceps placuit eam habere in matrimonio: duobus annis pœniteat, idcirco quia cum adultera commixtus sit, quæ adhuc crimine suo non est purgata, aut abstineat se à matri-*

trimonio ejus, donec expleatur satisfactio criminis pœnitentiæ suæ: ideo quod post satisfactionem pœnitentiæ non meretur vocari adultera, similiter si uxor &c. Ita incumbebat necessitas divortium faciendi ad evitandam labem, & pœnam Ecclesiasticam, quin clerici adhuc majori pœna ad divortia adigebantur hoc can. 65. Concilii Eliberini: *Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & scierit eam maritus suus mœchari, & non eam statim projecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bonæ conversationis esse debent, ab eis videantur scelerum magisteria procedere.* Maxima enim pœna in extremitate vitæ communionem non accipere, & sic mori in censuris; quin S. Hilarius can. 4. in Matth. eo etiam tendere videtur. *Christus* inquit, *nullam aliam causam desinendi à conjugio præscribens, quam quæ virum prostitutæ uxoris societate pollueret:* Si enim prostitutę uxoris societate *polluitur* maritus,

tus, & Chriſtus eo caſu *præſcripſit* à conjugio deſinendum, nullus eſt qui à conjugio tunc abſtinere non teneatur, quo ſpectat illud Apoſtoli: *Num igitur tollens membra Chriſti faciam membra meretricis, Abſit an ignoratis eum, qui agglutinatur ſcorto unum eſſe corpus cum eo?* 1. Cor. 6: 15. Conſonat Lex Attica hæc: *Poſtquam adulterum maritus adulterii damnaverit, ab uxore adultera divortitor: niſi divorterit, ignominioſus eſto; adulteræ templa publica ingredi fas non eſto; ſi ingreſſa fuerit impune pœnas cuivis dato, morte excepta*, apud Demoſthenem: ſed meretur propriis verbis exprimi: ἐπειδὰν δὲ ἕλοι τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί. ἐὰν δὲ συνοικῇ ἄτιμος ἔστω, μὴ δὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ, ἐὰν δ' εἰσίῃ, νηποινὴν πασχέτω ὅ τι ἂν πάσχῃ πλὴν θανάτου. videatur ad calcem τοῦ κατὰ νεαίρας. Romani æque ſeveri ut videre lib. 48. digeſt. ad legem Jul. de adult. §. 2. quo maritus

tus lenocinio accusatur, cum deprehensam in adulterio uxorem retinet; & damnatur ab Imp. Severo, Antonino A. A. Cod. l 9. t. 9. §. 2. forsitan objiciet aliquis verba domini Matth. 19:6. *quod Deus conjunxit homo non separet*; sed optime respondet canon q. 2. caus. 33. *non enim separat homo, quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat*, ex Isidoro.

Sunt tamen plurimi & gravissimi auctores qui in mitiorem sententiam inclinant, & à Christo concedi, non vero imperari volunt divortium, ita ut secundum eos mariti pietate, mansuetudine, & charitate insignes, qui dissidiis proximorum componendis libenter incumbunt, sua cum suis uxoribus dissidia non debeant facere irremediabilia; sed remittere crimina & venia gratiose concessa fidelitatem uxoris imposterum demereri: hujus sententiæ fuit S. Chrysostomus, homil 17. in Matth. scribens: ἐπὶ τοίνυν

μόνῳ συγχωρῶν ἐκβάλλειν αὐτὴν, ἑτέρῳ δ᾽ οὐδενί. *Uno tantum; nec ullo præterea modo conjugem permisit expelli*, ubi permittendi tantum verbo utitur. S. Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus in Epistola canonica ad S. Amphilochium Episcopum Iconii canone 9. eodem modo loquitur: περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι γάμου ἐξίστασθαι, παρεκτὸς λόγου πορνείας, *quod non liceat à matrimonio discedere, præterquam propter fornicationem, &c.* Sic S. Chromatius Aquilejensis Episcopus in Matth. 5. *Sicuti uxorem caste ac pure viventem dimittere fas non est; ita quoque adulteram dimittere permissum est, quia ipsa consortio fecit se indignam, quæ in corpus suum peccando Dei templum ausa est violare.* Suffragatur canon de Benedicto q 1. caus. 32. cujus auctor habetur *Pelagius* Molleo subdiacono scribens, ut virum qui alterius corruperat uxorem cum illa non differret *mactare* (id est punire) *& calvatos* (id est depilatos, & ignominiose tonsos) *ab invicem separare;* atta-

attamen statim mitigatur, in gratiam adulterę addens: *illam vero si quidem maritus suus sine dolo aliquo recipere forte voluerit; tua ordinatione, sub cautela recipiat, nullum ei dumtaxat de cætero simile committenti periculum illaturus, &c.* Varro denique Romanorum doctissimus, & gravissimus his subscribit hoc præcepto: *Uxoris vitium tollas opus est, aut feras, qui tollit vitium uxorem commodiusculam sibi præstat, qui fert sese meliorem facit.* A Gellius lib. 1. cap. 17. Hinc inde magna suffragia vides, Vir Nobilissime: sed tuo prępondeṙare facies lancem, si vis tamen ut sententiam meam declarem; dicam libere mihi videri Imperatores Severum & Antoninum convenienter hanc tulisse legem supra citatam: *Crimen lenocinij contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt; non qui suspectam adulteram habuerunt, P P. Kal. Julii, Anulino, & Frontone Coss.* 200. & se-

cundum eam putarem autores qui jubent dirimi matrimonia ob adulteria, intelligere adulteria publica, nota, & certissimis comprobata argumentis, alios autem qui adulteris concedi posse veniam, & cum ipsis conjugii jura observanda licitum putant, adulteros intelligere non omnino constantes, sed suspectos, & fama mala laborantes: vel hos improbasse adulteria divortio puniri, quorum rei pœnitebant, & lachrymis pœnitentiaque labem videbantur delevisse; illos vero adulteria obstinata, & corrigi nescia; sane in jure canonico caus. 32. quæst. 1. plurimi revera canones divortia imperant, nonnulli etiam improbare videntur, & docere quod adulteri non sint existimandi quos baptismate ablutos, vel pœnitentia sanatos credere convenit: sed tandem concluditur can. *apud* &c. *quod si in adulterio perseverare elegerit, patronus turpitudinis, & lenocinij reus maritus habebitur, nisi eam ream adulterij causa facere voluerit*; sic per-

perseverans in flagitio venia indignus judicatur, & erga pœnitentes duntaxat indulgentia licita existimabitur.

Nunc quæritur an divortia illa legitima, quæ adulteros certos & inemendabiles amandant, omnia conjugii vincula dirimant, & tam ab omni vinculo quam à toro partem innocentem liberent, ita ut rea vivente novum contrahere possit matrimonium; Constat Romanam Ecclesiam hodie docere remanere vinculum post divortium legitimum, & non licere disiunctis divortio alteras celebrare nuptias, secundum hunc canonem Concilii Tridentini sess. 8. sub Pio 4. c. 7. de matrim. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare; cum docuit & docet juxta Euangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonij vinculum non posse dissolui, & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matri-*

monium contrahere, mœcharique eum qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alij nupserit, anathema sit: verum adhuc magis constat hanc esse primam constitutionem quę hoc definierit, & ante eam licuisse aliter sentire, quod testibus omni exceptione majoribus probandum suscipio, iisque Concilio Tridentino paulo antiquioribus. Primus Celeberrimus Cajetanus à Leone X. Pontifice Cardinalis creatus, & sexagesimo sexto ętatis anno, an. 1534. paucis ante primam Concilii indictionem à Paulo III. factam denatus, scribens in Matth. 19: 9. *Intelligo igitur ex hac Domini I. C. lege licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet &c.* Secundus est A. Catharinus Compsæ Archiepiscopus, qui anno demum 1552 obiit, & in comment. primæ ad Corinth. præfer-

sertimque in 5. annot. volumine multis argumentis probat marito licere, post repudiatam uxorem adulteram, ducere aliam; videri sibi inquiens *rem esse impendio duram & iniquam ut vir innoxius interim ætate virens, & in venerem proclivis, nullo suo delicto, imo ex aliena culpa, & in seipsum illata injuria, cogatur mutare statum, & perpetuo cœlibem ac luctuosam ducere vitam, libidinis incendio, & orbitatis molestia conjunctam, cum nec sit fas cum adultera conjungi; nec appetere alteram &c.* Tertius est Erasmus, qui anno, 1536. septuagenarius obiit, is enim in 1. Cor. 7. non tantum plurima ad confirmationem ejusdem sententiæ argumenta exhibet, sed insuper ad objectiones solide respondet, & canonistas etiam faventes probat; *semper inconcusso, & illabefacto judicio sacrosanctæ Ecclesiæ*, quod ostendit hactenus huic sententię non fuisse adversatum; revera decretum Tridentinum Novemb. 11, an. 1562.

editum est, & promulgatum. Tres magni illi viri Maximo Pontifici acceptissimi, amplissimis Ecclesię honoribus illustrati, ut Erasmus tot laudibus ab illo Pontifice celebratus ob pręstantissimam Novi Testamenti versionem, & præclaras annotationes, fidem faciunt ad illud usque tempus obtinuisse sententiam, quam propugnandam susceperunt; & Tridentinam nuperam esse: unde Bellarminus de matrimonii Sacramento l. 1. c. 15. defensurus Tridentinum decretum in ipso exordio agnoscit quod habeat, *multos adversarios, Græcos, Latinos, Hæręticos & Catholicos:* & exposita protestantium sententia, addit: *eamdem sęntentiam sequutus est Erasmus, qui annot. ad 7. 1. Cor. fusissime probare conatur propter fornicationem licere conjugi innocenti ad alias nuptias transire: edidit autem Erasmus primum has annotationes an. 1515. biennio scilicet antequam Lutheri factio exoriretur; ex quo intelligimus non Erasmum*

mum à Luthero, sed Lutherum potius ab Erasmo hunc errorem hausisse. Parum refert à quo hæc sententia emanaverit, sufficit antiquiorem hodierna, & ex hoc Bellarmini calculo non minimam ipsi accedere auctoritatem: vel illo judice cum tribus ab illa editione annis nempe 10. Septemb. an. 1518. Leo X. Pontifex, *Lucubrationes* Erasmi in N. Testatum celebret, *omniumque Doctorum calculo plurimum laudari* testetur, & *tam sancto operi*, quod ex prima editione absolutissimum videbatur, illustrando ipsum adhuc incumbere gaudeat: sic Pontifex inter cæteros quos in decretis fidei, morum institutionibus in privatis sententiis ab omni errore immunes habet Bellarminus, fuit maximus Erasmi fautor; sententiam, & lucubrationes non tantum probat, sed impense celebrat sanctitatisque elogio exornat; quapropter tribus illis testibus qui adulterio vinculum matrimonii penitus dirimi docent meretur etiam annu-

merari: verum ne queratur hoc extorqueri, quod ambabus ulnis donat, accipiendum eſt, *ex Catholicis* (inquit) *duo ſunt qui eodem errore tenentur: Cajetanus in comment. ad C. 19. Matth. timide tamen & breviter rem attingens, & Ambroſius Catharinus qui lib. 5. annot. in commentaria Cajetani in fine diſputat quæſtionem iſtam, ac tandem concludit ex Euangelio & Apoſtolo non poſſe colligi, non licere in cauſa fornicationis aliud matrimonium inire; id tamen variis canonibus eſſe prohibitum: & ideo non debere fieri niſi ex Eccleſiæ authoritate.* Patet in omnes partes fruſtra ſe vertere: & modo timiditatem in corde latentem: modo tremulę manus levitatem fingere: ſed tandem ut conſilii inops, & vi ſoli innixus hos auctores à ſententia quam fortiter propugnaſſe agnoverat, abripit, eorumque in Eccleſiam obſequio, ut cinere in lectorum oculos obtruſo, concludit: *quia Eccleſia ſententiam ſuam jam aper-*

tiſ-

tissimè protulit, ut ex can. 6 & 7. Sess. Conc. Trident. ubi anathema dicitur iis, qui sentiunt matrimonium, quoad vinculum ulla de causa solvi posse: ideo isti quoque ac præsertim duo posteriores à reliquorum omnium Theologorum Catholicorum communissima sententia separandi minime esse videntur. Unde ego jure ac merito etiam concludo sententiam, quę omnia matrimonii vincula adulterio solvi docet, è Catholicorum Theologorum albo non delere auctores, & præcipue ante Concilium Tridentinum hanc sententiam fuisse licitam cùm nondum apertè sententiam suam declarasset Ecclesia Romana: idque non obscure agnoscit ipse Jesuita Petavius, in Comment. ad Epiphanii hæresin 59. p. 255.

Revera Florentinum Concilium non debet in medium produci, absolutum enim erat, & unio subscripta, cum Papa monuit Constantinopolitanum Imperatorem in ejus Græca Ecclesia doceri enormia dogmata, ut il-

illud de divortio virorum & fœminarum, quemadmodum refertur à Græco Sguropulo in Hist. Conc. Flor. Sect. 10. c. 12. & in ipso Concilio Florentino à Pontificiis edito Concil. Gen. & Provinc. t. 4. p. 1. ad calcem illius Concilii. Frustra etiam profertur decretum circa Armeniorum unionem; non enim à Concilio factum, Græci enim discesserant, & Concilium dissolutum erat, hinc *Eugenij Papæ Decretum* dicitur, & sententiam illius hæc verba dumtaxat declarant: *quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum sit.* Tantum abest igitur ut Concilium Florentinum obsit totali matrimonialis vinculi dissolutioni, contra impense favet, cum probaverit cum Græcis hanc dissolutionem tenentibus, & post divortia contrahentibus nova matrimonia, unionem. Convenientius citatur

Ca-

Canon 47. Apostolorum: *si quis Laicus sua ejecta uxore aliam acceperit, vel ab alio solutam,* ἀφοριζέσθω *communione privetur:* respondetur tamen quod liber Canonum Apostolorum declaretur à Gelasio in jure Canonico distinct. 15. Can. *Sancta,* Apocryphus: præterea merito excommunicatur qui absolute ejicit uxorem, & sola adulterii ratio cujus non meminit Canon, ejectionem illam tuetur. Eliberini Conc. Canon 9. etiam affertur: *fœmina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de seculo exierit; nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.* Verum agit tantum de fœminis, quibus plurimi divortiorum licentiam non concedunt; præterea licet novum eorum conjugium non probet Synodus, graviter tamen non punit, cum reis in necessitate Communionem largiatur; quam in fine Ca-

Canon præcedens etiam denegat iis, que *nulla præcedente causa* id faciunt. Non magnum momentum in Canone 102. Africanorum: *placuit ut secundum Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur; quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur, in qua causa Legem Imperialem petendum promulgari.* Nam agitur de dimissis absque legitimæ rationis expressione, & notum etiam legitime dimissos ut reos, non habuisse jus novi matrimonii, quod primum polluissent; preterea eo ipso quod Lex Imperialis requiritur, agnoscitur Euangelium quæstionem non dicidisse: his solutionibus plurimis patrum locis satis fieri potest: Fatendum tamen nonnullos Tridentinę constitutioni magis favere, ut hęc S. Hieronymi in 19. Matth. verba: *ubicunque igitur est fornicatio & fornicationis suspicio, libere uxor di-*

dimittitur; & quia accidere poterat, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum, veteri crimen impingeret; ſic priorem dimittere jubetur, ut ſecundam prima vivente non habeat: periculo tamen iniquæ ſuſpicionis tantum innititur illa conſtitutio, & ſubobſcure innuitur quod crimine conſtante res aliter ſe haberet. Idem tamen Ep. 147. Amando, videtur indiſſolubile conjugium judicare ſcribendo: *quandiu vivitur, licet adulter ſit, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc omnia derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Ac uxoribus inſolubile quidem dicit cum aliis multis; non vero viris, quorum conditio diſpar exiſtimatur. S. Auguſtinus expreſſius loquitur: *Miror autem ſi quemadmodum licet dimittere adulteram uxorem; ita liceat ea dimiſſa alteram ducere,* parem etiam uxoris & viri conditionem facit

ad-

addens, *quo modo autem viro poßit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit; cum mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video.* dubitanter tamen loquitur, & veritatem disquirit: vide quę sequuntur & precedunt de bon. Conjug c. 7. in lucem majorem emittit suam sententiam de adult. nupt l. 1. c. 9. ita enim exponit Christi verba; ut declarent reos quidem maritos qui dimittunt uxores absque adulterio; sed non absolvant eos qui propter adulterium dimittunt: *quemadmodum igitur si diximus, quicunque mulierem à marito, præter causam fornicationis dimissam duxerit, mœchatur; proculdubio verum diximus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque mœchos esse minime dubitamus: ita eam qui præter causam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit, mœchum pronunciamus, nec ideo tamen*

men

men eum, qui propter causam fornicationis dimiserit, & alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus; ambos enim, licet alterum altero gravius, mœchos esse agnoscimus &c. Non potuit mentem suam dilucidius exponere, & verborum Christi vim solertius avertere: mirari tamen licet hunc Patrem æquitate & judicio imprimis conspicuum eodem crimine reos peragere viros quos agnoscit tantopere discriminari; Candor illius tulit ut huic sententiæ firmiter adhęreret, ut declarat de fid. & oper c. 19: *quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit & aliam duxerit, non videtur æquiparandus eis, qui excepta adulterij causa dimittunt & ducunt; & in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste cui quidam sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur &c.* Sic secundum ipsum circa veniale peccatum dumtaxat hęc

Controversia versatur, & venialiter tantum peccatur à parte, quæ à recto tramite recedit; longe audacior Hermas in pastore l. 2. mand. 4. jubet enim dimitti uxorem adulteram, quę pertinaciter in suo flagitio perseverat, ne vir reus evadat criminis illius: sed declarat insuper virum debere cœlibem permanere, & quod si *aliam duxerit & ipse mœchatur.* additque quod vir *debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe; servis enim Dei pœnitentia una est &c.* Sed nullius auctoritatis est hic auctor Apocryphus, & Novatianorum hęresi imbutus, ut pote qui unam dumtaxat agnoscat pœnitentiam, & hujus causa maritum à novo conjugio dehortetur. Prætermitto Innocentium 1. & ejus epistolam ad S. Exuper. quia generaliter de divortiis, & absque adulterii ratione agit.

Partis adversæ auctores expresse loquuntur, & auctoritate, rationumque pondere antecellere videntur. In-

Inter eos S. Ambrosius in 1. Cor. 7. *Viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem.* & paulo post: *non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alij se junxerit: contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonij circa eum qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus, &c.* Et: *si Esdra dimitti fecit uxores, aut viros infideles, ut propitius fieret Deus, nec iratus esset, si alios ex genere suo acciperent (non enim ita præceptum his est, ut remissis istis alias minime ducerent) quanto magis si infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere legis suæ viro: illud enim non debet imputari matrimonium, quod extra Legem Dei est* &c. forsitan respondebit Bellarminus ut de amiss. Grat. & Stat. pecc. l. 4. cap. 5. *is, ut Ambrosius esse non creditur à viris doctis, ita æqualis Ambrosij sine dubio fuit; vixit enim tempore Damasi Papæ ut ipse testatur in Comment. c. 3. prioris ad Timot.* Sed id sufficit:

ficit: nam teſtatur hanc ſententiam ſuo ſęculo obtinuiſſe; præterea alij aliter ſentiunt ut Sixtus Senenſis Bibl. Sanct. l. 4. à quo tribuuntur S. Ambroſio *Libri* 14. *in omnes Pauli Epiſtolas, breves quidem in verbis, ſed ſententiarum pondere graves*: quin in ipſo Concilio Tridentino agnita horum librorum auctoritas, & ut ab Ambroſio æſtimata, ut lib. 8. hujus Hiſt. ad an. 1563. refertur, & infra dicetur. Celeberrimus Origenes in Matth. c. 19. pręiverat, & licet in varias allegorias excurrat, cum tamen exemplum Chriſti Synagogam ipſi Barabbam ſive Diabolum præferentem dimittentis, & in ejus locum gentium Eccleſiam ducentis urgeat, perſpicuè declarat conſequenter licere viro, repudiata uxore adultera, alteram ducere; imo quærit an non liceat repudiare ob alia crimina quę ipſi non minus atrocia, quam ipſum adulterium videntur; & teſtatur etiam, παρὰ γεγραμμένα καὶ τινες τῶν ἡγουμένων τῆς ἐκκλησίας

ἐπέ-

ἐπέτρεψάν τινα, ὥστε ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς γαμεῖσθαι γυναῖκα, *absque scripturæ auctoritate quosdam Ecclesiæ præpositos permisisse uxori, vivente marito, alteri nubere*, & contra hanc licentiam citat. 1. Cor. 7: 39. & Rom. 7: 3. attamen addit οὐ μὲν πάντη ἀλόγως id non omnino absque ratione, ut nova illa matrimonia, quæ severitas ejus improbabat, saltem excusaret, & doceret iis judicia plurimorum esse æquiora. S. Epiphanius Salaminis Episcopus adv. Hær. l. 2. t. 1. Hęres. Cathar. 59. ejus premit vestigia scribens: ὁ δὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ ἕνεκέν τινος προφάσεως, πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικί, ἢ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρὶ οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει διὰ τὸ ἀσθενές, οὐχ ἵνα δύο γυναῖκας ἐπὶ τὸ αὐτὸ σχῇ ἔτι περιούσης τῆς μιᾶς, ἀλλὰ ἀπὸ μιᾶς ἀποσχεθεὶς, δευτέρᾳ, εἰ τύχοιεν, νόμῳ συναφθῆναι, ἐλεεῖ τοῦτον ὁ ἅγιος λόγος, καὶ ἡ ἁγία θεοῦ Ἐκκλησία. *Qui una contentus non est uxore qua distitui-*

 tur

tur, occasione aliqua stupri, adulteriique aut alterius flagitij divortio facto ducentem alteram conjugem, aut mulierem alteri viro nubentem non damnat sermo Divinus, sed ab omni culpa absolvit, neque ab Ecclesia, aut vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat: non ita tamen, ut duas, altera superstite, uxores simul habeat; sed ut ab una separatus alteram sibi legitime si lubet, adjungat: quamobrem erga ejusmodi hominem, tam Divinus sermo, quam Dei Ecclesia misericordiam adhibet &c. integrum hunc locum exscribere oportuit, ut pateret perspicacissimos viros nihil in S. Scriptura animadvertisse quod obesset divortiis ob adulteria, neque alteris nuptiis quæ illa sequebantur; ita ut non solum viris sed etiam uxoribus ab adulterino consortio liberatis hę novę nuptiæ concederentur, & ab Ecclesia secundum receptas consuetudines concederentur. Addatur Pollentius quem S. Augustinus

nus dilectissimum fratrem vocat, & cum quo tam amantissime agit duobus libris de nuptiis adulterinis inscriptis. Libro enim 1. c. 1. *eis* (viro & uxori) *ut putas, alia Conjugia liceret inquirere, si causa fornicationis divortium nasceretur.* & *c.* 6. *dicimus* (inquit S. August.) *etiam illi mulieri, quæ virum fornicantem dimiserit, alteri nubere non licere; tu autem dicis licere quidem, sed non expedire*; propugnat autem suam sententiam S. Augustinus variis rationibus, sed nec Canones Conciliorum, nec consuetudines Ecclesiarum Pollentio opponit, unde licet concludere ipsum suos etiam fautores) habuisse, neque ei defuisse consuetudinis auctoritatem. Revera in ipso jure Canonico ex Conciliis, & patribus multæ in hanc sententiam Constitutiones referuntur Sic. Caus. 32. q. 7. c. *quædam cum fratre viri sui dormivit, decretum est ut adulteri nunquam in conjugio copulentur; illi vero, cujus uxor stuprata est, li-*

cita conjugia non negentur. Item illud Zacharię Papæ: *Concubuisti cum uxoris tuæ sorore; si fecisti neutram habeas; & si illa quæ uxor tua fuit, conscia sceleris non fuit, si contineri non vult nubat in domino cui velit; tu autem & adultera sine spe conjugij permaneatis*, item *si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire; Sed vir ejus potest, si vult aliam accipere, si se continere non potest &c.* Sic in Concilio Tiburiensi sub Formoso an. 895. Can. 41. de eo qui fratris uxorem adulterio polluit, & scelere suo legitimum conjugium] decrevit, statuitur: *quia humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum:* Idcirco Episcopus, considerata mentis eorum imbecillitate, post pœnitentiam sua institutione peractam, *si se continere non possint, legitimo consoletur eos matrimonio, ne dum sperantur ad alta sublevari, corruant in cœnum.* Vix licet divinare quomodo inter
tot

tot constitutiones, & gravissimas sententias opinio contraria potuit insinuari; non tamen dubito, quin hujus Canonis licet adversi obtentu invaluerit, qui in Concilio Arelatensi anno 1. Sylvestri Pontificis, & Imperante Constantino Magno post Christum 314. editus est: decimus est ordine, & sic se habet: *de his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere: placuit, ut in quantum potest, Consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant*; prudens, inquam, illa constitutio quæ Concilium Nicænum primum Oecumenicum antecessit, pios sed minus cautos Ecclesiæ præpositos movit ad hoc Consilium in Legem mutandum, quia perfectiori instituto insistendum judicarunt; non animadvertentes se conscientiis infirmis durum injicere laqueum, quem libere excipi Arelatenses patres dumtaxat optaverant; dant enim

ſimpliciter *Conſilium*, & *in quantum poteſt*, ſolummodo amplecti præcipiunt; quod obſervatum ab iis qui licita ob adulterium divortia, & conſequenter nova conjugia docuerunt; cum ſemper una docuerint, optimum eſſe ab illis conjugiis abſtinere, & neceſſitate ſola urgente ad ea, ut ad neceſſarium incontinentiæ remedium eſſe confugiendum; pluribus ad confirmandam ſententiam illam auctoritatibus coacervandis ſuperſedebo; monuiſſe contentus adverſę ſententiæ patronos valida contra ſe argumenta ſuppeditare: volunt enim duplicem eſſe matrimoniorum diſſolutionem, unam quoad torum licitam, & alteram quoad vinculum illicitam; docent autem plurimas eſſe rationes ſeparandi quoad torum, ut ſęvitia, pręparatio veneni, furor, hæreſis, Sodomia &c. ut validis argumentis Covarruvias Epiſcopus Segobienſis part. 2. c. 7. §. 5. Chriſtus autem Matth. 5, & 19 agit de ſeparatione, quæ tantum adulterii cauſa li-

licita eſt ; & conſequenter non eſt ſeparatio quoad torum, ſed quoad vinculum ; Cum adulterium omnium ſcelerum magis adverſetur matrimonii ſocietati, unde S. Chryſoſtomus Deum introducit dicentem Ser. 52. contra jejunantes in Paſchate: ἄν ἑλληνὶς ἡ γυνὴ μὴ ἐκβάλλῃς ; ἄν δὲ πόρνη ἐ κωλύω τοῦτον ποιῆσαι ; ἄν εἰς ἐμὲ, φησιν, ἀσεβήσει, μὴ ἐκβάλλῃς ; ἄν δ' εἰς σὲ ὑβρίσῃ, ὐδεὶς ὁ κωλύων ἐκβαλεῖν *ſi uxor tua pagana eſt non ejice ; ſed ſi adultera non impedio quominus id facias : ſi in me inquit, impie agit, non ejice : ſi vero te dedecore afficit per omnes tibi licet eam ejicere*, Validius adhuc argumentum deſumitur ex iiſdem Chriſti verbis, quæ adulterium declarant eſſe unicam, & præcipuam rationem diſſolutionis matrimoniorum ; ita ut ſi qua ratione omnino diſſolvi poſſunt, ob adulteria proculdubio ſunt diſſolvenda ; at diſſolvi poſſunt, & de facto ſæpius diſſolvuntur propter crimina adulterio longe minora, ſcilicet ob conſanguinitatis, & affinitatis gradus

dus humana tantum constitutione prohibitos: scilicet verbo Dei licet matrimonium contrahere inter se consobrinis, quamobrem S. Augustinus de Civit. Dei Lib. 15. c. 16. *experti autem sumus in connubio consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per Leges licebat; quia id nec Divina prohibuit, & nondum prohibuerat Lex humana.* Concilium autem Agatense An. ch. 506. has prohibet & Can. 61. nuptiis incestis annumerat, *si quis consobrinæ suæ se sociaverit, si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ suæ; aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluat, aut duxerit uxorem; quos omnes & olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, & inter Catechumenos, usque ad legitimam satisfactionem manere, & orare præcipimus,*

mus, quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea quæ ſunt hactenus inſtituta non diſſolvamus. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugij libertatem. Ubi non tantum nuptiæ Lege Dei, traditione Apoſtolica, & principum ſtatutis licitæ interdicuntur, ſed libertas inſuper novi conjugii ineundi conceditur. poſtea Iulius Primus Pontifex can. 5. *Nullam in utroque ſexu permittimus, ex propinquitate ſui ſanguinis, vel uxoris uſque in ſeptimum generis gradum, uxorem ducere, vel inceſti macula copulari &c.* inquit, & ſic ad longam nepotum ſeriem ultra conſobrinos, qui ſecundum gradum conſtituunt, extendit interdictum; quod tandem Innocentius III. gradum quartum revocavit, & Gregorius IX. confirmavit, ut videre eſt decret. Greg. l. 4. t. 14 c 8. innumera autem matrimonia per has hominum conſtitutiones diremta ſunt, & nova contracta: ſic Philippus I. Franciæ

ciæ

ciæ Rex matrimonium cum Bertha Regina contractum; auctoritate pontificis diremit, duxitque Bertradam Ducis Montisfortii filiam; unde ingentes contentiones ortę, eam enim prius duxerat Fulco Comes Andegavensis, qui ob has affinitates Ermengardam repudiaverat; videatur Ivo Carn. ep. 19. Sigeb. Aim. l. 5. c. 49. sed imprimis videantur plurima ejusmodi divortia & matrimonia apud Blondellum *de Formula Regnante Christo*, sect. 2. quin ipse Pontifex Innocentius III. coegit invitos Alphonsum IX. Legionis Regem, & Berenguelem Alphonsi VIII. Castellæ Regis filiam, & Blancæ S. Ludovici matris sororem fęlicissimum dirimere matrimonium, ex quo jam quatuor susceperant liberos, nempe Sanctum Ferdinandum Regem, Alfonsum Principem, Berenguelam Regis Hierosolymæ uxorem, & Constantiam monialem; patres tamen hujus Regis & Reginæ tantum consobrini erant; videatur G. de Yllescas t. 1. in Re-

Regibus Caſtellæ & Legionis, & Thuanus l. 123. agens de divortio Henrici IV. & probans quod, *Non deerant exempla domeſtica hujuſmodi matrimoniorum ob ſterilitatem, cognationem, mores, aliaſque juſtas cauſas publicam tranquillitatem ſpectantes ſummo Regni bono diſſolutorum &c.* Unde colligo quod ſi ſtatutis humanis poſſunt dirimi matrimonia, & nova contrahi, multo magis poſſunt adulterio à Lege Divina damnato, & ſecundum Chriſtum præ aliis omnibus rationibus ſocietati conjugali adverſante: hinc omnes totius orbis Eccleſiæ, Romana excepta, adulterio ſolvi matrimonia tenent, & nova poſt divortium contrahi ſinunt. De meridiem occupante Abyſſinorum Eccleſia id teſtatur Alvares, & Sacerdotum conjugia fere ſola eſſe inviolabilia c. 21. quibus aſſentiuntur Ægyptii à quibus Abyſſini pendent. Sic Maronitæ. patr. mar. inter. 5. apud Thom. à Jeſ. ſic Moſcovitæ, Georgi-

gi-

giani, Circassi, Græci omnes ut *in* not. ad Ceremonias Judęor. obſervat Simon, unde Florentię à Papa improbatur Græcorum ἡ διάζευξις τῶν ἀνδρογύνων, *divortium virorum, & uxorum: quos Deus conjunxit* (inquit) *homo non ſeparet*, ὑμεῖς δὲ ἀδεῶς διαζεύγνυτε αὐτοὺς, *vos licenter eos ſeparatis*; cui Græci intrepide regerunt τὰ συνοικέσια ἡμῶν οὐκ ἀλόγως χωρίζονται, *noſtra conjugia abſque ratione non dirimuntur.* Sed expedit audire hiſtoriam Concilii Tridentini, quæ Græcorum ſententiam, & ſuper ea Concilii judicium è lib. 8. de Canone antea relato: *dove ſi tratta del divortio per cauſa dadulterio chavevano aſtenuti li formatori canoni duſar la voce d'anathema, havendo riſpetto di damnare quell' opinione la qual fu di S. Ambroſio, & di molti padri della Chieza Greca.* Sed cum pars adverſa viciſſet: *In fine della Congregatione gl. Ambaſciatori Venetiani fecero legger una loro dimanda ſopra l'Anathematiſmo de divortii,*

la

la qual in sostanza conteneva; che havendo la loro Republica li Regni di Cipro, Candia, Corfu, Zante, Cefalonia habitati da Greci, li quali da antiquissimo tempo costumano di ripudiar la moglie fornicaria, è pigliarne un' altra; del qual rito à tutta la Chieza notissimo non furono mai dannati, ne ripresi da alcun Concilio, non era giusta cosa condannarli in assenza, è non essendo stati chiamati à questo concilio, Quamobrem post varias disputationes; *fu trovato temperamento, di non dannar quelli, che dicono potersi sciogliere il matrimonio per l' adulterio è contraherne un' altero, come Sant' Ambrosio, & altri Padri Greci dissero, & gl' Orientali costumano; ma anathematizar quelli che dicono la Chieza fallar, insegnando che per l'adulterio il legame matrimoniale non è sciolto, ne è lecito contraherne un' altero &c.* Itaque modo Ecclesia Romana erroris non arguatur, licebit absque anathematis metu sententiam

S Ambrosii, & Græcorum amplecti, sic non te feriet fulmen illud, Vir Illustrissime, cum de sola veritate solicitus, & in Ecclesiam tuam minime contumeliosus nativo verborum Christi sensui assensum prebueris, & consentientes habeas meliorem antiquitatis partem, & hodierni orbis meridiem, Orientem, Septentrionem, Suedis, Danis, & Anglis conspicuum, Occidentisque Protestantes per Gallias, Germaniasque dispersos, & fauces ipsas Italiæ occupantes.

Restat controversum uxorum jus, circa divortia; Lex sane Mosaïca viris duntaxat ea concessisse videtur, ut & aquam illam ad amoliendas eorum suspiciones, Zelotypiasque efficacissimam Num. 5. Verum licet caput mulieris sit vir, & primatum obtineat: attamen æqualitas vinculi conjugalis maritum & uxorem individue colligantis eadem infidelitate abrumpitur, & libertatem parti *læsæ* tribuit; adde mulierem solere in *viro* in-

intelligi, & quo vir prȩstantior est, eo legi addictior, consequenterque magis pœnae obnoxius. Solius etiam viri facit mentionem Christus de divortio licito agens, ut ob illas rationes sit exemplum officii uxori; unde Paulus 1. Cor. 7. utrique eadem præcepta & eamdem libertatem proponit; scio à nonnullis responderi eum agere de infidelibus, quorum matrimonia non adeo valida erant, sed sincera Apostoli æquitas pietatis decus non traxit in patrocinium sceleris, & mutuam fidelitatem in societate jure naturali & divino instituta requirens, reum sive Christianum, sive Gentilem eidem pœnæ obnoxium reddidit, licet infideli exemplum exhibuerit, quia validius stringebat fideles qui officii sui studiosiores esse tenentur: hinc Sanctus Hieronymus epist. 30. *quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in fæminas; neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir moechus retinendus.* Sic Sanctus Au-

gustinus de adult. nupt. lib. 1. cap. 8. *parem esse formam in hac causa viri, atque mulieris*, docet & probat; sic S. Basilius ad S. Amphilochium epist. can. c. 9. ἡ δὲ τοῦ κυρίου ἀπόφασις, κατὰ μὲν τὴν τῆς ἐννοίας ἀκολουθίαν, ἐξ ἴσου καὶ ἀνδράσι, καὶ γυναιξὶν ἁρμόζει. περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι γάμου ἐξίστασθαι, παρεκτὸς λόγου πορνείας. *Domini dictum, quod non liceat à matrimonio discedere præterquam propter fornicationem, secundum sententiæ consequentiam ex æquo & viris, & mulieribus convenit:* additque consuetudinem non ita se habere, cum in mulieribus diligenter observetur in viris contra mos obtineat, ut uxores viros fornicantes retineant; cui suffragatur Zonaras commentator; observando tamen consuetudinem illam postea mutasse Imperatoris Justiniani novellam, de divortiis secundo libro imper. constit. sect. 28. qua *præter alias causas, ob quas conjugia solvere mulieribus datum est, illa quoque recensetur, ut si in eadem domo, aut urbe vir alteri mulieri* com-

commisceatur; atque ab uxore admonitus tamen ab illius commercio nequaquam abstineat, λύειν τὰς γάμους ταῖς γυναιξὶ διὰ τὴν ζηλοτυπίαν ἐφίησιν, *nuptias dissolvere ob zelotypiam permissum sit.* Sic apud Græcos hinc Attica lex: ἐὰν ἀπολίπῃ ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα, ἢ ἐὰν ὁ ἀνὴρ ἐκπέμψῃ γυναῖκα, μὴ ἐξεῖναι πράξασθαι τῷ δόντι ὃ μὴ προικὶ τιμήσας ἔδωκεν. *Si uxor virum reliquerit, aut vir mulierem abjecerit; qui mulierem elocavit ne exigito plura quam maritus in dotem accepisse hypotheca data cavit.* Consonat jus Romanum & eadem lex, qua viris licet dicere uxori *tuas res tibi habeto*, uxoribus viro dicere conceditur: *tuas res tibi agito* §. 2. t. 2. de divort. & repud l. 24. digest. Divortia autem & repudia distinguebant Romani, & hæc sponsis, illa uxoribus dabantur: quin & divortii pro libitu alterius conjugum usus inter *novi orbis incolas*, teste Alphonso de vera cruce in spec. conjug. part. 2. a. 5. inter *Persas* Olear. l. 5. inter *incolas insulæ Formosæ*

Mandeslo l. 2. itin. Ind. & Pietro della Valle etiam refert *Reginam Olalæ dimisisse Regem Banghel maritum suum, ipsique omnia monilia & munera quæ nubendo acceperat reddidisse.* part. 4. lit. 6.

Pedetentim ad exempla pervenimus quæ non magno numero producam, quandoquidem apud æquos conjugalis societatis æstimatores semper ejus conservatio plurimum valuit: hinc Anaxandrides Spartæ Rex Ephoris licet urgentibus nunquam potuit adduci ad dimittendam uxorem. Herod. l. 5. §. 39. testatur etiam A Gellius *nulla Romæ per quingentos & viginti annos divortia facta*, & *Sp Carvilium Rugam primum dimisisse uxorem, & quamquam id semper per Romuli leges licuisset, novam quam duxit conjugem pellicem appellatam, & probrosam habitam.* l. 4. c. 3 & l. 17. c. 21. in hanc rem Festus scribit: *Flameo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assidue utebatur Flaminica*, id est, *Flaminis uxor*; *cui non*

non licebat facere divortium. In flameo. Turcæ ipſi ſola Barbarie celebres divortia lege ſua licita averſantur, unde Bajazet Tamerlandum ad certamen provocans ejus legatis ait: ἔϛω κεχωρισμένος ἀπὸ τῆς αὐτοῦ νομίμου γαμετῆς, εἰ μὴ ἔλθοι, *ſit ſeparatus à legitima uxore, niſi veniat*, Hiſt. Byſant quanto magis Chriſtiani à Chriſto præceptis, & exemplis ad manſuetudinem & miſericordiam compoſiti à divortiis abhorrere tenentur? pręterea poſt Legem Moſaïcam Levit. 20: 10. Lex Solonis adulteros ad mortem damnavit Plutarch in Sol. & Draconis antea; quę locum habuit in legibus 12. tabul. Lex etiam regia capitale adulterium declarabat: quamobrem vix opus divortiis contra adulteros, quos impune licebat necare, & capitali judicio perſequi; quod Chriſtianis à ſanguine alienis potuit imponere ſilentium, ne in vitæ diſcrimen maritos & uxores adducerent: ſaltem non dubitandum eo periculo perculſos Patres plurimos,

ad patientiam, & veniam sæpius admonuisse fideles, & silentio obruisse exempla, quę vindictæ cupiditatem excitare potuissent. Sunt tamen plurima exempla, S. Justinus Martyr in apologia quę prima inscribitur refert, quod mulier pia post multas præces, & admonitiones marito in omnes libidines profuso, ut iis tandem aliquando finem imponeret, factas, cum minime proficeret, ῥεπούδιον δοῦσα ἐχωρίσθη, *dato repudio ab ipso sejuncta est.* Tertullianus similiter initio libri secundi ad uxorem declarat, eam admonitam voluisse officii: *quarundam exemplis admonentibus, quæ divortio, vel mariti excessu oblata continentiæ occasione, non modo abjecerunt opportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo quidem rursum disciplinæ meminisse voluerunt*: ubi non laudat quidem quod oblata occasione continentię non usæ fuissent, & hanc commoditatem ex divortio, aut morte mariti non arrepsissent, sed tamen, licet monogamiæ affectator,

non

non damnat, contentus reprehendere, quod infidelibus, non in Domino, secundum Apostoli præceptum nuberent. S. Hieronymus etiam in epist. ad Oceanum exemplum Fabiolę profert, *quæ sortita secundum matrimonium reliquerit primum*; eam autem omnibus laudibus cumulat, *& laudem Christianorum, miraculum gentilium, luctum pauperum, solatium monachorum*, epitaphiumque ipsi adornat omnium virtutum decoribus illustrissimum, dicit quidem, *non laudabo conversam, nisi prius ream absolvero*; quare divortii ejus necessitatem mariti flagitiis probat, & demum alterum ejus matrimonium tuetur auctoritate Apostoli dicentis: *melius est nubere quam uri*, 1. Cor. 7. & *volo adolescentulas nubere* 1. Tim. 5. addit errorem publice confessam; non potuit aliter loqui Pater ille matrimonii osor, & cilicii, solitudinis, & jejuniorum amore flagrans. Si recentiora exempla cupis, Mezeræus noster in Childeberto Re-

ge testatur Thibertum Clovis nepotem repudiasse uxorem, & duxisse Deuteriam prefecti Bliterræ septimanorum uxorem, quam postea etiam repudiavit; & in Dagoberto II. Pepinum Palatii Magistrum repudiata Plectrude, duxisse Alpheidem, ex qua suscepit Carolum Martellum, & in Carolo magno tot heroïcis virtutibus predito, earumque opera in sanctorum Album relato, quòd ipse unam uxorum repudiavit, nempe (ut à Faucheto discimus) Hermangardam ut duceret Hildegardem Hildebranti Suevici filiam ad an. Christi 772. sic Jacoba Bavara Hollandie Domina an. 1426. repudiato marito Joanne Brabantio ad Hunfridum Glocestrie ducem Henrici V. Angliæ Regis fratrem animum inclinavit; Thysius in hist. naval. c. 7. Thuanus l. 40. divortio cum Gordonia uxore ob adulterium facto Botuelum Comitem Scotiae Reginam duxisse refert. In Apulia etiam Joanna Regina repudiato Joanne Arragonio Majorcae &
Mi-

Minorcæ Rege Othoni Brunſvicenci nupſit. Theod. à Niem l. 11. de Schiſm. c. 24. & 37. Noſti Vir clariſſime Henricum VIII. Angliae Regem tunc Pontifici addictum dimittere voluiſſe Catharinam uxorem, Volſæi Cardinalis Conſilio, qui injuſtas illorum nuptias, quod prius Regina Arturi fratris Regis conjux fuerat, aſſerebat; Pontificem autem Clementem VII. votis annuiſſe & Bullam ad id Cardinali Campegio Legato tradidiſſe; verum ob Caroli V. metum & alias rationes eam Regi non exhibitam; quare à Pontifice ſe ſubtraxit, & procerum Regni aſſenſu repudiata ſua uxore Annam Bolenam duxit; Cambdenus in appar. Quamvis autem invito Pontifice divortium illud, & matrimonium ſequens facta fuerint; patet tamen ex Legatione & Bulla potuiſſe concedi. Denique Chriſtiani Imperatores Theodoſius, & Valentinianus, & Anaſtaſius, Juſtinianuſque divortia conceſſerunt quę haben-

bentur Cod. l. 5. t. 17. & teſtantur ad reprimendam frequentium divortiorum licentiam fuiſſe neceſſarias. Hæ tamen leges ut civiles, & rem civilem ſpectantes ſimul declarant Regum, & Principum eſſe de his ſtatuere; ita ut per Legem & Euangelium licita divortia non poſſint in uſu eſſe niſi admittantur ab iis penes quos eſt ſumma poteſtas quamobrem inter nos nullatenus ſunt uſurpanda, & ad Horatii remedium miſeris eſt confugiendum: *Levius fit patientia, quidquid corrigere eſt nefas.* Carm. l. 1. Od 24. ſed metuo ne longa diſſertatione omnem exhauſerim patientiam. Condona quęſo hanc prolixitatem deſiderio quęſtioni tuæ ſatisfaciendi. Vale Vir ampliſſime, & ſolitam benevolentiam perge prçſtare tibi addictiſſimo Stephano Morino.

STEPHANI MORINI,

De calumniâ Gentilium, Caput asininum esse Christianorum Deum.

DISSERTATIO VII.

ARGUMENTUM.

Insignia Tertulliani *&* Minucii Felicis *loca*, *de* Deo Christianorum, Ononychite. Ononychites, ἀπὸ τοῦ ὄνου καὶ ὄνυχος, *ab* asino, *&* *ungul:* *vel* Onocorsites, ἀπὸ τοῦ ὄνου κόρσης, *ab* asinino Capite. *In sacris* gentilium, *Latrator* Anubis, *Tricipitis* Hecates *simulachrum*, Serpentini Æsculapii, *&c.* Ouzelius *originem hujus Calumniæ arcessit à* Gnosticis. Gnostici Ἰὼ Σαβαώθ, Asini *vel Porci figuram adscribentes*; *Teste* Epiphanio. *Deus in S.Scripturâ*, *Dominus* Sabaoth. *Hæc calumnia Hæreticis* gnosticis, *& fortè ipso nomine* Christiano *antiquior*. Asini *adoratio à* De-

mo-

mocrito, Tacito, & Plutarcho Judæis *imputata*. Apionis Grammatici *mendacia*, *à* Josepho *validis argumentis refutata. Imaginum usus* Judæis *interdictus*; *Fatentibus* Dione, & Tacito. *Calumniæ in* Judæos *excogitatæ, etiam* Christianis *impositæ* Erasmi *suspicio quoad originem Hujus calumniæ*; *nimirum* Judæos *adorasse* ὄνον, *contractè pro* οὐρανὸν; *sed* Græcos *intellexisse* ὄνον, *id est*, Asinum. *Cœlum à* Judæis *cultum*; *juxta* Strabonem, & Juvenalem. Judæi *Cœlicolæ dicti. Deus Cœlorum nomine, in Sacris designatus*; *Quod variis S. Scripturæ locis ostenditur.* השמים ירחמו עליך, Cœli misereantur tui; Judæorum *voces ægrotum visitantium. Altera* Erasmi *conjectura? nimirum* Gentiles Cillum *pro* Cœlum *legisse.* Dores τὸν ὄνον, Κίλλον *nuncupantes*; *Teste* Polluce. Petronius & Juvenalis *illustrati.* Tanaquilli Fabri *observatio, Calumniam, à* *Tem-*

Templo Oniæ *deducentis.* Oniæ *Templum*, Ὀνιεῖον, & Ὀνίου ἱερὸν *nuncupatum*; *Sed errore & malitiâ*, *in* Ὄνειον, & Ὄνου, *depravatum.* Gafarelli *opinio*; *Scilicet*, Judęos Asinarios, *&* Asinicolas *dictos*, *quia instar* Asinorum, *ad onera & labores destinatorum*, *innumeris ceremoniis & observationibus onerarentur.* Judæorum *gens*, *Loco Matth.* 21:2. *per* Asinam *designata*; *juxta* Hieronymum, Chrysostomum, *& alios patres.* Fullerus *hujus fabulæ originem*, *ad* Anam Horæorum *principem refert.* *Aquae ab* Anâ asinos *pascente*, *inventæ*; *juxta* versionem Vulgatam, *in Loco*, *Gen.* 36:24. Moses *à gentilibus cum* Anâ *confusus.* *Authores beneficiorum in Deorum numerum relati.* *Magni* Bocharti *conjectura*; *Hanc calumniam natam esse*, *ex affinitate duarum vocum* Hebraïcarum, בדד, & בודד. בדד, Solus, *id est*, Deus: בודד, Solitarius,

rius, *id est*, onager. *Altera* Bocharti *conjectura, à nomine* יהוה *petita.* יהוה, *apud* Græcos patres *per* Ἰάω *redditum.* פי יהוה, Piiao, os Dei. Πιέω, Pieo, Ægyptiacè ὁ ὄνος, Asinus. *Præcedentes* Doctissimorum Virorum *observationes examinantur, discutiuntur.* Erasmi *Observatio ex* οὐρανοῦ, ὄνον, & ὄνον *facientis nimis violenta.* Ὄινος, Bacchus à Judæis *cultus; secundum* Plutarchum. Asininum caput *in* Siciliâ *in* Bacchi *templis asservatum & religiosè cultum.* Cillus & Cœlum *immane quantum à se invicem distantia.* Fabri *conjectura magis ingeniosa, quam verisimilis. Tota* Ægypti *præfectura* τοῦ Ὀνίου, Oniæ *dicta. Nomen* On *vel* Oniorum, *ab opulentiâ & robore dictum, & tempore* Jacobi *patriarchæ notum.* Ἡλίου μετρόπολις, *in quibusdam* Ptolomæi *exemplaribus* Ὀνίου μετρόπολις. Gafarelli *Sententiæ debilitas.* Heraclides Lyci-


cius *à rege* Ægyptio *scitè illusus.* Ægyptii, *servilem laborem per* asinum *clitellâ instratum, significantes; referente* Pierio. Fulleri *opinio refutata. Historia* Anæ *nullum respectum habens ad Templum* Hierosolymitanum. Maria Mosis *soror, in* Alcorano, *cum Virginè Deipara confusa. Nulla in* Anæ *Historia aquarum mentio.* ימים, *muli, non* מים. *aquæ, ab* Anâ *inventa. Prima* Bocharti *conjectura, magis erudita quam Solida.* בדד, Badad *non* Dei *nomen, sed ejus epitheton, cum ab ipso creaturæ removentur.* Sol *à* Ciceronè Solus *denominatus.* Sol Ἀπόλλων *dictus, ex* ἀ *privativo, &* πολὺς; *secundum* Chrysippum. בודד, Boded, onagri *epitheton, cum* Solus, *per desertum vagatur. Secundæ* Bocharti *conjecturæ magna apparentia. Complura vocabula, secundum diversas linguas, diversas habentia significationes.* אלי אלי, *à* Romanis *mili-*

litibus malè intellectum. Quidam, non longè à Romanorum *castris* Cauneas *clamans, à* Marco Crasso *intellectus, ac si diceret,* Cave ne eas; *narrante* Cicerone. Apionem Alexandrinum, *tum veteris* Ægyptiorum *linguæ, tum etiam linguæ* Hebraicę, *magnam cognitionem habuisse, non verisimile.* Pi-iao, *vox* Hybrida, *ex* Hebraico Pi, *&* Gręcâ *expressione* Jao. Nomen τετραγράμματον יהוה, Hebręis ἄῤῥητον, ἄφραστον, ἀνεκφώνητον ἄλεκτον & ἄφθεγκτον. Hebræi *loco* יהוה *semper pronunciantes* אלוהים, *aut* ארוני. Josephi, Philonis, & Maimonidis *de hoc nomine testimonia. Locus Levit.* 24: 16. *à* Rabbinis *malè intellectus, & à* Lxx. interpretibus *perperam redditus.* לעלם, *defectivè scriptum, in loco Exod.* 3: 15. *ex mente* Rabbinorum, *significat, Ad occultandum.* יהוה, *à* Lxx. interpretibus, Apostolis, & Hieronymo *redditur per* Κύριον. Deus Judæorum Ἰαω vo-

vocatus, *Testibus* Diodoro Siculo, Macrobio, Origene, Cyrillo, *&* Theodoreto. Ἰαὼ *forte ex* יה, Jah. *formatum*. Iosedek, *apud* Cyrillum, *per* Ἰαὼ δικαιοσύνην, *explicatum*. Nathania *&* Nethinæus, *ex* נתן, & יה, *compositum*. Doctorum virorum *opinionibus modestè refutatis*; *vera hujus* Calumniæ *origo indagatur*. *In sanctuario* Iudæorum Palmę & Cherubini. כרוב, *Secundum* Talmudistas, Sicut puer. Cherubini *quadruplici facie*, Aquilinâ, Bovinâ, Leoninâ, *&* Humanà. Ἐναντιοφανὲς *de contentis in arcâ*, *inter Loca Hebr*. 9: 5. *&* 1 *Reg*. 8: 9. *conciliatum*. *Relativum sæpius*, *non ad proximum*, *sed ad remotius subjectum*, *respiciens*, *quod Loco*, *Apoc*. 11: 1. *clarè ostenditur*. Urna Mannæ, *coram Testimonio reposita*. Urna *&* Asinus *eodem nomine dicta*, *&* *solis apicibus distincta*. *Apices vocum* חומר, & המור, *inter se commu-*

tati. Illustre hujus Commutationis exemplum, in Loco 1 *Sam.* 16: 20. *qui porrò excutitur. Hinc nata* Ægyptiorum *Calumnia* חכר, urnam, *pro* Asino *accipientium.* Urna, *cum ansis prominentibus, & ventre gibboso*, auriti asini caput *quodammodo referens. Alia observatio calumniam è* Græco *sermone arcessens.* Judæi *oracula accipientes* ἀπὸ νῦ, *à mente supremâ; Cavillantibus profanis*, ἀπ' ὄνυ, *ab* asino Ὁ νῦς, ὁ θεός, *mens* Deus *est; juxta* Trismegistum, Platonicos Judæos, *&* Patres. Ἀπὸ νῦ, & Ἀπ' ὄνυ, *facili negotio inter se commutantur; Quod illustri* Aristophanis *loco ostenditur.* Asini Ægyptiis *valdè odiosi; narrante* Plutarcho. Typhon Osiridis *hostis*, ὀνώδης τὴν χρόαν, Asinino *colore.* Asinus, Ægyptiis Δαιμονικὸν ζῶον. Persarum *regis, ad* Ægyptios *notabilis vox.* Asinus Ægyptius *proverbii loco.* Moses, *apud* Ægyptios Typhonis

nis *nomine designatus*, *Complures inter* Mosem *&* Typhonem *convenientiæ*; *Apud* Bochartum *&* Huetium. Typhon *è latere* Reç *genitus*; *Cum* Lxxii. *sociis in* Osiridem *conspirans*; Osiridem *in* mari rubro *Submergens*; *Denique in* Arimis *fulmine ictus*; *Quæ omnia sigillatim ad* Mosem *referuntur.* Neptunus *ab* Ægyptiis *vocatus* Μωσηλὰ Aquarum Deus; *narrante* Tzetze. Typhonis *cubilia* ἐν Ἀρίμοις; *Teste* Homero. Ægyptiorum Dii, Typhonis *metu*, *in animalia transientes.* Moses *cum* Osiride *non confundendus.*



TErtullianus Apolog. c. 16. gentes alloquens scribit: *Somniastis Caput Asininum esse Deum nostrum &c.* & paulo post: *Nova jam Dei nostri in ista Civitate proxime editio publicata est, ex quo quidam in frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam*

proposuit cum ejusmodi inscriptione, Deus Christianorum Ononychites: is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans & Togatus. Nefarius ille gladiator sic deridendam propinavit Christianam pietatem, & monstrum suum ἀπὸ τοῦ ὄνου & ὄνυχος ab *asino* & *ungue* Ononychitem vocavit; vel ut Vaticani Codices habent Onocorsitem ἀπὸ τοῦ ὄνου κόρσης à *Capite Asinino.* Sic Cęcilius apud Minutium Felicem de Christianis, *Audio eos turpissimæ pecudis Caput Asini consecratum inepta, nescio, qua persuasione venerari &c.* ridicula impietas hac calumnia, cum fingat in Christianis quod possit irridere, & revera inter Deos suos similia spectra habuerit, ut *Latrator Anubis*, caninum caput humano corpori impositum gerens, & alia quæ capita Leonina, Arietina, unumque Hecates simulachrum cum uno fœminæ corpore tria bruta capita habuit nempe equi, canis, & apri; ut mittam serpentinos Æscula-

Æsculapios, & Ægyptiorum feles, Crocodilos, & innumera portenta; sed ut ut absurda in ore gentium idololatrarum hęc calumnia & in se iniqua expedit scire unde originem habere potuerit; licet enim, ut optime Publii mimus: *malefacere, qui vult, nusquam non causam invenit;* Causa tamen vel ex levissima saltem suspicione excogitanda est. I. Ouzelus in animadversionibus ad Minutii Felicis Octavium, vult Gnosticos, exsecrandę hujus abominationis reos, occasionem praebuisse gentibus, eam ab illis ad Christianos traducendi, quia solemne gentibus, horum & similium haereticorum, nomen Christianum iniquè usurpantium, flagitia veris Christianis imputare, sane Epiphanius de Gnosticis agens scribit haeres. 26. §. 10 Φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν, οἱ δὲ χοίρου *dicunt autem horum quidam Sabaoth Asini figuram, alii porci habere;* Deus autem solet in scriptura nuncupari *Dominus Sabaoth.* id est, *exercituum,*

quamobrem verisimile est Domino exercituum tributam asini figuram, quam Gnostici illi *Sabaoth* tribuebant, & ut error vires acquirit eundo tandem additum sub illa figura Deum coli à Christianis. Fateor gentes sive malignitate sive errore saepe confudisse haereticos cum Christianis Orthodoxis hisque errores & impietates illorum attribuisse; Sed constat in hujus calumniae causa id non contigisse, quandoquidem atrox haec calumnia haereticos Gnosticos, & forte ipsum nomen Christianum antecessit; siquidem Damocritus, vel Democritus (utroque enim modo scribitur à Suida in *Damocritus*, & in *Iudas*, & utrobique) refertur scripsisse in libro de Judaeis χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν, κατὰ τριετίαν ξένον ἀγρεύοντες προσέφερον, καὶ καταλεπτὸν τὰς σάρκας διέξαινον, καὶ οὕτως ἀνήρουν. *Aureum Asini caput adorabant, & tertio quoque anno hospitem capiebant, offerebantque & carnes minutatim dissecantes sic interficiebant.*

Ta-

Tacitus etiam hist. lib. 5. c 4. de iisdem Judæis scribens, *effigiem animalis, quo monstrante errorem, sitimque depulerant penetrali sacravere &c.* & Cap præced scripserat: quod inopia aquę eos fatigabat, *cum grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit, & secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit.* Similiter Plutarchus Sympos. l 4. q. 5. de iisdem Judæis τὸν ὄνον ἣ ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν. *Asinum qui ipsis ostenderat aquarum fontes venerantur.* Josephus ipse lib. 2. Contra Apionem, inter cęteras hujus adversarii imposturas asininum illud caput, & captivum ad sacrificium & epulas, in templo saginari solitum refert, validisque argumentis mendacium esse malitiose excogitatum, nec Antiochum Epiphanem Templi Hierosolymitani expilatorem, nec alterum Dei cognomen usurpantem, nec Pompejum Magnum, aut Licinium Crassum, Titumve Cęsarem qui

quod vocamus cœlum, & mundum, & Juvenalis ſatyr. 14.

Nil præter nubes, & cœli numen adorant.

Unde *Cœlicolæ* dicti Cod. lib. 1. t. 9. *de Iudæis & Cœlicolis*, quod ex ipſa Iudæorum conſuetudine potuit emanare, Deum enim Cœlorum nomine ſolent deſignare, ſic Daniel. 4. 26. Nebucadnetſari promittitur Regnum ejus fore ſtabile, ſimul atque agnoverit, *Cœlos dominari*, id eſt, Deum Cœlorum Dominum, 1. Macch. 3: 18. *non eſt differentia in conſpectu Cœli liberare in multis, aut in paucis.* Sic enim legitur ſecundum Manuſcriptum Alexand. & plurima exemplaria, quamvis quaedam habeant expreſſum *Dei* nomen, Matth. 21: 25. Chriſtus etiam ait: Baptiſma Ioannis unde erat? è Cœlo an ex hominibus? *è Cœlo*, id eſt, *à Deo* Luc. 15: 18. *Peccavi in Cœlum*, id eſt, Deum & Luc. 7: 28. *Regnum Dei* dicitur, quod Matthæus

Reg-

Regnum Cœlorum nuncupaverat, Cap. 11:11. Quare ipsi Iudaei aegros visitantes solent his verbis uti: השמים ירחמו עליך *Cœli misereantur tui.* Sic Poëta

...... *Cœlo gratissimus amnis.*

Haec primam Erasmi conjecturam adjuvant, non tamen in ea ita acquiescit, quin alteram proferat in medium, observetque cœlum facilius adhuc potuisse in asinum mutari; sufficiet enim legisse *Cillum* non Cœlum: Κίλλον autem τὸν ὄνον οἱ Δωριεῖς nuncupant, *Dores Cillum, quod alii Cœlum*, teste Polluce lib. 7. c. 13. & licet diversissima prima fronte videantur illa vocabula, attamen nonnunquam videmus revera ea confundi, ut apud Petronium Arbit. satyr.

Iudæus licet porcinum numen adoret,
Et Cœli summas advocet auriculas.

Hæc

Hæc enim vulgaris lectio, & vota Judæorum Cœlicolarum ad aures Cœli directa intelliguntur; At alii non Cœli, sed Cilli legunt, & fortasse melius: nam quid in Cœlo commune cum auribus? at ironicè cilli aut asini auriculæ recte dicuntur, quia hoc animal præ cæteris auritum; quin probabile etiam legi debere apud Juvenalem....

Et *Cilli numen adorant.*

Tanaquillus Faber nostras, cujus varia eruditio & solertia celebres sunt, probabiliorem adhuc conjecturam ex Onia, qui Templum Judaïcum in prefectura Heliopolitana Ægypti condidit, deducere videtur; Templum enim illud cultui Divino secundum Judæorum Leges dicatum dici debuit, Ὀνίου ἱερὸν & Ὀνιεῖον; proclivis autem error, impellente imprimis malitia ab ὀνίου & ὀνιείου, ad ὄνον *asinum*, & ὄνειον *asininum*; unde cultui asini dicatum rituum ignari facile collegerunt. Videatur lib. 1. epist. 6.

Ga-

Gafarellus in curiosit. inaudit. c. 1. §. 3 meram calumniam autumat, cui summum erga Deum obsequium, & onerosa multorum præceptorum observatio ansam prębere potuerunt, ut scilicet asinarii dicerentur, quia instar asinorum ad onera & labores destinatorum, innumeris ceremoniis, & observationibus onerarentur; hinc *asina* designat Judæorum gentem Matth. 21. secundum S. S. Hieronymum, Chrysostomum, & plurimos Patres: Sic Judæi coluisse asinum dicuntur, aut caput asininum in suo templo habuisse, quod patientiam asininam sua devotione exhiberent, & infatigabile hujus animalis obsequium imitarentur.

Nicol. Fullerus miscell. l. 3. c 8. antiquum Horæorum principem *Anam* hujus fabulæ originem refert; quia enim refertur Gen. 36: 24. cum, pascendo patris sui asinos, invenisse *aquas*; secundum vulgatum & nonnullos antiquos interpretes teste S. Hieronymo quęst. Ebraic. in Genes.

gen-

gentes suam consarcinasse fabulam, & (confundendo Mosem cum Ana, cujus refert historiam, & *diversa* tempora) dixisse, quod laborasset *siti*, & cultu remunerasset asinos ob aquas in extremo periculo ab ipsis monstratas; sane is mos erat gentium, & auctores aliquorum beneficiorum solebant in Deorum numerum referre, & cultu religioso prosequi, ut apud mythologicos autores nihil frequentius.

Denique magnus Bochartus collega olim præstantissimus, cujus incomparabilis eruditio, & acerrimum judicium apta nata videbantur ad res abstrusissimas in lucem proferendas & illustrandas eas, quæ densissimis tenebris involutæ erant, non *dedignatus* est post alios hujus *fabulæ* scrutari rationes, duasque profert; prima affinitati duarum vocum Ebraicarum innititur, quarum una Deum, altera onagrum significat, scilicet בדד *badad*, id est, *solus* Deus dicitur Deut. 32: 12. & בודד *boded* onager,

ger, quasi *solitarius* dicitur Hos. 8. 9. hac affinitate autem abuti potuerunt impii ad numinis ipsis ignoti contumeliam; altera petitur à proprio Dei nomine, quod ob summam venerationem, ne quidem pronunciare audent Iudęi, & legitimam etiam ejus pronunciationem tandem dedidicisse videntur; Patres autem & antiqui auctores Græci per ἰάω efferunt: jam vero nihil frequentius in sacris Iudęorum litteris quam consulere *os Dei*. loquutum *Dei os* &c. Ebraice autem *os Dei* est, פי יהוה sive secundum eorum pronuntiandi modum Piiao? Ægyptiacè autem Πιεο *Pieo*, interpretatur ὁ ὄνος *asinus*, in Ægyptio nomenclatore Ibnocabari à Kirchero Iesuita edito p. 166. quamobrem Ægyptii abominando scelere potuerunt Ebraïca verba secundum linguę suæ sensum interpretari, & quia audiebant Deum loqui, & sua Oracula edere in Sanctuario contumeliose dicere, quod asinus in eo esset, & caput asininum

in eo loqueretur; horresco tantam referens impietatem? cum summo illo viro.

Eruditas has Doctissimorum Virorum observationes suspicio, fateor tamen in iis me non acquiescere, & cum conjecturæ tantum sint in iis quædam desiderare, quę impediunt, quominus probabiles habeantur. Nimis violenter ex οὐρανοῦ υἱὸν facit Erasmus, ut tandem ὄνον habeat, si ludere licet in verbis affinibus, οἶνον facilius invenisset, quod vinum significat, & pro Baccho acciperetur, quem cultum à Iudæis refert *Plutarchus*, asinus autem honorificum locum in Bacchi sacris obtinuit, & ipsum caput asininum asservabatur in Sicilia in Bacchi Templis, religioséque colebatur, & super eo mulieres adulterii suspectæ jurare cogebantur. Ad Cillum quod spectat tantum à Cœlo abest, ut *nullis* fidiculis possit cum ipso componi, præterea de capite tantum asini agitur. Fabri conjectura ingeniosa est & docta:

docta: primoque aspectu arridet, sed sensim verisimilitudinis species evanescit; non tantum enim discrimen est inter nomina. τοῦ ὀνίου & ὄνου, aut ὀνιεῖον, & ὀνεῖον; sed tota præfectura τοῦ Ὀνίου, Oniæ dicta, & consequenter sępius diceretur: Imus εἰς τὴν ὀνίου, *in regionem Oniæ*, quod nomen licet ad asinum Græcis auribus proxime accedat: nemo tamen propterea dixit hanc pręfecturam asinorum cultui deditam; cur igitur diceretur non Templum Onię dumtaxat, sed Templum Hierosolymitanum propter idipsum capitis asini cultui dicatum? præterea etsi ab Onia Iudæo Templum illud denominatum, tamen contigit totam regionem sic etiam denominari, at non à Iudęo, sed ab opulentia & robore adhuc vivente Iacobo Iudaeorum parente: nam Gen. 41:45. *præfectus Onii*, vel *Oniorum* memoratur, & ejus filia in uxorem datur Iosepho; absurdum est autem ut Ægyptii nomen antiquissimum & inter eos celebre ex Lingua Græca inter-

interpretandum putent in Iudæorum contumeliam, quod ipsis longe contumeliosius foret, cum totam regionem & ejus Metropolim Heliopolim eadem infamia aspersissent: quin non constat Templum ab Onia denominatum Ὀνεῖον, & à regione celeberrima probabile denominari, si hoc nomen ipsi tribuitur: nomen autem illud antiquum ipsis Græcis non inauditum, cùm in quibusdam Ptolemæi exemplaribus ὀνίου μητρόπολις diceretur, quę in aliis vocatur, Ἡλίου μητρόπολις.

Gafarelli sententia sufficeret ad explicandum asinariorum elogium si Iudæis daretur; sed ad dicendum, quod caput asini in sanctuario suo habuerint, illudque coluerint, *inepta* est: gentes igitur effrænæ *potuerunt* quidem Iudæos sub legis jugo laborantes cum asino *cui onus convenit*, Eccles. 33: 24. conferre, & laborem cum asino confundentes, asinarios pro laboriosis vocare, non secus ac Rex ille *Ægyptius*, qui Herac-

raclidi Lycio offerenti librum cui titulum fecerat πόνυ ἐγκώμιον, *laboris encomium*, ſcite illuſit, prima littera obliterata ut encomium ὄνυ *aſini* ſupereſſet, quod laboris laus in aſinum recidat, ut refert Pierius Hierogl. l. 12. additque *ſervilem laborem per aſinum clitella inſtratum* ſignificaſſe Ægyptios; at cultus diſtat à labore, & quo labori magis affinis eſt aſinus, eo alienior ab objecto cultus propter quod laborabant Iudæi.

Ad Fullerum quod ſpectat merito obſervavit nonnullam affinitatem habere Anæ aſinos paſcentis, & aquas invenientis hiſtoriam, cum fabula de Moſe ſiti laborante & aſinorum opera fontes inveniente. At hoc nihil confert ad capitis aſinini cultum, neque ullum habet reſpectum ad Templum Hieroſolymitanum multis poſt ſæculis conſtructum: adde ingens intervallum dividens ſęcula Anae, & Moſis, impedienſque ne confundantur, & in unam fabulam evadant; verum quidem fabulas quae veritatem

non curant, temporum rationem paucam habere, teste Alcorano cap. 4. confundente Mariam Mosis sororem, cum Virgine Deipara neglectis duobus annorum millibus intercedentibus; quod igitur est majoris momenti, nulla in Avæ historia aquarum mentio: ימים jemim *mulos*, non מים maim *aquas* invenisse dicitur, diversasque has voces, diversasque earum significationes confundere non potuerunt orientales, neque Ægyptii imprimis: nam Arabes contermini probe intellexerunt hanc vocem, quam per אלבגל *mulos* reddiderunt in versione Genesis. Denique asinis inventum illud non est tribuendum, sed asinorum pastori, qui speciem equinam cum asinina arte aut casu conjungi posse expertus est.

Bocharti Illustrissimi supersunt conjecturæ, quas obiter dum de mulis ageret exposuit, prima part. Hiero. 7. l. 2. c. 12. ut posteros ad exercendam industriam excitaret, donec ali-

aliquid certius inveniretur; sat clare enim testatus se in iis non acquiescere; quare ut ei morem geramus, & cum debita observantia declaremus sententiam nostram, fatemur in prima plus eruditionis & industriç, quam soliditatis apparere cum *badad* non sit nomen Dei sed tantum epitheton ei conveniens, cum ab ipso creaturæ removentur, & *solus* dicitur; hæc vox enim *solum* significat, & rebus omnibus convenit, & tribuitur, quotiescunque solitarie agunt; & sol verbi gratia ita solus est, ut inde denominetur, *quia* (inquit Cicero 2. de nat. deor. §. 68.) *Solus ex omnibus syderibus est tantus, vel quia cum est exortus obscuratis omnibus solus apparet*; ob eandemque rationem secundum Chrysippum dictus Ἀπόλλων ab à privativo & πολύς. *Boded* etiam *solus* est, & onagro tribuitur, quia sæpe solus invenitur, & domestici etiam: unde & vernacule *baudets* etiam dicimus; sed cum nulla res sit, quæ se-

secundum aliquam rationem sola non possit dici, nullo modo sufficit, ut unus aut alter soli dicantur, ut inter se confundantur, quia solę, ut ejus solus dicerentur. Non est igitur hęc conjectura comparanda cum altera in qua omnia quadrant, Origo calumniæ, cujus nec Ægyptius auctor perhibetur, petitur ex Lingua Ægyptiaca, qua verbum Ebręum malitiose intelligitur; nihil autem frequentius quam occurrere vocabula secundum diversas Linguas habentia diversissimas significationes; nihil etiam frequentius quam in sensu Linguæ suæ ea excipere, & Ægyptium Ebraïca, si possit Ægyptiace intelligere, in sensumque convenientem Lingue suę deflectere: sic Christo in cruce clamante אלי אלי, *Eli, Eli, Deus meus, Deus meus*, Romani milites putaverunt, quod Eliam vocaret, quia hęc verba Ebraïca, non multum differunt à nomine Elię Romano more enunciati; Ebræi enim dicunt *Eliahou* longe dissimili sono; sic

ſic à Romanis verſus in omen clamans *Cauneas*, licet enim ficus ex oppido Æolidis Caunæ dicto venales exponeret, viſus tamen eſt dicere, *Cave ne eas* M Craſſo Romanum exercitum in funeſtam expeditionem ducenti: itaque veriſimillima eſt Viri Doctiſſimi conjectura; eſt tamen aliquid quod pronam in aſſenſum mentem pauliſper remoretur; ſcilicet vetus Ægyptiorum Lingua qua *Pieo* aſinum ſignificabat, in deſuetudinem abierat, & à quadringentis annis à Græca quam victor Alexander introduxerat in Coptum urbem Æthiopiæ fere conterminam fuerat relegata; quamobrem Apion Alexandrinus inter Græcos educatus, & in urbe à Græcis condita degens Græceque ſuos omnes libros ſcribens, vis potuit tantam obſoletæ linguæ cognitionem habere, ut ea apposite uteretur ad deflectendum à natuvo ſenſu verbum Ebręum & in ſcelus, cujus ne minima quidem ſuſpicio hactenus inciderat, commu-

tandum: debuit insuper probe callere Linguam Ebræam, à Iudęis praecipue Alexandrinis etiam ignotissimam, ut verbum suae calumniae aptum tam ingeniose seligeret: praeterea utramque linguam licet perfecte calluisset, vix potuit hanc suae calumniae ansam adaptare, nam *Pieo* est nomen cum suo articulo asinum significans; at *Pi-iao* sunt duo vocabula absque articulis enunciata, ut cuivis patere potuit, & quod praecipuum est Graece & à Graecis *iao* usurpatum, non ab Ebraeis Ebraïcè loquentibus, sic igitur hybrida vox erit *pi iao pi* enim Ebraïce *os* significat, & *iao* erit Graeca expressio nomini Dei: quod Ebræi propriis vocalibus fugiunt exprimere, sed modo ex nomine אדוני modo ex אלוהים mutuantur, ut ejus loco semper pronuncient aut Elohim, aut Adonai: si igitur de oraculo sanctuarii interrogati respondissent *os Dei* loquutum, dixissent *pi elohim* aut *pi adonai*, non vero pi-

iao,

iao, cum hoc nomen vocent ἄῤῥητον, ἄφραστον, ἀνεκφώνητον, ἄλεκτον, & ἀφθεγκτον, & cum specialius designare coguntur à numero litterarum τετραγράμματον vocant: hinc Iosephus Ebręus & Sacerdos antiq. l. 2. cap: 5. scribit Deum Mosi designasse τὴν ἑαυτοῦ προσηγορίαν, οὐ πρότερον εἰς ἀνθρώπους παρελθοῦσαν, περὶ ἧς οὔ μοι θέμις εἰπεῖν, *nomen suum nunquam antea hominum ulli auditum, quod mihi eloqui nefas est.* Respicit ad Exod. 6: 2. ubi Deus se primum Mosi manifestasse nomen suum יהוה dicit quia nomen illud constantiam & fidelitatem ejus immotam, quam promissis stando & adimplendo manifestabat, exprimit. Sic Philo de vita Mosis testatur auream laminam, qua instar coronę caput Pontificis cingebatur, habuisse τέτταρας γλυφὰς ὀνόματος ὃ μόνους τοὺς ὦτα, καὶ γλῶτταν σοφίᾳ κεκαθαρμένους θέμις ἀκούειν, καὶ λέγειν ἐν ἁγίοις, ἄλλῳ δ' οὐδενὶ τὸ παράπαν οὐδαμοῦ: *quatuor insculptas litteras nominis illius quod solis auribus, & lingua sapientia purgatis fas est audire,*

audire, nominareque in sacris, præterea nemini. Purgatis autem illis Pontifices intelligit, & Exod. 28:36. patet revera nomen tetrogrammaton insculptum fuisse Tiaræ Pontificiæ. Sic sapientissimus Rabinorum R. Moses ben Maimon in Iad chaz. tom. 1. l. 2. Ahau. tract. de orat. & bened. sacerd. c. 14. §. 10. ואומר את השם ככתבו והוא השם הנהגה מיוד הא ויו הא וזה הוא השם המפורש האומר בכל מקום ובמדינה אומין אותו בכינוי הוא באלף דלית שאין מזכירין את השם ככתבו אלא במקדש בלבד וגומ *&* (benedicens populum) *pronunciat nomen ut scribitur; scilicet nomen quod constat litteris, iod, he, vau, he, & dicitur nomen expositum* (quia essentiam Dei immensam & æternam omnes temporis differentias complectentem exponere videatur) *in omni loco, & urbe quavis illud pronunciant, secundum vocales ipsi adscriptas seu per adonai, sed sicut per suas consonantes exprimitur nomen illud non proferunt,*

nisi

nisi in Sanctuario solo &c. quin addit: ומשמת שמעון הצדיק פסקו הכהנים מלברך בשם המפרש, אפי׳ במקדש, כדי שלא ילמוד אתו אדם שאנו חשוב *a morte Simonis Iusti* (quem excepisse ulnis Dominum quidam; alii nepotem Iadduæ qui Alexandro Magno obviam fuisse putant) *desierunt Sacerdotes benedicere per nomen expositum in ipso Sanctuario etiam, propterea ne aliquis qui non esset dignus illud disceret*, & cęteri Rabini hujus Vestigiis insistunt; nec mirum, cum Sacrum Textum ipsis pręire credant Levit. 24: 16 ונקב שם יהוה מות יומת quod 70 reddiderunt ὀνομάζων τὸ ὄνομα κυρίου θανάτῳ θανατούσθω quod ad verbum significat: *nominans nomen* יהוה *morte moriatur*, imo observant Deum ipsum dixisse de hoc nomine venerando Exod. 3: 15. זה שמי לעלם *hoc nomen meum ad occultandum.* Licet enim *Legnolam* significare soleat in ęternum, quia hic defectivè scribitur volunt significare *ad occultandum* quo pateret non debere pronun-

nunciari secundum propriam scripturã, ut videre est in Comment. R.D.K. in h. l. etiam 70 interpretes in eadem fuisse sententia videntur quandoquidẽ יהוה non exponant secundum propriũ sensum, sed per *κυριον dominum*, ut etiam Apostoli nostri post ipsos, & S. Hieronymus, quasi legerint omnes Adonai *Dominum*, quod expresse etiam confirmatur Exod. 6: 3. nam in Textu est יהוה, & versio vulgata cujus auctor præcipuus habetur S. Hieronymus reddit Adonai. Iamvero videre non possum qua ratione Apion à Iudæis audire potuerit nomen illud, quod uno ore testantur illius temporis Iudæi non fuisse pronunciatum nisi in Sanctuario a Pontificibus, & consequenter cæteris Iudæis ignotum, nam cum modulatione quadam vocis ita tunc volunt pronunciatum, ut genuinus sonus non perciperetur; imo eo etiam seculo penitus desiisse ejus pronunciationem; non video, inquam unde uni Apioni Prophano innotescere

potu-

potuerit, cùm vice ejus nomen Adonai enunciarent; dicendum est didicisse à Scriptoribus Prophanis qui antequam Iudæi ab ejus pronunciatione abhorrerent, illam didicerant; Sane Diodorus Siculus Lib. 1. & Macrobius Saturn. l. 1. c. 18. ex Clario Apolline Deum Iudæorum Ιαώ vocant; quemadmodum etiam Patres & Origenes contra Celsum l 6. Cyrillus in Agg c. 1. & Theodoretus in 1. Paral. at nova exsurgit difficultas: non constat enim Augustissimum Dei nomen, quod per Elohim aut Adonai efferre solent Iudaei, per ιαώ expressum; nam ιαώ ex יה iah potuit formari, aspiratione in extremitate vocis graecis auribus insolita in ω transeunte, quod suadet S. Cyrilli locus, ubi Iosedek explicatur ιαώ δικαιοσύνην, fit autem ab יה iah & Sedek: sic Theodoretus quaerens Nethineorum originem observat componi ex ιαώ & voce *donum* significante, nempe נתן Nathan; revera ex Nathan & iah fit Nathania & inde Nethinaeus: sed

ſed quod imprimis obſervandum, *ſi à* Graecis auctoribus nomen Divinum *Ιαὼ* diſcere, & audire potuit Apion, non potuit ab iiſdem diſcere quod פי pi ſignificet *os*; ſi a Iudaeis autem referri quoddam oraculum audivit ad *os Dei* פי *pi* quidem dixerunt, ſed Adonai aut Elohim conjunxerunt, quod calumniae ejus locum dare non potuit, cum utrumque vocabulum ſimul junctum ei neceſſe ſit: haec obſtant ne ingenioſiſſimae conjecturae cum applauſu aſſentiar, aſſentientibus tamen minime obſiſtam.

Temerarium eſſet palmam quaerere in campo, quem tot praeſtantiſſimi viri percurrerunt, ſed licet eorum exemplo induſtriam exercere, & quae intacta reliquerunt *rimari*; irrumpamus itaque in Sanctuarium Iudaeorum, & conſideremus omnia ejus ornamenta, ut videamus an aliquod fuerit quo abuti potuerit Apion ad aſtruendam ſuam calumniam; id enim eſt in quaeſtione, &

in

in Sanctuario asservatum & cultum caput asininum dixit audax ille Iudaeorum adversarius: jam vero in hoc Augustissimo Dei Sacrario undique radiabant *Cherubini* Palmis immixti, iisque circumstantes muri decorabantur; duoque insuper propitiatorio incumbebant, at nihil commune Palmis aut Cherubinis cum asino; licet enim de Cherubinorum forma non constet, & alii similes pueris alatis putent, quod nomen videtur innuere si כרוב *Cherub* significet *sicut puer* secundum Thalmudistas, R. S. I. & R. Levi ben Gerson, Abarbanelemque; alii ex Ezechiele c. 1. velint unumquemque Cherubinum quadruplici facie nempe aquilina, bovina, leonina & humana fuisse praeditum, ut absque ulla retrogradatione, aut declinatione in quatuor mundi partes semper conversi currum Divinum trahere valerent, ad designandum promptissimum illorum obsequium, cùm in omnes partes sint semper conversi ad

exsequenda Dei mandata; nemo] ta-
men asininam formam ipsis unquam
assignavit, & inter has nulla est quae
ad eam tantisper accedat. Arca in-
super in illo Sanctuario adfuit, quae
nullam habet cum capite asini simi-
litudinem, thuribulum etiam aequè
dissimile. Restant virga Aaronis, quae
germinavit urna mannae in monu-
mentum asservatae, & duae foederis
tabulae, quae contenta intra arcam
dici videntur Ebr. 9:4. Contra vero
1 Reg. 8:9. & 2 Cron 5:10. Scribi-
tur quod *nihil erat in arca præter
illas duas tabulas quas collocaverat
Moses in Horeb.* quam contradicti-
onem Scaliger in Scaligeran. arbitra-
batur insolubilem; nullo tamen nego-
tio solvitur, siquidem Ebr 9:4. de-
scripserat τὴν σκηνὴν ϗ τὴν κιβωτὸν cū scri-
bit ἐν ᾗ urna mannae, Virga, & tabu-
lae foederis; nihil autem impedit; quo
minus ἐν ᾗ σκηνῇ in tabernaculo dici
repositas urnam, Virgam, & tabu-
las cum ipsa arca; non vero in ipsa
arca inclusa fuisse; neque *obstat*
quod

quod arcae mentionem proxime fecisset: nam frequenter relativa non ad proximum, sed ad remotius subjectum referuntur, sic Apoc 11:1 prius mentio fit τοῦ ναοῦ, Et paulo post τοῦ θυσιαστηρίου, mox autem adorantium *in eo*, id est, in templo remotiore, non in altari licet propiori, Cum altare non contineret adorantes: ne tamen illa transpositio videatur incommoda eo quod immediate Paulus arcae, non tabernaculi descriptionem continuat, altera solutione utar, dicamque ἐν ᾗ latiori sensu dici, & designare quidem tabulas in arca inclusas, virgam vero & homer *juxta* illam, & in tabella ei adjuncta appositas; sic in pro *juxta* usurpatur, ut Iudic. 18: 12. Danitae Castra metantur *in urbe* Chiriathiehatim, id est, *juxta illam*; sane Exod. 16: 34. *Coram testimonio*, id est, arca testimonii, urna illa reponitur, & in conspectu Dei, non in occulto inter arcae latebras: itaque oculis pontificis sanctuarium ingressi patebat, & virga etiam, sed haec

non referebat speciem asini, & ab eadem specie non minus aliena videtur urna; Cum tamen sola supersit urna in ea vel nullibi quærendum Caput asininum, aut saltem illius imaginaria species, & umbra; forsitan non absque successu: sciendum enim eodem nomine, & urnam, & asinum dici, & alterum ab altero solis apicibus non solitis adscribi discriminari; nempe urna dicitur חומר *Chomer*; *asinus* vero חמור *Chamor*; quin non proprie apicibus, sed fere sola eorum transpositione differunt, & adeo leve illud discrimen ut vix, ac ne vix quidem a Doctissimis Ebræorum observetur imo ipsi illi apices inter se commutantur, exemplo res clara fiet 1 *Sam.* 16: 20. *Cepit Isai* חמור *Chamor panis, & lagenam vini, & unum Hædum Caprarum, & posuit in manum Davidis &c.* quæritis quid sit hic חמור? Si apices quibus hæc vox ad significandum asinum solet determinari, considerentur, asinus *erit*, ac

Lagena

Lagena vini contra requirit, ut certa panis copia ei respondeat; preterea certa panis quantitas, lagena vini & hædus in manum Davidis poni possunt, at asinus & hæc male simul collocarentur in manum pueri, cum manu non ducatur asinus, sed stimulis à tergo cogi debeat; saltem ejus tergo imponendus fuisset David cum his sarcinis: sane 70 pro certa mensura panis acceperunt, reddunt enim, καὶ ἔλαβον Ιεσσαὶ γόμορ ἄρτων, καὶ ἀσκὸν οἴνου, *& sumpsit Iesse Chomer panum, & utrem vini &c*, Sic vulgo Grecæ editiones, sed Complutensis ut alias nonnunquam utramque significationem conjunxit, meliorem non agnoscendo, habet enim: καὶ ἔλαβον Ιεσσαὶ ὄνον, καὶ ἐπέθηκεν αὐτῷ γόμορ ἄρτων, *& accepit Jesse asinum & imposuit ipsi Chomer panum &c.* Contra R. D. Kimchi anceps & dubius inter utramque significationem, quam exponit remanet, & lectoris arbitrio liberam utriusque concedit electionem his verbis:

 חמור

חמור לחם ,המור טען לחם ,ונאד
מלא יין ,ו״תי ,טעון חמרא ולחם ,וי״מ
חומר או צבור ,כאשר שופטים ,טו ,בלחי
ההמור ,חמור חמרתים. *Asinum panis, id est, asinum onustum pane, & utrem vino plenum; sic interpretatus est Ionatan in Chald. par. onustum vino & pane: & sunt qui interpretantur quasi esset Chomer sive acervus, quemad Iud.* 15:16 *in maxilla asini acervũ, acervos:* (ubi asinus & acervus nullo discrimine scribuntur) *& Exod.* 8: 13. *de acervis ranarũ* Igiturin confesso est ex Ebræis 70 & illos quos commemoravit Kimchius pro mensura quæ urna aut homer dicitur accepisse chamor sive asinũ; contra Chaldæus interpres, Syrus, Arabs, & vulgatæ auctor asinum interpretantur eamdem vocem, & consequenter utraque significatio potest ei merito tribui, quid igitur proclivius fuit quam vocem ambiguam & secundum quosdam asinum, aut urnam indifferenter significantem, pro asino usurpasse, & dixisse asinum in Sanctuario asservari & religiose coli, quia urna

urna mannæ divinitus datæ, ac in æternum hujus doni monumentum asservatę in Sanctuario accuratè & religiosè conservabatur? Id sane facillimum factu ab Ægyptiis malevolis, & Iudaïcę religioni infensissimis, à Iudęis enim sciscitantes quid magnificum esset in Sanctuario, quod tantopere venerabantur; audierunt nihil præter Arcam, Cherubinos, Virgam Mosis, Tabulas Legis, & Chomer; aliasque discentes Chomer & Chamor asinum significare, suam calumniam illico fabricaverunt. Non multum interest, quod caput asini, non totum asinum dixerunt coli in Sanctuario, cum multa sibi concedant calumniatores; non improbabiliter tamen dici potest reclamasse contra hanc imposturam Iudęos, & asseverasse vocem illam ambiguæ significationis posse significare aliquando asinum; sed cum de Sanctuarii vasibus agitur significare urnam; unde arripuerunt occasionem dicendi esse tantum caput asini, quia

urna cum ansis utrinque prominentibus, & ventre gibboso magis caput auriti asini, quàm totum asinum referre videtur: hæc conjectura nostra, quæ melioribus nullum afferet præjudicium. Non videtur autem improbabilis, cum ambigua significatio cui innititur, luculento exemplo probata fuerit, nec ut agnita sit ab Apione magna Linguæ Ebraicæ cognitio fuit necessaria, cum nomina propria mensurarum & inter sermonem vulgarem Iudæorum remanserint, & hoc ipsum Chomer in Grecis editionibus exstet. Si tamen inter Grecos & Iudæos Hellenistas nata calumnia è Græco sermone petenda esset; dicerem Iudæum Sanctuarii sui oraculum jactantem autumasse, quòd populares sui monerentur officii ἀπὸ νοῦ *à mente suprema*, ὁ γὰρ νοῦς ὁ θεὸς, *mens enim Deus est*, inquit Trismegistus in Pimandro cap 1. Sic platonici omnes loquuntur, sic Patres etiam nonnunquam, & Iudei ipsi, ut *Philo*

sępis-

sępissime, sed ob Trismegistum antiquissimum Ægyptiorum sapientem sic maxime loqui voluit: at nulla literula mutata, & levi dumtaxat imperceptibilique distinctione cavillator excepit ἀπ' ὄνε *ab asino*, & impiè propriis verbis arguere sategit Iudæum horrenda absurditate, quod consuleret & venerarctur, in Sanctuario suo asinum, aut caput asini dumtaxat, quod nulla figura appareret, sed vox sola audiretur: neque mirum malitia & impietate sic potuisse bona verba in pessimum sensum detorqueri, cùm incogitanter id alias contigerit in hoc Aristophanis versu Nub. act. 4 scen. 5. ἢ δῆτα ληρεῖς, ὥσπερ ἀπ' ὄνε καταπεσὼν, *nugæ, ut qui potius decidisti ab asino*: Scholiastes enim observat optime etiam legi ἀπὸ νε̃, & proverbialiter referri à Platone, cùm inepti sint qui ab asinis lentè decidunt, & qui etiam à mente excidunt, quod igitur fortuito huic versui contigit, potuit idem Iudæi verbis accidere.

Tandem operæ pretium est disquirere cur asinus ab Ægyptiis in hac fabula prę aliis animalibus electus; procul dubio id à summo in asinos odio profectum: Ægyptii enim omnium animalium, insectorum etiam & plantarum cultores infensissimo odio prosequebantur solos asinos; cujus odii varias causas refert Plutarchus de Isid. & Osir. quarum potior petitur à Typhone capitali Osiridis eorum Dei pręcipui hoste, quem volebant ὀνώδη τὴν χρόαν asininum colorem habuisse; etiam τὸν ὄνον οὐ καθαρὸν ἀλλὰ δαιμονικὸν ἡγοῦνται ζῶον εἶναι, asinum immundum, & Dæmoniacum esse animal; unde in quibusdam sacris asinos è pręcipitio dejicere, & mactare solebant, quin Busiritas, & Lycopolitas à Tubarum usu abstinuisse, quod harum sonus cum asinorum ruditu quamdam habere similitudinem videatur; & omnes Ægyptii persarum quemdam Regem, quem odio plusquam Vatiniano prosequebantur, in contume-

liam

liam vocabant *asinum*, ut scelestum & impurum significarent; unde ipse dicebat ὁ μέντοι ὄνος οὗτος ἡμῶν κατευωχήσεται τὸν βοῦν, *hic asinus vestrum bovem epulabitur*, & revera victor Apim mactavit: denique quidquid noxium & funestum habet natura Typhonis esse dicebant, & consequenter asinum ad Typhonem pertinentem furialiter oderunt; unde in proverbium abiit *asinus Ægyptius*, de iis qui probris, contumeliis & omnium injuriis sunt obnoxii: nempe Typhonis nomine Mosen, cujus plagis tota pene Ægyptus corruit, designabant, & quia Exod. 4: 20. cum asino ad petendam Ægyptum intendit iter, ut ejus adventum execrentur, sæviunt in asinos, & quo impensius eos detestantur, eo Iudæis putant esse contra venerabiliores; unde non potuerunt non arripere avidissime calumniam de asino ab iis culto, Non opus est ut probem Mosis cum Typhone similitudinem, sufficiet legisse tractatum memora-

tum

tum Plutarchi de Isid. & Osirid. & Bochartum Hierozoic. part. 1. l. 2. c. 34. qui in lucem solertissime profert convenientias plurimas fabulosa Plutarchi narratione involutas; Clarissimumque Huetium in sua demonstratione Euangelica propos. 4. c. 4. §. 9. qui Bocharti vestigia premit; sed nova figit, in eodem Mose Osirim etiam quærens; licet enim ob omnigenam ejus eruditionem, & fœlicis ingenii acumen plurima congerat argumenta, quibus vim non contemnendam longa, & continuis officiis exculta inter nos amicitia superaddit; attamen contra stant comparatio inter utramque nominatim à Plutarcho instituta, variæque inter eos pugnæ, & contentiones: Plutarchus enim dicit, ex eadem Rea matre ortos, licet Typhon non ex eodem loco, sed è latere prodiisset; scilicet à Thermuti genitus Osiris, quæ antea adhuc conjugii expers curaverat Mosem educari ipsi in filium Exod. 2: 10. aut ipsa *educavit in filium*,

lium, Act. 7:21 aut ut Iosephus antiq. l. 2. c. 5. παιδοποιεῖται *adoptavit in filium*; adoptio autem ab amore & parte cordis non à natura proficiscitur; addit cum 72. sociis conspirasse in Osiridem, hi sunt 72. familiarum Israëliticarum duces, ex quibus compositum consilium illud, de quo Num. 11:16. & ad extremum Iudæorum excidium sub nomine Sanhedrin celebre; Osiridem denique arca inclusum in mare demersisse, quia Pharaonem Osirim dictum curru, ut arca inclusum in mari rubro submersit; hinc addit mare Ægyptiis odiosum, ab iisque Typhonem dici; nempe dictus Moses ab aquis, à quibus extractus Exod. 2:10 & aqua *mos* vel *Moy* Ægyptiacè dicitur; unde Tzetzes testatur Neptunum vocari ab Ægyptiis Μωσηλί scilicet ex μως *aqua* & אל *el Deus* quasi *aquarum Deus*. Die mensis 17. submersum Osiridem observat, & eadem die mari obrutum Pharaonem S. Historia referre videtur, è suis siquidem

dem ſedibus egreſſi Iſraëlitæ in Succoth caſtra metantur 15. die, in Ethan 16 & 17. in faucibus Chirotharum, è quibus mare ingrediuntur, quo ſtatim abſorptus Pharao. Typhon genuiſſe dicitur Iudæum & Hieroſolymum, quia Iudæi Hieroſolymitani Moſem divinum Legiſlatorem paterno cultu venerabantur: ictus autem fulmine in Arimis dicitur periiſſe; unde Homerus IL. 2. verſ. 783.

Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς,

In Arimis ubi habere cubile Typhoea dicunt;

jam vero τὰ Ἄριμα, ὄρος, *Arima mons eſt*, inquit Scholiaſtes: Strabo autem hanc fabulam in Syria, ſecundum multos actam refert l. 13. teſtaturque Orontem Syriæ fluvium Typhonem dictum ob Typhonis juxta ipſum fulmine icti fabulam lib. 16. nempe Moſes in monte Nebo juxta Iordanem fluvium ortum in Syria (quæ *Aram* dicitur Gen. 28: 2.

Strab.

Strab. l. 13. & Ioseph. l. 1. ant. c. 7. imò & ipsa Palæstina huic monti contermina etiam Aram nonnunquam dicitur) obiit Deo ita ordinante, ut nullæ ejus reliquiæ remanserint, quasi fulmine consumptus fuisset. Denique refert Typhonis metu Deos omnes in animalia transiisse latendi causa; & in corporibus canum, accipitrum &c. se occuluisse: nempe Mosis opera Deus exercuit judicia sua in Deastros Ægypti Exod. 12: 12. corruerunt Templa cum Idolis, Hieronymus Fabiolæ ep. 127. Rabini addunt Idola metallica fusa, lignea combusta, & fictilia contrita; unde Iustinus l. 37. c. 2. furto ablata à Mose fingit, ut hoc mendacio eorum exitium velaretur; sic Dii falsi ante Mosem, quibus accenseri non potuit cum eorum hostis habitus sit, & imprimis Osiridis quem perdidit in mari, & cum quo confundendus non videtur, cum in monte fato Divino occubuerit, Osiris autem mari fuerit oppressus; hinc asinus Osiridi

Osiridi & ejus cultoribus Ægyptiis abominatus, Mosi & Israëlitis carissimus, & religioso cultu celebratus creditur.

STEPHANI MORINI,

DE ORACULIS, ET CUR DESIERUNT.

DISSERTATIO VIII.

ARGUMENTUM.

Oraculum *ab* ore *formatum*; *Teste* Isidoro. Λόγια, ἀπὸ τοῦ λέγειν. *Numerus Deorum* Romanorum, *pro numero urbium & provinciarum captarum, multiplicatus*. Dæmones *scientiam futurorum sibi arrogantes*. *Divina* Oracula *variis modis reddita*. *Septem* Oraculorum *Divinorum genera*; *juxta* Hebræos נבואה, prophetia: רוח הקדוש, Spiritus Sanctus: שכינה, Ha-

Habitatio: אורים ותמים, Urim & Thummim: ignis cœlitus demissus: Sors: *&* בת־קול, filia vocis. פי־גרל, *Os* sortis *&* *Os* Dei, *idem*; *juxta dictum* R. Salomonis Jarchi. Sortis *usus varius & multiplex*; *Quod compluribus exemplis* Judæorum, Gentilium, *&* Christianorum *ostenditur*. Josephi *tunica* פסים, Χιτὼν ποικίλος, Polymita. *Tridens* Neptuno sorte *datus*; *Apud* Virgilium. *Versus* Virgilii *&* Musæi *ad divinandum usurpati*, *Testibus* Spartiano, *&* Herodoto. Sorte *utendum cum maximâ circumspectione*, *& in urgenti necessitate*; *Secundum* Concilium Barcinonense, *&* S. Augustinum. *Varia* Oraculi בת־קול *exempla*, *tum ex* Thalmude, *tum ex* Euangelio, *tum etiam ex* Historia Ecclesiasticâ. Echo, *nomine* בת־קול, filiæ vocis, *apud* Hebræos *designata*. Paraphrasis Jonathanis, *&* Hierosolymitana, Oraculi בת־קול. *mentionem facien-*

en-

entes, in Historiâ Thamaris *&* Judæ, *& in Historiâ rebellionis* Israëlitarum. Judæorum *mysterium, in loco Hagg.* 1:8. *Littera,* ה, *deficiens in voce* אכבד. *Quinque in Templo secundo deficientia; juxta* Salomonem Jarchi, *&* Davidem Kimchi. Oraculorum Hebraïcorum *defectus, per beneficia N. T. abundè compensatus. Ad* Oracula Gentilium *falsa descenditur.* Oraculum Delphicum, *inter* Græcos, *primum & antiquissimum; Testibus* Orpheo, *&* Æschylo. Delphi *terræ umbilicus.* Strabonis, Plutarchi, *&* Diodori siculi, *de* Delphico Oraculo *fabulosa narratio. Antrum Trophonii. Oraculum Dodonæum,* ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο; *Teste* Homero. Δρύες προσήγοροι; apud Æschylum. Argo *navis, garrula dicta à* Lycophrone. Columbæ *loquaces; apud* Dionysium Halicarnassæum, *&* Herodotum. *Mulieres* Barbaræ, *& fatidicæ,*

Co-

Columbę *dictæ*. Hesychii *de hâc re testimonium*, *in voce* Πέλειαι. Herodoti *narratio*, *de duabus mulieribus* Ægyptiis. Silii Italici *lusus Poëticus de geminis* Columbis. Theraphim, *descripti ab* Aben Ezrâ, *&* Jonathane Ben Uziël. Theraphim, *in historiâ* Michalis, Ἱματίων πλῆθος. בעלת אוב, Ἐγγαστρίμυθος, Python. Ὄφις, *Serpens*, *ab* Hebraico אוב, Ὄφ. Πύθων, *ab* Hebraico פתן. *Immundus spiritus*, Samuelis *speciem ostentans*; *probante* Gregorio Nysseno. Οἱ ἐκ τῆς γῆς φανέντες. *Locus Jes.* 19: 3. *illustratus*. ידענים, Γνῶσται, *à fabuloso animali* ידוע, *nuncupati*; *secundum* Hebræos. Rabbinorum *de animali* ידוע, *& plantâ* Mandragorâ *deliria*. Oraculum *sagittarum*. Hieronymi *explicatio*, *Loci Ezech* 21: 21. Græcorum βελομαντία, & ῥαβδομαντία. *Varia* Gentilium Oracula *enumerata*. Oraculum Mercurii, Amphiarai, Fauni, Æsculapii, Se-

rapidis, Apis, Martis, & Jovis Ammonis; *Quorum ritus & Cæremoniæ describuntur. Adduntur Authorum Testimonia. Loco Jes. 65:4. Lux infertur. Varia per sortes* Oracula; *ut* Geryonis, Herculis, & Cereris. Malphęorum *mensa marmorea*; *apud* Majolum. Ἀστραγαλομαντεία. Χειρομαντεία, Κοσκινομαντεία, Ἀξινομαντεία; Δακτυλομαντεία, Ἀλεκτρομαντεία. Oraculorum Gentilium *defectus*, & *silentium*. *Gravissimorum Authorum*, Strabonis, Lucani, Juvenalis Statii, & Ciceronis *testimonia*. Plutarchi tractatus, Περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, de defectu Oraculorum, *examini subjectus*. *Variorum rationes, cur Oracula defecerint, ibidem ventilantur.* Didymi Cynici *sententia*, *rationem* defectus & silentii, *à depravatione hominum arcessens. Rejecta.* Ammonii Philosophi *sententia*, *bella & desolationem* Græciæ, *genuinam* defectus *causam sta-*

statuens. Sponte corruens. Cleombroti Lacedęmonii *somnia, de spirituum in quatuor, classes distributione, &* Geniorum, Heroum, *&* animarum *Mortalitate. Fabulosæ narrationes, de* Thamo, gubernatore Ægyptio, *&* Magni Panis morte, Demetrio Grammatico, geniorum *insulas peragrante; & variis* geniorum *&* Nympharum *bellis & certaminibus. Quorum omnium vanitas strictim ostenditur.* Lamprię *opinio; nimirum* Oracula *orta fuisse, à causâ naturali, & Terræ Exhalatione fatidicâ; Adstipulante* Aristotele. *Illustre* Ciceronis *testimonium;* Oracula *à nimiâ hominum credulitate orta esse, & præter dolos nihil mirifici habere.* Pythia, *inter rusticos, absque arte & litteris educata; Observante* Plutarcho. Oracula, *inter stupidissimas gentes, & in desertis locis celebriora.* Ammonis Oraculum, *in desertis* Lybiæ *arenis;*

& Delphicum, *inter crassos* Bœotos. *Tota* Bœotia Oraculis *perstrepens.* Bœotii *omnium hominum stupidissimi.* Βοιωτία ὗς, *proverbii loco*; *Teste* Erasmo. *Variæ* Oraculorum *technæ & imposturæ, sapientibus observatæ.* Attalus *extis victimarum inscribens*, Victoriam regis. Pythia φιλιππίζων. Oraculorum *fraudulentæ ambages, & flexiloquia.* Crœsus, Pyrrhus, *&* Alexander Molossus, oraculis *decepti.* Americani, *in insulâ* Hispaniolâ, *divina responsa jactantes.* Pseudamantis. *Tempus* Oracula *falsa declarans.* Oracula, *tum carmine, tum prosâ reddita.* Lucianus in Dialogis, oraculis *illudens. Nonnulla* Oracula *humanas vires superantia*; *Fatentibus* Lactantio, Athanasio, Cyrillo *&* Theodoreto. *Media quædam ab* Augustino *proposita, Quibus intercedentibus* Dæmones *vim divinandi acceperint.* Dæmonum *incomprehensibilis agilitas, vari-*


riis exemplis oſtenſa; *ex* Herodoto, Dionyſio Halicarnaſſæo, Plutarcho *&* Floro. *Mors* Juliani Apoſtatæ, *ab angelis, per immenſa locorum intervalla, nunciata*; *ex narratione* Theodoreti, *&* Sozomeni. Dæmonum *ſagacitas, multis exemplis & Hiſtoriis comprobata. Plurimorum* Imperatorum *Mors*, Oraculis portenta Λύκος ξεῖνος Alexandro Magno *itineris dux. Illuſtriores quædam* Dæmonum *prædictiones*; *ex* Poliæno *&* Herodoto. *Mirabilis quædam* Phæronis Ægyptiorum *regis hiſtoria*; *ex eodem* Herodoto. *Adduntur alia, ab* Oraculis *prædicta, & captum humanum ſuperantia.* Dæmon Dei ſimia. Apollinis Delphici *notabilis vox*; Ὦ Δελφοὶ, λίσσεσθ' ἀνέμους, καὶ λῷον ἔσται. OEdipi *parricidium, &* OEnomai *interitus*, Oraculo *prædicta*; *apud* Diodorum Siculum. Oraculum *fundamentis muri* Chalcedonenſis *inſcriptum, & eventu probatum*;

ex relatione Socratis, *&* Cedreni. Thules Ægyptiorum *rex antiquißimus* Oraculum *consulens, &* *mirabile responsum accipiens; Si* Suidæ *fides. Deum S. S. Trinitatis mysterium, regi impio & supærbo revelâsse, non credibile.* Thule *insula ab eodem rege denominata.* Sibyllina Oracula, *non malignâ, sed vanâ intentione composita.* Juliani Apostatæ, de defectu Oraculorum *sententià, à* Cyrillo Alexandrino *refutata. Vera* defectus & silentii Oraculorum *causa*, Euangelii *patefactio; Quod variis S. Scripturæ locis evincitur. Loca Luc.* 10:18. *& Joh.* 12:31. *illustrata.* Patrum *Testimonia hanc veritatem confirmantia.* Constitutum tempus, *in loco, Matth.* 8:29. *Quid? Ipsi* Dæmones *veritati suffragantes, &* Christi, Apostolorumque *authoritatem venerantes. Illustre* Oraculum, *de* Puero Hebræo; *apud* Suidam *&* Cedrenum. *Mira-*

rabile Responsum, legatis Juliani *redditum*; *ex eodem* Cedreno. Celsi, Porphyrii, & Juliani Apostatę *confessio*. Objectionibus *satisfit*. *Prima* Objectio, Dęmones *esse spiritus mendaces, proindeque in illorum testimonio, quod de* Christo, & *Euangelio perhibent, non esse acquiescendum*. Respondetur, *ex sua natura esse mendaces sed jussu divino, sæpius vera locutos*. Dæmon, *in oraculo de* Judæorum *religione, veridicus*; *apud* Justinum Martyrem. *Altera* Objectio, *Complura* Oracula *ante natum* Christum *Defecisse*; & *alia, post ejus Adventum locuta esse*. *Multorum* Oraculorum, *post Euangelium prædicatum florentium exempla*; *Temporibus* Neronis, Vitellii, Vespasiani. Arabum *rex*, Aretas Οἰωνοσκοπητικώτατος. Oraculum Carmeli Dei; *apud* Suetonium. Apollo à S. Gregorio Thaumaturgo *fugatus*. *Idolum* Jovis Φιλίου, *in ædibus* Theotecni,

civitatis Antiochenæ *præsidis. Varia* Oracula, Maximino, Licinio, & Juliano Apostatæ *reddita,* Libanius Sophista, & Jamblichus Ἀλεκτρομαντείᾳ *deditì.* Valentis *exitium* Oraculo *prædictum.* Dæmonis *lusus, in voce* Μίμαντ☉. *Mirabile responsum* Michaëli palæologo *redditum.* Sylvestri II. Pontificis *impiëtas, quibusdam excusata.* Oracula *in* Americâ. Ad hanc Objectionem Respondetur. Oracula, defectum & Silentium *Confessa, morientibus, in extremo positis assimilata. Apostoli* Pauli, & Christi *emortuales voces;* 2 *Tim.* 4:7. *& Johan.* 19:30. Christus, *sol justitiæ, jubar gloriæ quaquaversum spargens. Collatio inter fugam* Gentium, *à conspectu* Josue, *& fugam* Dæmonum, *à conspectu* Christi. Dæmones *nomen* Christi, *&* Christianorum *horrentes.* Tertulliani *&* Athanasii *egregia Testimonia.* Christi *victoria,* & *triumphus in cruce.*

ORA-

RACULUM à Latinis vocabulum mutuatum, qui illud ab *ore* formaverunt, eo quod *inde responsa redduntur* (inquid Isidorus Orig. l. 15. c 4) sic à Græcis λόγια ἀπὸ τοῦ λέγειν dicta; cùm autem responsa & mandata Divina immense præstent humanis, idcirco usus obtinuit ut absolutè ea dicerentur Oracula: *Oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his verbis Deorum oratio,* inquit Cicero Topic. §. 41. Deos dicit pluraliter, ut gentilis; Gentes scilicet plures Deos agnoscebant; sed imprimis ut Romanus, nam quo longius, latiusque diffusum est eorum Imperium & victoriæ numerosiores fuerunt, eo plures Deos coluerunt, quia evocare Deos urbium obsessarum, iisque aras, templa, & cultum vovere solebant: quamobrem pro numero urbium captarum, & Provinciarum subjugatarum in infinitum numerus Deorum Romanorum debuit augescere. Quamvis commentitii illi Dei

non

non existerent, & consequenter nullam futuri cognitionem habere possent: Dæmones vero inter eos relati existerent quidem, sed per incertas tantum conjecturas futuros eventus prȩvidere valerent, & solus verus Deus, cui omnia semper prȩsentia sunt, eos cernat, iisque quos prophetico spiritu dignatur, possit revelare, unde ipse, ait: *Indicate quæ eventura sunt in posterum, ut cognoscamus vos Deos esse*, Esa.41:23. nihilominus infensi hominibus Dȩmones, ut hanc divinitatis prȩrogativam sibi arrogent, credulos seducant, & in eandem secum calamitatem attrahant, quosdam eventus praedicere tentat, divinareque conantur, ut habeantur Divini, & ignorantiam suam sub ambagibus verborum diversos sensus admittentium satagunt occultare: itaque divina Oracula à Daemoniacis secernere convenit, & utraque sigillatim considerare.

Deus Spiritus, & corporis expers caret organis ad vocem in ore forman-

mandam idoneis, & ipsi indifferens è voce, aut alia ratione quodlibet exprimere : propterea Oracula licet ab ore deriventur, nihilominus designant ejus responsa quolibet alio modo reddita, unde Moses testatur Deum manifestasse voluntatem suam cęteris Prophetis visionibus, & somniis, Mosi vero familiari sermone Num. 12. at uno verbo hæc omnia exprimit Apostolus dicens pręstantiam Iudaeorum in hoc maxime consistere, quod Oracula Dei ipsis ereddita sunt Rom. 3:2. propterea Doctores Ebræi septem diversis modis Oracula Dei ipsis reddita tradunt, quos sic distingunt.

1. נבואה *Prophetia*, quæ vigilantes visionibus, & dormientes somniis phantasmatibusque arcanorum divinorum certiores reddebat, iisque futuros eventus revelabat, secundum id quod legitur Num. 12: 6. *Si quis Propheta inter vos, per visionem me notum faciam ei, aut per somnium alloquar eum*: Hinc Esaiam,

Eſaiam, Ezechielem, & Danielem in numerum referunt Prophetarum proprie ſic dictorum.

2. רוח הקדוש *Spiritus Sanctus*, id eſt afflatus Divinus, quo ſine commotione, & viſionibus ullis, ſed irradiatione quadam mens illuſtrabatur cognitione Dei & rerum Divinarum, ut contigit Davidi, Iobo, Salomoni &c.

3. שכינה *Habitatio*, ſeu pręſentia glorioſa Dei, quę patebat in Templo, nube denſa, & eximio ſplendore, quæque piis etiam privatim incubuit; unde ſolent dicere Rabini: quod *duobus de lege differentibus inſidit Divina Majeſtas.*

4. אורים ותמים *urim* & *Thummim* præcipua Pontificum ornamenta, quae benigno fulgore numen favens & propitium ſpondebant, igneo vero & minaci iratum & optatis adverſum teſtabantur: 70. has voces exponunt per δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, quod in iis quaſi in ſpeculo futurorum eventuum veritas manifeſtaretur. *Sic*

non

non opus erat consulentes Deum mentem suam Pontifici aperirent, sed sufficiebat ut generaliter peterent, an quæ meditabantur Deo grata essent; Pontifex enim ex fulgore, in duodecim lapides pretiosos pectorali inditos à Dei Majestate inter Cherubinos Propitiatorii coruscante, emisso, facile declarabat rem Deo gratam, aut ingratam; huicque sententię astipulantur Josephus antiq. l. 3. c. 9. & longe probabilior est eorum opinio, qui volunt litteras quasdam è duodecim Patriarcharum nominibus his lapidibus insculptas præ aliis eminuisse, & simul compositas formasse responsa, aut putant cum Doctissimo Aria Montano speciem ipsam rerum exhibuisse.

5. *Ignis è Cœlo demissus* in victimas quo testabatur Deus se eas acceptare; sic prętulit sacrificium Abelis; sic suum fœdus cum Abrahamo confirmavit; sic consecratum nomini suo templum placere patuit, sic Elias insignem de Bahalis Sacerdotibus victo-

victoriam retulit; unde illustre illud favoris Divini testimonium Regi suo Ecclesia Israëlitica votis impetrare certa spondet Ps. 20. secundum Buchananum.

.... Omnis perlitabit victima;
Protinus cineres depasta holocausta resolvet
In Astra voluens flamma lucem splendidam:

Hinc summa cura conservatus *in altari* ille ignis, & illicitum alio in sacrificiis uti; quare Nadab & Abihu igne vindici consumpti sunt, quia ignem communem adhibuerunt Levit. 10:2. inde ignis perpetuus Vestalium, & Persarum, qui aliter *elicitus* dicebatur, de quo Servius ad illud Virgilii Æneid. 12.

.... Fœdera fulmine sancit.
Confirmat, sancta esse facit, quia cum fiunt fœdera, si coruscatio fuerit, confirmantur; vel certe quia apud majores aræ non incendebantur, sed ignem Divinum precibus elicie-

eliciebant, qui incendebat Altaria.

6. *Sors*, Dei voluntatem etiam patefacit circa res varias sive eligendas, sive reprobandas, unde *os Dei* dicitur; hac sorte divisa terra Cananæa secundum hanc Dei Legem: *Per os sortis dividetur* Num. 26: 55. ad quę R. Salomo Iarchi: *Sors loquebatur, unde patet quod terra per Spiritum Sanctum divisa est, & sic dicitur, dederunt Calebo hebron secundum os Dei &c.* ita *os sortis*, & *os Dei* idem: revera Prov. 16: 33. in *gremium conjicitur sors, à Deo autem tota ratio ejus*: Cananitis Regio itaque pro numero Tribuum in 12. partes divisa est, & quælibet pars scripto accurate complicato comprehensa, coram Deo in urnam potuit injici, in alteram autem urnam nomina ipsa tribuum, & postea Pontifex ex utraque urna unum scriptum eduxit, quo tribus & pars ipsi destinata simul declarata est, admiranda autem Dei Providentia patuit, ex eo quod hęc distributio primę à

Z Jacobo

Jacobo factæ omnino conveniat, ut conferenti Gen. 49. cum 14. Jos. & sequentibus constabit. Sorte etiam electus hircus die expiationum mactandus, & Pontifex, unum ad dextram alterum ad sinistram, habens, utraque manu ex urna capiebat duo scripta in quorum uno habebatur, *Deo*, in altero, *Azaeli*; testantur autem Rabini semper accidisse, quandiu Israëlitæ, officio suo fungebantur, ut manu dextra Deo destinatum acciperet, & sinistra, Azaeli concedendum. Sorte insuper summum Sacerdotium collatum Numer. 17: 20. Sacerdotibus vices 1. Paral: 24. 5. & cantoribus 1. Paral: 25. 8 Sorte electus primus Rex 1 Sam. 10. 21. Ierosolymę incolę Nehem. 11. 1. Denique controversiæ inter privatos diremtæ: *Contentiones submovet sors*, Prov. 18: 18. Quin volunt Rabini Tunicam Iosephi פסים (70 ποικίλον & vulgata *Polymitam* exponunt) quia ejus fratres sortem projecerunt, ut unus eorum ad patrem eam ferret,

nam

nam פסא sortem significat. Sorte Achanis furtum detectum Ios. 7: 18. sorte reus deprehenditur Ionathan 1 Sam. 14:41. qui mos etiam ad gentes transiit: nautæ enim projiciunt sortem, & procellarum causam esse Ionam animadvertunt Ion. 1: 7. Haman etiam de die in diem, & de mense in mensem jussit pur. id est, Sortem conjici ad delendos Iudæos Esther 3: 7. Sic apud Virgilium Tridentem sibi *sorte* datum dicit Neptunus l. 1. Æn. & Dido ibidem subditis suis operum *laborem*.

Partibus æquabat justis aut sorte trahebat

& l. 2. *Laocoon ductus Neptuno sorte Sacerdos*;

ad ludosque l. 5. ..... *Dejectum ærea sortem accepit galea.*

Pro consuetudine, itaque in Euangelio Romani milites sorte partiuntur Christi tunicam Matth. 27: 35. & Imperator probus apud Vopiscum equum miræ velocitatis qui centum

miliaria ad diem conficere, & per dies octo vel decem continuare diceretur, dat militibus, ut sorte unus illorum obtineret: Versibus etiam Virgilianis ad divinandum, & sortes ducendas usi, ut Adrianus apud Spartianum & versibus Musæi apud Herodotum l. 8. § 96. sub Euangelio inter Christianos etiam sors obtinuit; sorte enim in locum quo decessit apostasia sua Iudas, Matthiam collocarunt Apostoli Act. 1:26. attamen cum maxima circumspectione utendum est ea, in urgenti necessitate dumtaxat, atque cum precibus, & absque ulla superstitione, verbi gratia inter duos æquales ad idem munus paribus suffragiis electos secundum Canonem 3. Concilii Barcinonensis an. 599. & S. Augustinum ep. 180. Honorato, ubi de fuga in persecutione agens, & pia ministrorum Dei contentione, qui eorum in medio periculo, ut ovibus inservire possint, remanere debeant, scribit *qui maneant, & qui fugiant sorte*
legendi

legendi sunt, disceptatio si aliter non potuerit terminari. Sic sorte vult eligi è duobus ęqualiter indigentibus ad donum quod inter eos dividi non potest de doct. Ch. l. 1. c. 28. verum improbat sortes evangelicas sive superstitiones eorum qui ad negotia sœcularia Verbum Divinum in auguria vertere tentant; sic sortes Apostolicę damnantur à Gelasio, & sortis usus rejicitur à Gratiano 26. q. 2. § 2. & ab electionibus Ecclesiasticis eliminatur; Gregorius decret. 5. c. 3.

7. בת קול *Bath Col*, filia vocis sive Oraculum à nuda voce, absque ulla visibili specie: quidam Ebręorum gradum inferiorem revelationis esse volunt, ut Maimonides in mor. neu. p. 2. c. 4. alii ad perfectiores referunt, ut R. Levi ben Gersom in 2. Sam. 1. 27. quidquid sit quædam ejus exempla habentur in paraphrasi Chald. Ionathanis, & quędam etiam in Thalmude, & plurima in ipso Euangelio ut Matth. 3. 17. dum baptisaretur

tiſaretur Chriſtus audita vox clamans: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo acquieſco*: quod repetitum in Transfiguratione, cum hac additione: *ipſum audite* 17. 5. ſic Ioan 17. 5. audita vox Chriſto reſpondens: *& glorificavi, & rurſus glorificabo*, audit etiam Paulus divinitus vocatus: *Saule, Saule, quid me perſequeris*, Act. 9. 4. & iterum: *durum tibi contra ſtimulos calcitrare*. Ad illam etiam nonnulli referunt, *voces & tonitrua*, quorum Ioannes ſæpius meminit in Apoc. 4: 5. 6: 1. 8: 5. 10: 3. 4. 11: 19. 14: 2. 16: 18. 19. 6. quia vox illa quandam habere debuit cum tonitru ſimilitudinem, cum plerique eorum qui audiverunt putarint fuiſſe tonitru Ioan. 12: 28. Quidam hac voce Eccleſiam Ieroſolymitanam volunt admonitam confugere Pellam, ut calamitates Judeæ imminentes effugeret, vid. Euſeb. hiſt. l. 3. c. 5. ſane ſatis convenienter, cùm contumaces proximi exitii multis prodigiis, & expreſſa voce ex templi adytis exeunte, & in hęc verba

verba erumpente: *migremus hinc*, moniti fuerunt id. de bello l. 7. Quasi Deus qui palam & splendido apparatu augustum illud domicilium habuerat, tunc clam aufugerat; jamvero non absque sapientissima Dei ordinatione factum, ut Judæi ipsi observaverint Oracula sua initio crassis phantasmatibus, & visionibus constantia, tandem in *filia vocis* desiisse in simplici sono, & prævio verbi Dei indice; ut enim vox ictu quodam præparat aures, aperitque ad introducendum verbum internum & sensa mentis eorum qui nobiscum colloquuntur, sic ad Christum verbum essentiale patris admittendum precursoria illa filia vocis, & quasi illius prævius sonus disponebat: revera Echo filię vocis nomine solet ab Ebræis designari, quia à voce generatur, & præsens requirit verbum quod repetat, & cujus repercussione resonet; neque objiciendum jam factam mentionem illius vocis in historia Tamaris & Judæ Gen. 38: 28. & in historia rebel-

lionis Iſraëlitarum Num. 21: 6. *Ibi* enim poſt longum examen graviditatis Tamaris, & contentionem Judæ pro ipſa puniri volentis, vult auditam filiam vocis clamantem, *à me factum eſt hoc*, paraphraſis Jonathanis, & Hieroſolymitana, *Ambo vos eſtis innocentes in judicio, à conſpectu Domini hoc factum eſt:* Hic vero apud eos clamando vehementer ingentis contumaciæ arguit Iſraëlitas qui murmurabant in Deum Manna dantem, cum ſerpens ab eo ad eſum pulveris damnatus non murmuraſſet, quare immiſſi in eorum pœnam ſerpentes; nam recentes illi paraphraſtę pro more ſui temporis, ut vulgo fit loquuntur, & quia plura de hoc poſtremo Oraculo audiverant illud in medium producunt ad expedienda negotia quę Divina auctoritate indigere ipſis videbantur.

Hæc omnia Oracula deſierunt ipſis fatentibus Judæis, & agnoſcere coactis pręſentem eorum ſtatum deſcribi his verbis Pſal. 74: 9. *Inſignia noſtra*

nostra non videmus, non est amplius Propheta, neque apud nos qui sciat usque quo &c. Imo ab Aggęo, Zacharia, & Malachia, ultimis Prophetarum obsignari cœpit visio ac Prophetia; unde Josephus l. 1 contra Apion testatur ab Artaxerxe ad Jerosolymæ excidium quod vidit, interruptam Prophetarum successionem, & scripta quæ prodierunt non eadem polluisse auctoritate qua praecedentia, sic Theodoretus praef. in Malachiam testatur Mosem primum eorum qui divina Oracula scripserunt. Malachiam vero postremum. Idem Josephus antiq. l. 3. c. 9. refert *urim & Thummim*, solitum amisisse fulgorem dicentis antequam historiam suam scriberet annis, & omnes Ebraei una voce in Agg. 1. 8. observant in ea voce qua pollicetur Deus se Templum secundum gloria affecturum, deficere litteram quinarii indicem ad significandum, primum Templum quinque ornamenta habuisse quibus caruit alterum: ibi enim scribitur

 ואכבד

אכבר absque ה cum scribi complete soleat אכבדה *gloria afficiam*: quinque autem res illae secundum R. S. Jarchi, & R. D. Kimchi sunt, *Prophetiæ*, *Urim & Thummim*, *ignis cœlestis*, *præsentia Divina*, & *Spiritus Sanctus*. De Bath col *filia vocis*, & *sorte*, alias non tacent, sed agnoscunt hanc tacuisse, illam vero vim non amplius habuisse, & Divinae Providentiae signa ab iis abfuisse unde hoc? beneficia longe praestantiora splendore suo umbratilia haec dissipaverunt; Verbum Divinum per semet ipsum docens filiam vocis nude resonantem abegit, *Prophetiam* absolutum omnium promissionum complementum ad finem optatum perduxit; *Spiritum Sanctum* per vices irradiantem ipse Christus in cordibus nostris habitans Ephes. 3: 17. & *Sapientia nobis à Deo factus* 1 Cor. 1:30. abunde supplet; *Urim & Thummim*, luci fidei indesinenter mentes illustrandi, easque de Dei benevolentia propensissima certiores faciendi

faciendi cessit, & ejus splendor ut imposterum inutilis, evanuit: *ignis* locum purior zeli ignis occupavit, & sacrificia rationalia perficit; pro umbratili *Divinæ Majestatis præsentia* Deus ipse homo factus inter homines habitavit, & ad consummationem seculi usque nobiscum adest, tandemque totus in omnibus erit cum omnibus gloriae suae deliciis: ad sortem quod spectat prestantiori sorte compensata est: Ecclesia enim Paracletum obtinuit, à quo fideles deducuntur *in omnem veritatem* Joan. 16: 13. Denique ut umbrae & sydera ipsa Orienti Soli cedunt, sic legales umbrae, & umbratilia Mosaïcae œconomiae decora Luci Euangelicae cesserunt, ut significatum in Monte Tabor, ubi Moses legis auctor, & Elias ejus restaurator cedunt locum Christo qui *Sol Iustitiæ*, Malac. 4: 2. & Oriens ex alto, Luc. 1: 78.

Ad Oracula falsa nunc descendendum; ad divinorum imitationem conficta

confiĉta ſunt à Daemone Dei ſimia, & ab hominibus ipſi addictis qui fraudi ejus diverſimode inſervierunt.

Primum & antiquiſſimum inter Graecos Oraculum fuit Delphicum teſte Orpheo qui hymno in Themidem v. 3. ſcribit quod ipſa:

ἣ πρώτη κατέδειξε βροτοῖς μαντήιον ἁγνὸν
Δελφικῷ ἐν κευθμῶνι.

Prima exhibuit hominibus Oraculum purum in Delphico receſſu &c. Ei ſuffragatur Æſchylus qui in exordio Eumenidum refert Tellurem Deorum matrem fuiſſe primam Divinatricem, eique filiam Themidem ſucceſſiſſe, quae ſorori Phaebe tandem hanc artem conceſſit, & ipſa Phaebo in natale munus dedit, qui Delphis ſedem fixit ut inde commode ſua oracula toti terrarum orbi funderet; in medio enim orbe ſiti Delphi creduntur; & Strabo l. 9. & Plutarchus de Orac. def referunt duas aquilas à Jove emiſſas eodem tempore unam ab Ortu: alteram ab Occaſu ibi conveniſſe, quare hic locus

terræ

terræ umbilicus dictus est, & dictus *Delphi* Δελφοὶ quasi δηλοῦν ἀφανῆ, quod *obscura explicaret*. Quicquid sit Diodorus Siculus lib. 16. testatur hoc Oraculum fortuitò olim repertum à Pastore, qui capras ducens unam ex iis animadvertit saltantem; & insusitatos sonos edentem, quo prodigio motus causam disquirere cœpit, illico autem accessit ad specum cujus halitum vix hauserat, cum furore correptus, variis motibus agitabatur, & mentem arcanis cognitionibus impleri sentiebat, quod deinceps aliis accidere observatum est, sed nonnullis id funestum fuit, cum propius ad specum accedentes & nimio furore agitarentur in illud decidissent: quamobrem constructum tripodem specus ori imposuerunt, sacerdotemque instituerunt, quae ipsis insideret, & halitu fatidico ad reddenda Oracula impleretur. Virginem exercuisse illud munus initio refert; sed quia Echecrates Thessalus forma illius quam consultabat captus, ei vim

vim intulit, deinceps mulier ad minimum quinquagenaria eligebatur: Strabo & Plutarchus eodem fere modo hanc historiam referunt: non magnum autem discrimen inter hoc Oraculum; & illud quod in Antro Trophonio Jupiter reddebat, nisi quod consulentes ipsi furore agitarentur, & responsa acciperent, aut verbis, aut visionibus teste Pausania lib. 9.

Alterum quod de antiquitate cum hoc certat, *Dodonæum* est, & Herodotus l. 2. §. 2. pro illo videtur stare, Dodonæ autem Oraculum Jovis ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο reddebatur, inquit Homerus Odyss. 14. Quidam putant quercus loquutas; hinc Æschylo dicuntur, προσήγοροι δρύες, loquaces quercus, & Apollodorus refert Jasonem curasse trabem ex admirando hoc ligno ad proram navis Argo collocasse, quæ sæpius Oracula reddidit lib. 1. quare Lycophron hanc navem garrulam dixit: alii Columbas loquutas volunt, & voce clara respondisse consulentibus, sic Dionysius Halicarnass. l. 1.

l. 1. antiq. & Herodotus lib. 2. ex Sacerdotibus refert; verum ipsi verisimilius videtur fuisse mulieres barbaras quarum cum linguam non intelligerent indigenæ pro incondita garrulitate habuerunt, & potuerunt omina earum habere, etiam aliquam affinitatem cum nomine Græco quo designantur Columbę, atque ex hac affinitate Columbas dici; Hesychius sane hęc habet, Πέλειαι, περιστεραὶ, καὶ αἱ ἐν Δωδώνῃ θεσπίζουσαι μάντεις: scilicet πέλειαι propriè sunt Columbę subnigræ, quas Aristoteles distinguit à cæteris; ad multi generaliter pro quavis Columba usurpant, & indifferenter eâ sicut περιστερᾷ utuntur: sed insuper πέλειαι etiam alio sensu designant vates quae Oraculis Dodonaeis reddendis inserviebant; optime revera πέλειαι sive subnigrae, dictae cùm Herodotus testetur lib. 2. §. 54. se didicisse in Ægypto à Jovis Thebani Sacerdotibus, duas mulieres vates Thebis adductas à Phœnicibus; quarum unam in Lybia vendiderunt, quae Oraculum Jovis Ammo-

monis constituit, alteram in Græcia Dodonæi Oraculi auctorem; mulieres enim Ægyptiae subnigrae sunt & fusci coloris: sic ambiguae significationis vocem Poetae acceperunt eo sensu qui fabulandi ampliorem praeberet occasionem, & pro fuscis vatibus Columbas dixerunt, sic Silius Ital. l. 3.

In gremio Thebes geminas sedisse Columbas,
Quarum Chaonias pennis quæ contitigit oras
Implet fatidico Dodonida murmure quercum
At quæ Carpathium super æquor vecta per auras
In Lybien niveis tranavit concolor alis;

Verum dum Lybicam niveam facit, aberrat à veritate, neque simpliciter ludit in vocis ambiguitate.

Oraculum tamen certioris adhuc antiquitatis, Ebraei volunt Deos Labanis, quos conqueritur furto ablatos

tos Gen. 31:3. dicunt enim quod Dii illi, qui verſ. 19. *Theraphim* dicuntur, imagines erant ad formam humanam elaboratæ ſub certa aſtrorum poſitione, qua vis indebatur ipſis ad prædicendum futuros eventus; quamobrem illas furata eſt Rachel, ne ex iis diſceret Laban, qua via Jacob cum familia fugiſſet, ut videre eſt apud Aben Eſram in Gen. 31:20. Jonathan ben Uziel in h. l. pro mera imagine non habet, ſed dicit habuiſſe verum hominis primogeniti certo ritu mactati caput, quod ſale & variis aromatibus contra putrefactionem condiebatur, & ſub ejus lingua poſtea ponebatur lamina aurea verbis magnis exarata; religioſe autem cultum caput illud conſulentibus reſpondebat edebatque Oracula; ſane ad humanam effictas has imagines formam probat hiſtoria Michalis, quę 1 Sam. 19:13. *Theraphim* poſuit in lecto Davidis, ut putaretur aegrotus; non debuerunt autem Judaei habere imagines, & conſequenter per Thera-

phim debemus intelligere ἱματίων πλῆθος *struem vestimentorum* in formam humanam compactorum; patet etiam verba edidisse ex Zacharia 10:2. dicente quod *Theraphim loquuntur mendacia*, & Rex Babylonis etiam Theraphim consulit Ezech. 21:21. quin Gaffarellus in curiositatibus inauditis probat Theraphim usum, & Oracula, ab ipsis reddita, Pontificemque eorum usu infamatum à Malmesburgensi sanctitate conspicuum prædicat; cap. 3.

Oraculum quod Saul à Deo desertus petit à בעלת אוב (70. habent ἐγγαστρίμυθον, Chaldæus דידעא לאסקא בידין *scientem evocare mendaces*, Arabs *mortuos è sepulchris evocantem*. Vulgata, *habentem Pythonem*,) proxime sequitur, ut autem ejus auctor agnoscatur, & hæ expositiones concilientur, sciendum אוב significare *utrem*, idque movisse 70. ut ἐγγαστρίμυθον intelligerent, quod hæ pudendis exciperent impurum spiritum quo inflatæ ut utres falsa sua Oracula fun-

fundebant, ita de Pythia loquitur Pausanias lib. 1. τὰ εἰς τὸν ἀσκὸν ἔχοντα, *quæ in utrem exceperat referebat:* sed quia אוב sonat, ut ὄφ, nonnulli existimaverunt ὄφιν *serpentem* intelligi debere, hinc vulgata Pythonem vertit; פתן enim *serpens*, unde etiam dictus Πύθων *serpens*, celebris ab Apolline occisus: merito autem impiæ mulieres habere serpentem dicuntur, cùm possideantur à Diabolo serpente ob fraudes, & imprimis eas quibus sub specie serpentis seduxit primam hominum matrem dicto; hinc etiam *mendax* spiritus ille vere dicitur, quem mulieres illę evocant, & *mortuus* quia à beata vita excidit, & ad æternam mortem damnatus est; quamvis etiam mortuos evocare dicantur, quod mortuorum falsas species induere soleant spiritus hi mendaces, ut Samuelis speciem ostentabat ille qui delusit Saulem, quemadmodum observavit auctor de mirab. S. Scripturæ, & multis argumentis probat S. Gregor. Nyssen. de Pytho-

nissa. Testatur Plutarchus de defect. Orac. *Pythones* revera dictas ventriloquas: *Euriclées* etiam dicebantur ab Euricli Atheniensi, qui genium inter viscera loquentem habebat; Seldenus de Diis Syriis synt. 1. c. 2 putavit etiam dici οἱ ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντες, Esa. 19: 3. quod è terræ visceribus impurum spiritum concipere videantur; sed licet hæ voces ordine respondeant τοῖς אבות, non dubito tamen hic אבות, ut alias per ἐγγαστριμύθους exponi, & transpositione factum, ut הידענים videantur dici engastrimythæ, cum iis respondere debeant οἱ ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντες, quod antiquissimo exemplari Alexandrino in Anglicis Bibliis edito probare licet, in eo enim, ut in exemplaribus vulgaribus engastrimythæ non referuntur ultimo loco, sed post se habent τοὺς γνώστας, qui & sensu & situ הידענים referunt.

Hinc aliud Oraculum exoritur, cùm Ebręi velint hos dici ab animali ידוע cujus os in ore vates habentes futura pręnuntiabant; addunt animal illud

illud ad funem cujûsdam radicis alligari & sagittis debere procul confici ne noceat, habereque humanam effigiem; plantam autem esse mandragoram cujus radix cum corpore humano aliquam habet similitudinem suspicor, cum de mandragora multa multi fabulantur, & Rabini imprimis.

Restat in S. Scriptura Oraculum sagittarum, cujus fit mentio Ezech. 21:21. nempe Rex Babylonis anceps quo arma inferret & in bivio constitutus cum ante se videret Rabatham Ammonitarum, Jerosolymam, consulit Deos suos, & ut vult S. Hieronymus, utriusque urbis nominibus harum urbium duabus sagittis inscriptis eas miscet, & in pharetram cum fasciculo conjicit, ut ea urbs cujus nomen prior educta sagitta proferret prima oppugnaretur, quod Jerosolymę justo Dei judicio contigit; refertque Gręcos hoc Oraculum βελομαντίαν & ῥαβδομαντίαν dicere; unde non dissimile ab hoc Oraculum

 horum

horum Israëlitarum, quorum meminit Hoseas 4: 12. existimo.

Redeo ad Oracula à solis gentibus usurpata, & in eorum scriptis descripta. Pharis Achæorum oppido consulturi Mercurii Oraculum Vestam thure placant, lucernas accendunt, nummum in aræ dextera dedicant, hisque peractis in aurem simulachri quod scire volunt exponunt, & auribus clausis illico foras se proripiunt, ut apertis auribus primam excipiant vocem eorum qui occurrunt, quæ ipsis Oraculum est, Pausan l. 7. Daunii vero in Italia suum consulentes Oraculum nigrum agnum mactabant, & ejus vellere involúti cubabant, ut somniando responsa haberent Strab. l. 6 eadem fere ceremonia observabatur in Templo Amphiarai apud *Pausaniam* l. 1. Fauni, quem consulit Latinus Rex apud Virgilium *Æn.* 7. & alicubi Jovis ipsius, teste ibidem Servio.

Æsculapius imprimis amabat somniantibus sua Oracula reddere iisque re-

remedia salutaria tradere, ut Jamblichus de mysteriis cap. de Somn. refert, & Philostratus in vita Sophist. testatur Polemonem, podagra excruciatum, & in ejus Templo cubantem ab illo admonitum, ne frigido potu uteretur: sic Strabo l. 11. testatur inter Nomades *somniantium Oraculum* fuisse celeberrimum, libroque 17. in Ægypto etiam quæsita in Serapidis fano somnia, & ea pro Oraculis habita: unde S. Hieronymus in Esaiam 65: 4. hanc superstitionem inter Judæos subrepsisse, atque intelligendam cubitu in sepulchris, & in Templis Idolorum dormitionibus à Propheta reprehensis arbitratur, Rabbinosque consentientes habet.

Bos Ægyptiorum Apis aliter sua dabat Oracula, excipiendo scilicet pabulum à consulentibus præbitum, unde observatur manum Germanici respuisse paulo ante illius mortem, teste Plinio l. 8. c. 46. Jupiter Ammonius gestibus & signis à Sacerdote suo editis responsa dedit, Strabo l.

17. Mars Pici Martii roſtro Aboriginibus ſuis reſpondebat. Dionyſ. Halicarn. l. 1.

Sortis etiam diverſę ſpecies pro Oraculis habitæ; nam Suetonius in Tiberii vita teſtatur Geryonem ab Imperatore conſultum reſpondiſſe ut projiceret in fontem talos, quo facto, referre vidit fortunatiorem numerum, in ſupremę dignitatis ipſi deſtinatę teſtimonium c. 4. Similiter Pauſanias refert in Achaïcis Herculem talis ſua reddidiſſe Oracula, eodem tempore quo Ceres variis imaginibus ſpeculo exhibitis ſua reddebat; tædioſum eſſet cętera Oraculorum genera, & vanas ſuperſtitiones ad futuros eventus cognoſcendos adhibitas ſigillatim deſcribere, mitto itaq; Oracula menſę marmoreæ Malphęorum, cujus meminit Maiolus de Vaticinio, & ἀστρολαβυμαντείαν, χειρομαντείαν, κοσκινομαντείαν, ἀξινομαντείαν, δακτυλομαντείαν, ἀλεκτρομαντείαν, & innumeras alias, quarum nonnullę etiam poſtea occurrent, genioſque

ipſos

ipsos in annulis, & sub sigillis inclusos aut in imaginibus &c. S. August. de Civit. Dei, l. 8. c. 24.

Hæc Oracula, hæ vanitates tandem desierunt, & auctoritatem, qua pollebant inter gentes à Diabolo dementatas amiserunt, quod experientia constat, & testimonio gravissimorum auctorum, è media gentilitate productorum nunc confirmabo. Strabo acerrimi judicii auctor agmen ducat, quia vixit sub Tiberio, ut ipse declarat circa finē l. 3. & consequenter coætaneus Christi d. n. expresse autem dicit l. 7. ἐκλέλοιπε δὲ πως καὶ τὸ μαντεῖον τὸ ἐν Δωδώνῃ καθάπερ τἆλλα, *Oraculum Dodonæum defecit, quemadmodum & reliqua &c.* lib. 8. *Olympia Oraculis quæ ibi Olympius* edebat Jupiter, illustris primum facta est, ἐκείνου δ' ἐκλειφθέντος οὐδὲν ἧττον συνέμεινεν ἡ δόξα τοῦ ἱεροῦ, *postquam autem desierunt nihilominus tamen sua Templo mansit gloria &c.* lib. 13. de Apolline Actæo, τὸ δὲ μαντεῖον ἐξηλείφθη, καθάπερ καὶ τὸ ἐν Ζελείᾳ, *Oraculum defecit, ut & quod Ze-*

Zeleiæ fuit &c. & l. 17. Ammonis Oraculum olim Clarissimum, tunc negligi & desertum esse fere, sicut cætera testatur. Lucanus Poëta sua gravitate historicis fidelissimis comparandus sub Nerone florens proxime hunc sequitur, & proprio suffragio illius testimonium confirmat, licet in gratiam Poëtices cui illustrandæ non parum serviebant Oracula, eorum conservationi favere teneretur sic autem de Appio consulente Oraculum Delphicum super bello civili inter Pompejum & Iul. Cæsarem grassante: Pharſ. lib. 5.

..... *Multosque obducta per annos*
Delphica fatidici reserat penetralia
Phœbi &c.

Vbi penetralia illa obducta, & à multis annis clausa representat, addit.

..... *Non ullo sæcula dono,*
Nostra carent majore Deûm, quam
Delphica sedes
Quod siluit; postquam Reges timuere
futura

Et

Et superos vetuere loqui: nec voce negata
Cyrrhææ mærent vates &c.

Sic non tantum Oraculorum beneficio carere suum sœculum queritur; sed insuper scrutatur causas, & suspicatur sæva tyrannorum jussa silentium iis imperare, & vates libenter obsequi ut à violentis Dei agitationibus liberæ essent: ipsa autem vates mox ad Appium.

.....Quid spes ait improba veri,
Te Romane trahit? muto Parnassus hiatu
Conticuit, pressitque Deum; seu Spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter; seu barbarica cum Lampade Pytho
Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
Et Phœbi tenuere viam; seu sponte Deorum

Cyrrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmine longævæ vobis commissa Sibyllæ;
Seu Pæan solitus Templis arcere nocentes
Ora quibus solvat nostro non invenit ævo.

His rationibus non persuasus Appius coëgit Pythiam adyta ingredi, sed licet furens, & solito numine repleri videretur nihil tamen de horrendi illius belli exitu dixit, & evanuisse patuit.

Juvenalis sub Domitiano eidem suffragatur veritati sat. 6. vers. 555.

....Delphi Oracula cessant
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Sic Statius sub eodem Imperatore Theb. 8. vers. 196. de Amphiarao scribit exitium Phœbo luctuosum

....Mutisque diu plorabere Delphis.

Additque......*Trojanaque thymbra tacebit,*

ipsi

Ipsi amnes, ipsæque volent arescere
Laurus.

Addatur Cicero omnibus antiquior cum Cæsarum Imperium præcedat, sic enim ille l. 2. de Divin. §. 117. *Cur isto modo* (nempe Amphibologico) *iam Oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate sed iam diu, iam ut nihil possit esse contemptius; hoc loco cum urgentur evanuisse ajunt vetustate vim loci &c.* Sed quid opus est singulis testibus, cùm catervatim liceat producere ex Plutarcho in tractatu περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, *de defectu Oraculorum*, in quo plures, & Celeberrimi Viri & defecisse unanimiter agnoscunt & rationes cur defecerint indagant; licet in illorum consessum ingredi, cum fores Musarum, eorumque cultorum semper pateant. Audiamus itaque dissertationes eorum.

Didymus Cynicus sententiam primus dixit licentia quam secta sua sibi vendicat, & cum sint ad arguendum & corripiendum propensissimi Cy-

nici,

nici, non mirum quod silentium Oraculorum à depravatione hominum arcessere conetur; quasi ut modo canebat Lucanus:

.....Pæan solitus Templis arcere nocentes,
Ora quibus solvat nostro non invenit ævo.

Hæc sententia non arrisit, & quamvis omnes faterentur in varia scelera ruere homines, meritoque tędere Deos identidem audire consultationes avarorum indesinenter lucro inhiantium, ambitiosorum dignitates effrænate aucupantium, & maxime libidinosorum inhonestos amores in Jovis Apollinisque sinum effundentium, eorumque successus ab ipsis inquirentium: nihilominus patere experientia, quod hominum flagitia benignis Providentiæ curis non obstarent, sydera solito ordine terram luce & influentiis bearent, terraque ipsa uberrimos proventus offerret hominibus, sicut mare pisces; quamobrem

brem verisimile non erat Deos parcere verbis suis, cum ingentia beneficia profunderent.

Ammonius Philosophus haud feliciori successu persuadere aggressus est bella, & ingentes strages, quæ totam fere Græciam in tristem redegerant solitudinem, Oraculis indixisse silentium, quia vix supererant qui illa exposcerent; etenim cum primum instituta sunt Oracula, Græcia non erat incolis abundantior; quin Oracula sponte loca infrequentia, & solitudines captasse: & quod funditus hanc opinionem evertebat, si frequentia, & hominum multitudo quidquam ad Oracula conferret, eorum raritas posset quidem rara efficere, sed penitus non auferret.

Cleombrotus Lacedæmonius itaque convenientius putavit in varias classes distribuere spititus, supremamque diis assignare, sequentem geniis, tertiam heroibus, & postremam animabus humanis; ita ut tamen inter has tres ultimas classes continuum esset

eſſet commercium, & humanæ animæ virtutibus operam dantes ad heroum dignitatem pervenirent, heroes vero in geniorum conditionem evaderent; atque contra degenerantes genii ad heroes deſcenderent, heroes vero ad animas, ut tandem poſt curriculum 9720. annorum ſecundum Heſiodum mortem obeant, quia hic eſt geniorum terminus. Hi genii alio nomine à ſcientia dæmones dicuntur; Varro autem apud S. Auguſtinum de C. D. l. 7. c. 6. circa terram ſub Lunę circulo collocat, & ii ſunt ſecundum Apulejum, Tertullianum Apol. c. 23. & Lactantium de Orig. er. l. 2. c. 17. qui Oracula reddebant, eiſque Cleombrotus ſuffragatus, addebat quod cum eſſent mortales, mirum non erat defeciſſe, & eorum Oracula evanuiſſe: in hanc ſententiam Phillippus hiſtoricus narravit quod nuperrime à Rhetore Æmilio acceperat, & confirmabat geniorum mortem; nempe navigabat ille Italiam verſus, & tranſeundo inſu-

insulam Naxum ab omnibus vox audita Thamum Gubernatorem Ægyptium navis compellans, cui, cum respondisset, vox jussit ut Magni Panis mortem nunciaret, ubi ad Palodes venisset; (Palodes autem Thesprotiæ portus è regione Corcyræ) negligebat autem hoc mandatum Thamus, sed cum pervenit ad Palodes, illico ventus silet, mare quiescit & nulla arte navis potest impelli; quare obsequi coactus exclamavit: *mortuus est magnus Pan*, & subsequuta ingens plurimarum vocum lamentatio, statimque ventus secundus flare cæpit, ut antea; addidit insuper Tiberium (quo Imperante Christus pro redemptione hominum passus est) his auditis, diligentem inquisitionem adhibuisse, ut certo sciret an vera essent, & post accuratissimum examen agnovisse historiam secundum omnes suas circumstantias verissimam; ut nihil deesset, Demetrius Grammaticus etiam opportune ex Anglia rediit, totique

confeſſui retulit ſe juſſu Imperatoris peragraſſe Angliam vicinaſque inſulas, quarum nonnullę heroum, & geniorum dicuntur, unamque prę cæteris deſertam paucoſque incolas habentem perluſtraſſe, in qua ingens fuit procella cum ignibus, & inuſitata aëris commotione, cujus inſulares cauſam dicebant eſſe mortem alicujus eorum qui pręſtantioris humanae ſunt naturę; multa ſe habere ſimilia Cleombrotus, totamque Stoïcorum ſectam quę Deum unum immortalem agnoſcens, cęteras naturas morti obnoxias facit, ea ſupponere affirmavit, addita hiſtoria barbari cujuſdam pręſtantiſſimæ formę qui cum geniis & Nymphis intima ſe habere commercia gloriabatur, referebatque inter eos ſaepe oriri contentiones & certamina, quibus victi cedere victoribus, & in alios mundos confugere coguntur; unde neceſſe eſt ut eorum Oracula deſinant, maxime ſi dæmones muti loquacibus ſuccedant. His nugis, nuperę fabulæ de *Silfis*, *Sala-*

Salamandris & similibus tam diu non immorarer, nisi Plutarchus eas referre dedignatus non fuisset, vana enim omnia; quomodo enim genii animabus immortalibus superiores morerentur? sunt spiritus, nulla fingitur in iis dissolutio, aut corruptio quæ morti dent locum: id agnovissent Stoïci, si compertum habuissent geniorum aut dæmonum naturam esse spiritualem, verum corpoream arbitrabantur, & huic errori alterum astruxerunt: multitudo etiam mundorum fabulosa est, fidesque unum à Deo conditum refert, & à Christo d. n. redemptum, sic ejus beneficio mundos illos innummeros ad quos se transferunt Oraculorum desertores, non opus est destruere.

Restat igitur ut Lampriam audiamus; intendit probare Oracula orta fuisse à terreno quodam halitu furorem excitante & mentem supra se ipsam efferente, ut novas conciperet cognitiones; non secus ac vinum, & similes liquores quæ vim exerunt in

animum, & mirifice mutant loquendi, & agendi consuetudinem; sane nonnulla etiam vis divinatrix inest vino, & adagium vult, in vino veritatem existere; ut igitur terra habet noxias, pestilentes, & salutares exhalationes, posse habere etiam fatidicas non improbabile: objicienti autem Ammonio minime esse probabile Oracula à naturali causa oriri, quia peractis demum sacris redduntur, & Pythia ad tripodes non accedebat antequam universalem in omnibus victimę artubus trepidationem observavisset, atque solita præsentis numinis signa persensisset; respondit, se non diffiteri cæremonias esse necessarias, cum etiam ad varios naturales effectus praeparationes requirantur, vinumque & cæteri liquores pro varia dispositione hominum diversimode agant; atque multo minus negare concursum Divinæ Providentię, quæ efficaces illos halitus efficiebat, & cultu religioneque conciliabatur; itaque halitus illos terrae motibus,
&

& variis aliis casibus potuisse supprimi, exhauriri, aut deficere autumabat; cum fontes ipsi nonnunquam deficiant, & terrae motu flumina absorbeantur: huic sententiae adstipulatur Aristoteles libro de mundo cap. 4. docet enim in terra diversas spirituum esse scaturigines, & quosdam enthusiasmos efficere, & inspirare Oracula: Cicero etiam qui lib. 2. de Divinat scribit: *Evanuisse, ajunt, vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata Oracula ederet.* Verum enim vero sapientissimus ille vir in illa ratione non acquiescit, contra irridendo addit: *De vino aut salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate; de vi loci agitur, neque solum naturali, sed etiam divina, quæ quo tandem modo evanuit? vetustate, inquies, quæ vetustas est, quæ vim divinam conficere possit? quid tam divinum, quam afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat,*

ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero versuque pronunciet: quando autem ista vis evanuit? an postquam homines minus creduli esse cœperunt? Sic pedetentim illam opinionem probabiliorem oppugnat, & insinuare aggreditur à nimia hominum credulitate his Oraculis auctoritatem conciliatam, & praeter dolos nihil mirifici habuisse. revera igitur in dubium revocat Oraculorum auctoritatem, ut antea cęteras divinationes, sortes, auspicia, auguria ostenta &c. vanitatis redarguerat: revera quid pręvalere posset contra virtutem divinam? nihil autem divinius quam quod divinam efficit mentem humanam, cique futuri pandit omnia arcana, ad quae nullis viribus, nullo studio unquam valuisset penetrare, Vinum quidem ingenito ardore incendit corpus, spiritus naturales incitat, imaginationem movet & dissipando metum, & nonnullas forsitan caligines, quę memorię, & *men-*
ti

ti officiunt, promptiores ad concipiendum, enunciandum, & agendum quosdam homines reddit; at neque illud, neque alius liquor ullum ex indocto doctum efficient linguarum usum praebebunt, aut in mysteriis ignotis erudient, tantum abest, ut futuros eventus soli Deo cognitos revelent caeterorum hominum stupidissimis; ut saepius visum, & à Plutarcho observatum Pythiam debuisse inter rusticos absque arte & literis educari, ut rudis & simplex ad Oracula veniret, quemadmodum Xenophon ad thalamum novam nuptam requirit. Ad rem denique non facit fontium, & amnium exarescentium exempla; nunquam enim omnes fontes, & amnes simul exarescunt, neque omnes fodinæ auri, argenti, aut cujusvis metalli simul per totum mundum ut Oracula defecerunt.

Hęc Ciceronis sententia verisimilior forsitan videbitur, & ad Oraculorum originem, nempe fraudes pe-

netrasse nemo ire inficias debet: cum certissimum sit illusiones, prestigias, & varia mendacia hominum Oraculis auctoritatem conciliasse; constat etiam celebriora olim fuisse dum simplicitas obtinebat, & evanuisse cum studio, experientia, & commercio cum Judæis Imperio Romano subditis, Christianisque tandem Euangelii luce orbem illustrantibus, gentes rerum divinarum capaciores, & circa fidem circumspectiores redditæ sunt: observatum insuper revera celebriora Oracula inter stupidissimas gentes, aut in solitudinibus ab arbitris remotis constituta fuisse; sic Ammonis Oraculum inter desertas Lybię arenas, & Delphicum inter crassos Bœotios inclaruisse; quin ut optime Demetrius apud Plutarchum de Orac. def. tota Bœotia Oraculis perstrepebat; neminem autem latet Bœotios omnium hominum stupidissimos fuisse habitos, hinc Anaxagoras Bœotios à bouillis auribus dictos vult, & Βοιωτία ὖς, quod adeo hebetes essent ut

ut vix res facillimas caperent & ad bruta animalia proxime accedere viderentur: (vid. Erasm. adag. in stup.) sane sapientes varias technas & imposturas in Oraculis observaverunt, sicut in extis victimarum, quibus Attalus inscribi curaverat *Victoriam Regis*, quo de ea certiores milites acrius pugnarent, teste Polieno strat. l. 4. quamobrem optime vidit Demosthenes Pythiam φιλιππίζειν *cum Philippo facere*, & in ejus gratiam Oracula configere, ut apud Ciceronem 2. de Divin. videre licet; sic Polyænus stratag. l. 1. testatur Pythiam à Lycurgo corruptam ejus leges Oraculis confirmasse; Herodotus etiam l. 5. §. 63. refert ab Atheniensibus similiter corruptam nulla reddidisse Oracula Lacedæmonibus absque exhortatione ad liberandos à Tyrannorum jugo Athenienses & l. 6. §. 66. etiam testatur ab Amicis Cleomenis corruptam declarasse, quod Demaratus filius non erat Aristonis Regis, ut tota dignitas Cleomeni cederet; quod tandem

agnitum Pythiæ muneris abdicationem, & corruptoribus exilium pepererit: sed nihil validius has fraudes probat quam ambages Oraculorum & flexiloquia, ambiguaque eorum verba quorum interpretationes interpretibus egent, & sortes ipsæ sortibus; sæpius etiam contrarios sensus habent ut hoc opulentissimo Asiæ Regi redditum:

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Quo deceptus hostium vim sese perversurum putavit, suam autem pervertit; aut illud Pyrrho datum.

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Quod victoriam æquè Romanis ac illi pollicebatur: simile refert Strabo lib. 6. *Pandosia ingentem est populum extinctura trivertex*, quo deceptus Alexander Molossus periit falso putans hostium non suorum prædici cladem: videtur quidem non-

nullis

nullis ſtupendus Pythiæ furor, & horrendas ejus agitationes fraudum ſuſpicionem amoliri judicant; at Franciſcus Lopes de Gomara, in ſua generali Indiarum hiſtoria ſcribit cap. 37. de *Bohitis* quibuſdam inſulæ Hiſpaniolae incolis eos poſt eſum herbę eorum lingua *Cohoba* dictę furere, ac bacchari, & adeo mente turbari ut viſiones ſe habere crederent, & reſponſa divinitus accepta referre conſulentibus ſive arbitrarentur, ſive fingerent; arte igitur comparari poteſt & furor & agitatio illa pluſquam humana; quod Lucianus pręclaro confirmat exemplo in Pſeudomanti; ſcribit enim hunc praeſtigiatorem macerata in ore radice, qua in expurgandis lanis fullones utuntur, ſpumaſſe, trepidaſſe, tantaque rabie fuiſſe agitatum ut nullis vatibus aut ſibyllis cederet, ſed ſpectatores omnes ſtupore repleret: addit mirifice etiam prodigia imitatum, & poſt ſe majorem Europae, & Aſiae partem traxiſſe, impoſuiſſeque praefectis, & ſum-

ſummis magiſtratibus: inter Oracula maxime novimus æſtimata ea quæ litteris ſignatis commode reddita ſunt; at hęc ludicra erant huic præſtigiatori, qui noverat ceram illæſam è litteris amovere, & ſigna inſuper ſigillorum molli maſſa excipere; quæ poſtea indurata valebat imprimere novæ cerę, cum prior rupta fuerat: quin erui variis caſibus Oracula ſpecie vetera curavit, quæ ejus adventum promittebant, & cum cæteris vatibus per orbem diſperſis egit, ut eorum Oracula cum ſuis quadrarent, ſicque ſub Marci Aurelii Imperio illuſtriſſimo, & inter plurimos Chriſtianos ejus fraudibus detegendis intentiſſimos, ut ſæpe querebatur, quo plebs in eos irrueret, floruit; & plurimis perſuaſit ſe comitem habere Deum Æſculapium, quia ſerpentem oſtentabat, & illius capite in ſinu occultato fictum è tela picta ſibi adaptabat, ita ut ejus verba per illud reſonarent & ſerpens ipſi loqui & Oracula fundere videretur, neque *un*quam

quam ulla Oracula majori admiratione digna existimarentur. Unde licet colligere cætera ad eundem, aut similem modum confiсta. Sane innumera tempore falsa apparuerunt, ut celebre illud Aruspicum responsum (apud Flau. Vopiscum in Floriano) post duas Taciti & Floriani statuas Interamnae fulmine dejectas, spondens ex eorum familia principem toti terrarum orbi imperaturum post mille annos, qui nunquam apparuit. Haec inquam mendacia Oracula, ambigua etiam, & ad omnes eventus disposita, obscuraque sub tenebris ignorantiam futuri involventia, fraudes olent, & produnt, probantque nihil in Oraculis praeter mendacium varia arte compositum: unde etiam varie reddita, nempe carmine cum Pythia versificatrix erat, & prosa alias, quasi Apollo Poëtarum praeses artem suam dedidicisset. Lucianus proculdubio testatus est se credere fraudulenta duntaxat esse Oracula in Dialogo Junonis & Latonae, ubi Juno Latonae expro-

probrat Apollinem ejus filium falſo vendicare futurorum eventuum ſcientiam, & Clario, Didymaeo, Delphicoque Oraculis homines illum decipere, cùm inſcitiam ſuam verborum ambagibus, & ambiguitate velaret, ne eventibus falſi argueretur: quod probat Hyacinthi morte quem deperibat Apollo, occidit tamen improviſo diſci ſaltu: Met. Ovid. lib. 10. & ſubita Daphnes in laurum mutatione, quam vitaſſet, ſi praevidere potuiſſet; Ovid. lib. 1. Idem Lucianus introducit Menippum objicientem Trophonio, & Amphilochio inter mortuos repertis intolerabilem ſtultitiam; quod quandam ſibi divinitatem arrogaſſent, quoniam eorum morte eos meros mortales eſſe pateret, ut Oracula ab ipſis reddita falſitate manifeſta condemnaret.

Nihilominus huic ſententiae omnino ſubſcribere non poſſum; fateor equidem multa Oracula falſa, plurima dubia, alia ita obſcura ut ſenſus ſemper lateret, & quaedam ſolo caſu ve-

vera; at non nunquam humanas vires, fraudesque superasse existimo, post Lactantium, & Tertullianum jam citatos, qui Oraculis reddendis incubuisse Daemones docuerunt; quod etiam docuerunt S. Athanasius de Incarn. Verbi Divini, & S. Cyrillus Alexand. lib. 6. contra Julian. & Theodoretus serm. 10. S. Augustinus denique toto libro de Divinatione Daemonum, ubi non tantum concedit eos praedixisse eversionem Templi Alexandrini Serapis, *sicut alia multa*; sed insuper unde vim divinandi habeant ostendit, nempe ab incomprehensibili eorum agilitate, diuturna experientia, vi incomparabili qua faciunt, quæ prædixerunt, signorum naturalium cognitione, & ipsa revelatione Divina; cujus intelligentiam sagaces illi spiritus varie adipiscuntur, quamvis sæpius fallantur, & semper homines credulos fallere satagant: sane imperceptibili agilitate sua potuit dæmon multa dicere hominibus impossibilia; ut cum Cræsus tentare volens

lens Oraculorum fidem, in sua adversus Cyrum expeditione, ad plurima misit legatos qui certa certi diei hora sciscitarentur quid faceret; die autem ac ipsa hora qua consulebatur Apollo Delphicus, cogitans quid faceret quod nisi Divinitus prædici non posset, cum Regiæ dignitati minime conveniret, ipsemet lebete æneo testudinem cum agno coquere incipit, respondit autem oraculum latine redditum:

Æquoris est spatium, & numerus mihi notus arenæ:
Mutum percipio, fantis nihil audio vocem:
Venit ad hos sensus nidor testudinis acris
Quæ simul agnina coquitur cum carne lebete
Ære infra strato, & stratum cui desuper est æs.

Teste Herodoto l. 1. §. 47. sic Dæmon prudentiam Craesi irrisit, nam id ipsi facillimum fuit; scivit enim propo-

si-

situm ejus, & intentus in id quod agebat, etsi centum & quinquaginta leucæ Regiam ejus inter & Delphos intercederent, momento vidit coquentem testudinis & agni carnes Sardibus, & Oraculo prodidit Delphis; spiritui siquidem sufficit momentum ad immensum spatium transeundum. Unde Castor & Pollux victoriam de Latinis ad Regillum lacum reportatam Romæ eodem momento nuntiaverunt teste Dionysio Halic. l. 6. Plutarchus in Paulo Æmilio plurima exempla similia cum stupore refert, & Florus l. 2. c 14. Sic per Angelos multis fidelibus ob infensum in Ecclesiam Juliani Apostatę animum anxiis, ejus mors eodem tempore, quo contigit ad loca viginti stationum itinere à castris dissita potuit nunciari; vid. Theod. hist. l. 3. c. 19 Sozom. l. 6. c 2. &c. Sagacitas etiam dęmonum in colligendis ex circumstantiis eventibus futuris potuit eos adjuvare in edendis quibusdam Oraculis, ut cum præsente Demetrio Oraculum Mopsi

respondit liberto præfecti Ciliciæ dubiæ de Diis sententię hominis, & explorandi tantum causa illud consulentis, *Nigrum*: quod Religione deinceps eum replevit, nam obsignata tabella quærebat albumne, an vero nigrum immolaret taurum. Plutarch. de Orac. Def. Sic Primò Cęsari interitus nuntiatus, tabula æneâ in monumento Capys inventâ, & monitis Spurinę variisque prodigiis à Suetonio relatis cap. 81. sic Augusti mors ante centesimum diem nunciata, ejus vitæ c. 97. & pauci Imperatores extiterunt, cujus mortem non portenderint Oracula aut signa clariora; si omnes violentæ fuissent dicere liceret daemones caedis & criminum avidos percussoribus nefaria inspirasse concilia, & impias eorum manus in hos principes armavisse, at quaedam naturales fuerunt, unde alia ratione probabiliter praevidisse debet constare; talis Augusti mors; talis ad imperium etiam ejus destinatio similiter praevisa, & portento significatum
na-

naturam orbi Dominum parturire, quod innotuit senatui, & ipsum movit ad censendum ne quis illo anno genitus educaretur; Suet. in eo c. 94. *Sed eos qui uxores haberent gravidas, quo ad se quisque spem traheret curasse, ne senatusconsultum in ærarium deferretur &c.* quod probat non confictam praedictionem post eventum; sed potuit emanasse à praedictionibus Christum omnium Dominum imperante Augusto natum spectantibus: ibid. tamen refertur alterum simile Oraculum in Thracia à Baccho, patri redditum, quo filio promissum est totius orbis imperium. Si haec & similia ex statu & dispositione rerum potuit Daemon hariolari, alia praedixit ad quae patranda se accinxit: ita dicere potuit λύκον ξένον, fore ducem itineris Alexandro contra Darium, & praetermittere bubulcum nomine λύκιον, ipsi revera peregrinum qui ei in circuitu montium occultam ostendit viam, qua improvisos Persas adortus fudit, & Susidos portas

occupavit, ut refert Poliaenus ſtratag. lib. 4 §. 27. ita Ammonius Jupiter Tementhem Ægypti Regem monere potuit, *caveret à Gallis*, & quo ipſum diciperet, & eventui aliquomodo reſponderet eventus, Pſammeticho hoſti conſulere, ut Cares qui criſtas Galeis impoſitas Gallorum inſtar gerebant, in illum armaret, & debellaret, ut idem refert ſtrat. lib 7. ſic potuit polliceri filium Craeſi mutum loquuturum, cum patrem extremo periculo expoſitum cerneret, eumque huic periculo exponere, certus ſic vim faciendam naturae quae vinculum linguæ muti ſolveret; vel adhibito aliquo remedio id efficeret; quidquid ſit hoc ſuperabat hominum vires, nam ſi quis potuiſſet hujus Regis ditiſſimi filium curare, proculdubio caſui curandum non relinquiſſet, & dæmonis longo *uſu* docti ſolertia neceſſaria fuit: Herod. lib. 1. §. 85. affine Oraculum Phæronis Ægyptiorum Regis, quo caecitatem impietate contractam amovere monitus

tus est oculos abluendo lotio mulieris suo viro fidelis & aliorum omnium expertis ab eodem relatum l. 2. §. 111. usus primum refertur lotio reginæ, quam omnium castissimam putabat, mox aliarum plurimarum frustra, tandem curatus, omnes, quarum lotium ipsi non profuit, igne cremandas jussit, & eam, quam fidelem expertus est, in uxorem duxit; potuit enim Daemon hanc caecitatem efficere, & eo modo quo voluit amovere; potuit etiam insontes mulieres huic exitio dare, quia caedibus gaudebat, & Deus occulto suo judicio multa ipsi permisit in idololatras ad puniendam illorum impietatem. Sed nostro proposito sufficit hominum industriam ad hanc curationem non suffecisse, licet omnes sciant lotium purgandis oculis idoneum, cum verisimile sit efficaciora remedia à Regiis Medicis adhibita. Sane nec ab hominibus etiam praevideri potuit ὁπλίτης rivus funestus Lysandro, ut Oraculum ante monuerat; Plutarch. in ejus vita;

aut certans cum lupo taurus fatalis etiam Pyrrho ex Oraculo; Id. in ejus vita; aut omnium Syracusanorum captus Atheniensibus promissus, Id. in Nicia, licet tantum eorum nomina in Catalogo cœperint: aut denique lupi agnum auferentis occursus Euristheni in signum prosperi matrimonii ab Oraculo datus, Ælian. hist. anim. l. 12. c. 31. Sunt tamen longe præstantiora, quale illud quod reddidit Apollo Delphis Græciæ Principibus super horrenda fame à longa sterilitate inducta, quam precibus Æaci à Jove & Ægina geniti tantum posse amoliri respondit, & revera vix preces inceperat cum tonitru concussum cœlum densis nubibus scatuit quæ in feraces imbres illico resolutę sunt, & pristinam fælicitatem Græciæ reddiderunt, ut refert Clemens Alex. str. l. 6. quod eo mirabilius est quod affinitatem habet cum miraculis divinitus à Samuele, & Elia editis 1 Sam. 12: 20. & 1 Reg. 18: 44. Sic Dæmon Dei simia abutitur suo aëreo imperio
cum

cum ipsi laxantur habenæ; idem ibid. refert Xerxe immensas in Græcos copias ducente Apollinem eos monuisse his verbis: ὦ Δελφοὶ λιασεθ' ἀνέμυς καὶ λῶιον ἔσαι. *Delphi placate ventos & bene vobis erit.* Quod fecerunt, & statim excitata tempestas qua formidolosa classis fere tota periit. Diodorus Siculus etiam post multos alios auctores refert Oraculum Delphicum prędixisse Oedipi parricidium ab ipso patris matrimonio, & mortem nunciasse Oenomao, simulatque filiam Hippodamiam nuptui daret, quod eventu comprobatum postquam omnes quas excogitare potuerat moras nexuisset; l. 4. tale etiam vetus illud Oraculum quod Socrates hist. Eccles. l. 4. c. 8. & Cedrenus téstantur inscriptum fuisse uni ex lapidibus fundamentalibus murorum Chalcedonis, & inventum cum demoliti sunt ob refugium Procopio tyranno præstitum, quo prædicebatur hujus muri lapides tandem servituros aquaeductui, & tunc barbaros irruptionem

in Imperium Romanum facturos, quod evenit; videatur ibid. Oraculum. Hoc tamen, & caetera omnia cedere debent ei quod refert Suidas redditum Thuli Ægyptiorum Regi antiquissimo si ex certo fonte hausit illud, & quod testatur hunc Regem superbia elatum petiisse ab Oraculo, an unquam fuisset, aut postea foret Rex ipso potentior, & ipsi responsum:

πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς
σύμφυτα δὲ πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα.

Primum Deus, deinde verbum, & spiritus cum ipsis; coexistentia autem sunt haec tria, & in unum coeuntia: Sacra enim Trinitas vix potuit convenientius describi, & Divinarum Personarum in eadem essentia unitas, ordoque quo hae personae propria oeconomia se manifestaverunt, Pater scilicet primum Creatione & Lege; Filius deinde Euangelio, & Redemptione, tandemque S. Spiritus sancti-

fi-

ficatione & innumeris donis quibus salutem hominum promovet: An credibile Deum, qui dicitur sua statuta Israëli manifestasse, neque cæteris gentibus idem beneficium concessisse Ps. 147. 20. ipsique credidisse sua Oracula, Rom. 3:2. hanc doctrinam Israëlem suum celasse, ut revelaret Regi impio & superbo, eo ipso tempore, quo gentes omnes sinebat in viis suis ambulare? nam antiquissimus debuit esse cum toti terrarum orbi imperasse dicat Suidas, & à se denominasse Thulen insulam antiquissimam & ad extremos Septentrionis fines sitam; quis, inquam, hoc credat? quę ratio etiam militat contra Sibyllina Oracula de Christo, & ejus mysteriis, non malo forsitan fine composita, sed vano, cum mendaciis nostris non egeat Euangelica veritas.

Denique Julianus Apostata in scripto, quod decem libris S. Cyrillus Alexandrinus refutavit lib. 6. ubi ejus verba referuntur, existimat in-

ſpirationes divinas liberas eſſe, neque hominibus, neque quibuſdam ſemper, ſed cum diis liber, communicari; hinc Oracula inter Ebræos deſiiſſe, neque amplius inter Ægyptios reperiri, & Jovem in eorum vicem dediſſe ſacras artes, ut hominum neceſſitati ſubvenirent; his autem artibus magiam ipſum intelligere docet Cyrillus, unde colligitur quanta cæcitate laboraret, nam magicæ artes ab initio mundi ex inferis emerſerunt, & cum Oraculis ad ſeducendos homines dæmon eas exercuit; tantumque abeſt ut defectum Oraculorum ſuppleverint, contra cum ipſis evanuerunt, & magi Pythiæque & cætera dæmonum ludibria cum ipſis ad inferos relegata meliorem orbis noſtri partem à Chriſtianis frequentatam reliquerunt liberam.

Vera itaque cauſa ſilentii Oraculorum eſt Euangelii patefactio; lumen ejus Divinum lucifugas præſtigias Dæmonum abigit, & coram veridico Dei Filio fallacia Oracula ſtare non po-

potuerunt; potentissimum illud mulieris semen, malignum serpentis caput fregit secundum primum Oraculum Gen. 3:15. & capitis fracti os obmutuit, fraudesque omnes dissipatæ sunt, quo refertur illud Sophoniç 2: 11. *Prævalebit Dominus adversus eos, & exterminabit omnes Deos gentium &c.* hinc ipse Christus Discipulis suis lętis quod ipsi dæmones subjicerentur, ait Luc. 10:18. *Spectabam Satanam ut fulgur è Cœlo cadentem*, id est, Ex imperio quod summa auctoritate, & fraudibus exercebat in gentes, exclusum opera Euangelii quod ab Apostolis prędicabatur, ita ut vix velocior fulguris vis quàm divinę illius doctrinę: & Joan. 12. vers. 31. *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras.* id est, Satan qui pręstigiis sibi imperium constituerat in mundo, excludetur, Oracula ejus silebunt, & fraudes omnes abolebuntur quamobrem S. Athanasius de Incarn. triumphabundus exclamat: *Quando apud Græcos, & ubique gentium*

tium

tium Oracula cessaverunt, & in nihilum sunt redacta? nisi cum ad terram sese manifestavit Dominus, & paulo post: *quando ars magica, & scholæ præstigiarum incæperunt sordescere? nisi cum divina apparitio Verbi hominibus exhibita fuit &c.* & iterum. *Olim quidem ubique Delphica, Dodonea, Bœotia, Lycia, Ægyptiaca, Cabirorum Oracula imposturis vaticiniorum scatebant: Pythia apud homines in admiratione erant; nunc ex quo Christus prædicatur ejusmodi vesaniæ cessaverunt, nec superest ultius fatidicus &c.* S. Hieronymus in Esa. 19. *Ingressus est in Ægyptum hujus mundi, statimque omnia Ægypti simulachra commota sunt, ita ut divinationes, & universa fraus idololatriæ, quæ deceptum possidebat orbem se fractam esse sentiret; in tantum ut Magi de Oriente Docti à Dæmonibus, vel juxta Prophetiam Balaam intelligentes natum Filium Dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem venerint Bethlehem,*
&

& ostendente stella adoraverint puerum &c. & in cap. 41. *Hoc autem significat, quod post adventum Christi omnia idola conticuerint; ubi Apollo Delphicus & Loxias Deliusque & Clarius, & cætera idola futurorum scientiam pollicentia quæ Reges potentissimos deceperunt?* Sic Theodoretus Serm. 10. de Orac. postquam longam celeberrimorum enumerationem fecisset, scribit: *Fuisse vero hæc Oracula malignorum Dæmonum, qui Dei nomen sibi usurparant, satis magno est argumento taciturnitas qua nunc premuntur: etenim postquam servator noster in carne apparuit fugam arripuerunt, qui hos dolos hominibus invexerant, divini luminis splendorem ferre non valentes &c.* Pauci sunt Patres ex quibus similia exscribere testimonia non possemus, sed haec sufficient ad probandum salvifico Euangelii sono perniciosis Oraculis indictum silentium; quemadmodum igitur rebelles Principis irati conspectum fugiunt, sic

ſic daemones coram Chriſto ſtare non potuerunt, & uſurpato per nefas Regno deceſſerunt, legitimoque Domino reliquerunt, ad ergaſtulaque ſua confugerunt, ut in aeternis tenebris ſuam ignominiam occultarent: ad quam fugam videntur parati, *ſed tempus & tempeſtates quæ pater in ſua poteſtate poſuit*, Act. 1:7. ignoraſſe, unde ejus mandato fugientes à Demoniacis clamabant: *Quid nobis tecum Jeſu Fili Dei? veniſti huc vexatum nos ante conſtitutum tempus*, Mat. 8: 29. per conſtitutum illud tempus non intelligo judicii diem, cui vinculis ęternis reſervati dicuntur, Jud. 6. & 2. Petr. 2:4. ſed victoriam Chriſti, qua de peccato & daemonibus triumphavit in Cruce, Col. 2:15. indignantur itaque quod ante reportatam victoriam, & contritum eorum caput vim ſuam in iis abigendis exerceret, & forma ſervi indutus eorum ſuperbiam calcaret. Quod igitur tunc ex Euangelio diſcimus eum feciſſe in Judaea, deſignavit quod

Euan-

Evangelio suo per totum orbem illico facturus erat; adeo potens autem erat vis ejus, ut mendaces hos spiritus cogeret veritati suffragari, & ejus Apostolorumque auctoritatem venerari, & consequenter fateri quod ipsi erant prestigiatores meri: sic Luc. 4: 41. *Exibant autem etiam dæmones ex multis clamantes, ac dicentes certe tu es Christus ille, Filius Dei &c.* & Pythonissa Paulum & socios sequens clamabat: *Isti homines servi Dei illius altissimi sunt, qui annunciant vobis viam salutis*, Act. 16: 17. Sic Suidas in Augusto & Cedrenus testantur huic imperatori Oraculum consulenti de illo qui post ipsum regnaturus esset Pythiam his verbis respondisse.

παῖς Ἑβραῖος κέλεταί μὲ θεοῖς μακάρεσσι ἀνάσσων
τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι
λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

Puer Ebræus Diis beatis imperans jubet me hanc ædem relinquere, & ad orcum rursus ire, abi igitur tacens

cens ab aris nostris. Similia multa possunt legi aput Eusebium de prep. evang. & unicum in hanc rem addam ibidem redditum legatis Juliani, sicut à Cedreno refertur, ut fides penes ipsum sit, nam metuo ne nimis creduli fuerint auctores:

εἴπατε τῷ βασιλεῖ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλὰ
οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μάντιδα δάφνην
οὐ παγὰν λαλέουσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ:

Sic ab ejus interprete redditum

Corruit artifici vario cortina labore
Constructa, hoc Regi redeuntes dicite vestro,
Nec casa, nec Phœbi reddens Oracula laurus
Ulla super, nullæ veniunt à fonte loquelæ,
Extincti laticesque profunda silentia servant.

Nulla superesse nunc videtur ratio dubitandi adventum salutarem Domini I. C. dejecisse dęmones ab imperio per totum terrarum orbem usru-

usurpato, cujus ratione *Principes mundi* dicuntur Joan. 12. & passim, verbumque Euangelicum silentium Oraculis imposuisse; Euangelium id testatur, experientia probat, & ipsi Dæmones confessi dicuntur, innumerique auctores id contigisse regnantibus Augusto & Tiberio, sub quibus natus est Christus, & Euangelium cœpit predicari referunt: quin neque Celsus, neque Porphyrius, neque Julianus Apostata, hostes gloriæ Christi infensissimi diffitentur, immo id Christianis exprobratum, & in crimen versum, quod Deorum absentiam efficerent, quia ipsis intolerabiles erant, & Apollo ipse id Oraculo declarasse fertur; indeque gravissimam in justos seu Christianos exortam persequutionem, ut videre est apud Eusebium in vita Constantini Magni l. 2. c. 50. Miseri illi Dii qui inimicis suis cedere coguntur, & benevolos cultores sic inviti deserunt! imperiumque per tria annorum millia stabilitum sic corruere patiuntur!

miſeri, inquam, ſed æque impotentes coram Omnipotente Deo qui eorum rabiem inſuperabilibus catenis aſtrictam tenet, ad obſequium cogit, & propriam vanitatem fateri adigit; quam certa & conſtans eſſe debet illa veritas cui ipſum mendacium non poteſt non ſuffragari!

Certo ſcio ſolum rerum omnium Dominum contumaces & refractarios Dœmones domare potuiſſe, domitiſque ſilentium imperaſſe, & quod majus adhuc fuit in veritatis favorem non nunquam loqui coegiſſe: attamen humanum ingenium mira pollens ſolertia ad prætexendas rationes revocandi in dubium veritatem evidentiorem videtur requirere ut occurram duabus objectionibus, quarum ſolutiones omnibus dubiis aditum poterunt præcludere.

Prima eſt, mendacia fuiſſe Oracula, & mendaces dæmones illorum auctores. quare non carere ſuſpicione teſtimonium, quod perhibuerunt Chriſto, & veritati ab eo annunciatae; *imo*

eo

eo ipso quod dixerunt se à Christo fugari, & in abyssum detrudi, fidem cohibendam, quia semper mentiuntur, & metuendum ne decipiant; non abhorret hæc objectio ab impietate Pharisæorum dicentium Filium Dei dæmones abegisse per Beelzebul eorum Principem Mat. 12: 24. etsi enim cautius contexatur, insinuat tamen inter Christum, id est, ipsam veritatem, & mendaces illos spiritus nonnullam conspirationem posse fingi, quod impium, & refutatur etiam ipso Christi argumento: *Si ejiciat Satan Satanam divisum est ejus imperium, & consequenter dissipabitur*, cum jam pars succumbat alteri, quæ iterum divisa partim succumbet, & tandem totum corruat necesse est: ad id autem quod affirmatur dęmones esse mendaces, distinguendo respondeo, mendaces sunt cum genio suo indulgent, & libere loquuntur; quia fallere semper amant; at cum Dei summa auctoritate aguntur, & ad vera testimonia contra seipsos

danda proferuntur, inviti licet obsequuntur; & vim naturę suæ faciunt, ut veritas in eorum ore mendaci triumphet, impiosque mendaciis eorum fidem adhibentes, & denegantes veris illis testimoniis inexcusabilis perversitatis convincat: sane licet totus sit falsitati deditus, & quasdam veritates novit, & Dei auctoritate adactus potest verum dicere, dixisseque constat, cum affirmavit se inducturum ad bellum Achabum, & futurum mendacem in ore Prophetarum ejus, 2 Chron. 18. 20. & cum hoc edidit Oraculum ab ipsis gentibus acceptum teste Justino Martyr. 1. Cohor. ad Græs.

μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
αὐτογέννητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς,

Solus Chaldeus sapit, & Judæus apella
Per seipsum genitum Regemque, Deumque colentes.

Altera objectio fortior est, & majorem

rem præ se fert difficultatis speciem; nempe manifestę falsitatis arguit Oracula testantia finem Oraculis impositum, cum oporteat durasse adhuc, quoniam consulentibus revera respondebant, & demonstrant Christum per Euangelii manifestationem iis non potuisse silentium imponere, quandoquidem constat etiam ex Cicerone quadraginta annis ante natum Christum occiso jam cœpisse desinere, & multis etiam sœculis post ejus ascensionem quędam edita fuisse, quod omnibus historię monumentis potest probari; sane Cedrenus testatur hoc Oraculum de Nerone redditum:

ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει,

ultimus Æneadum matricida imperitabit.

Josephus antiq. l. 18. c. 7. testatur Arabum Regem Aretam οἰωνοσκοπησάμενον, *ex auguriis accepisse*, impossibile fuisse Vitellii exercitum ad Petram pervenire, & unum è ducibus potius moriturum, vel eum cujus jussu bel-

bellum pararetur; & dum in itinere proximo esset exercitus revera nuntio de Tiberii obitu revocatus est. Suetonius etiam in Vespasiano c. 5. refert quod hunc Imperatorem; *apud Judæam Carmeli Dei* [Carmelus mons; cuivis autem notum, gentes, montibus, sylvis, fluviis, & fontibus tribuisse numina] *Oraculum consulentem, ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret, volueretque animo quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur &c.* Unde mox ad imperium evectus est; favente veteri constantique opinione *quæ percrebuerat Oriente toto, esse in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur*, ut cap. preced. loquitur, & in eundem sensum Tacitus hist. l. 5. c. 13. Sed Josephus ex sacris litteris eam petens, facit, ut convenientius ad Christum totius orbis Dominum referamus. Eusebius ipse, aut potius ejus interpres Rufinus l. 7. c. 25. refert Apollinem in Templo ad Alpes sito Oracula fundentem à

Sancto

Sancto Gregorio Thaumaturgo abactum, & mutum redditum, saltem vocis tantum conservasse, quantum sufficiebat ut ædituo significaret se à Gregorio in fugam actum; unde querenti de sorte Dei sui, suaque ęditus, scripto imperavit Dęmon, ut suum repeteret templum, quod fecit; sed frustra, quia tanta virtute sancti motus ędituus fidem Christianam amplexus est: quod paucis mutatis etiam refert S. Gregorius Nyssenus in Thaumaturgi vita. Eusebii etiam lib 9. c. 2. refertur Theotęcnum civitatis Antiochenae curatorem habuisse Idolum Jovis φιλίε, seu amicitiis contrahendis praesidis, quo usus magica praestigia edebat, & Oracula obtinebat, quorum unum Christianorum exilium imperabat. Sabellicus ennead. 7. l. 6. testatur Maximinum Imperatorem in obsidione Aquileiae, & cives ad propugnationem fuisse animatos Beleni Oraculo Maximini exitium pollicente. Licinio contra augures & Oracula uno ore pollicebantur

tur victoriam quam Constantinus obtinuit prostrato cum suis Licinio teste Eusebio l. 2. de vita Constant. c 3 & seq. Reddita postea etiam Juliano Apostatae Oracula quae eum ad bellum Persicum victoriam promittendo instigabant, quorum hoc refert Theodoretus l. 3. hist. c. 16. *Parati nunc Dii omnes sumus, ut feramus trophaea juxta Feram fluvium, quorum ego ductor ero ferus Mars belli potens.* Fera fluvius est Tigris à fera dictus, pro victoria autem mortem cruentam habuit, unde rabie exęstuans manu sanguinem projecit in cœlum cum his verbis; *vicisti Galilæe*, sic Christum vocando, ut cum vita ejus impietas dumtaxat finiret, idem cap 20. Silentio prætereriri non debet fere preteritum Oraculum Apollinis Daphnæi paulo ante expeditionem Persicam impii hujus Imperatoris postulationibus respondens: *Obstare vaticiniis vicinos mortuos, quos aliò prius transferri oporteat, tum Oracula fundere*; scilicet

erant

erant in illo Templo S. Babylæ Martyris & sociorum reliquiæ & coram illis loqui non poterat Daemon, quare eas exportare jussi sunt Christiani Id. c. 6. & Sozom. l. 5. c. 18. qui cap. 19. addit igne caelitus delapso postea conflagrasse cum Idolo delubrum. Sub Valente atroci orthodoxorum persecutore Libanius Sophista, & Iamblichus malis artibus dediti Oracula per ἀλεκτρομαντίαν obtinere fategerunt, ut congnoscerent cui destinaretur imperium; scribentes enim in pulvere 24. elementa, ac cuivis granum frumenti imponentes Gallum immiserunt, qui granum abstulit de littera *Th*, postea de *E*, de *O*, & de *D*, abstulit, sed desinens ambiguam designationem reliquit; Valens tamen multos Theodotos, Theodoros, & Theodosios, aliosque, quorum nomina ab illis litteris incipiebant, insontes suppliciis affecit, ut refert Cedrenus, quod longe probabilius est, quam quod de νεκρομαντεία, sive divinatione per mortuorum umbras

 ha-

habet Socrates hist. l. 4. c. 15. quidquid sit sub umbra divinae potectionis delitescentem Theodosium prodere caecum Oraculum non potuit, & in mentem Valentis non venit, ut imperio ejus revera paulo post potiretur ad solatium fidelium, & aeternam idololatriae, quam funditus delevit. ignominiam: Valens enim Oraculis nimium fidens exitium noctu ipsi Oraculo prædictum evitare non valuit; à spectro enim hæc verba ibidem Cedrenus refert eum excepisse:

τάχος βάδιζε πρὸς Μίμαντα τὸν μέγαν,
ἔνθα μόρος σε δεινὸς ἁρπάσει ταλὰν:

Celeriter ad magnam Mimantem miser abi
Te mortis atrox ibi corripiet exitus.

Edoctus autem Mimantem esse maximum Asiæ montem, qui non procul insula Chio in mare procurrit, securus illum à tergo relinquens in occursum Gotthorum Imperii limites invadentium properabat, & confidenter

ter etiam pugnavit, sed victus in miserum pagum aufugit ubi inter paleas cum paucis sociis delitescens igne injecto in cineres redactus est; quodque mirum est, post hostium recessum, qui imperatoris cadaver quęsiverunt, invenerunt, juxta illud, sepulchrum his verbis inscriptum: HEIC SITUS EST MIMAS MACEDO DUCTOR EXERCITUS, seu ut propria verba referam: ἐνταυθα κεῖται μίμας μακεδὼν στρατηγέτης: Sic sub Valente habemus duo Oracula ipso eventu comprobata. S. Augustinus etiam Oraculi hæc proxime sequentis meminit *de Divinatione Dæmonum*, quod prędixit eversionem Templi Alexandrini Serapis, & argumentum prębuit huic tractatui. Gentes ipsę postea etiam Oracula prędicarunt & inter alia unum quo Religionis Christianæ finis statuebatur in anno à nato Christo 398. quod prębuit occasionem Patribus Concilii V. Carthaginensis petendi ab Imperatoribus, ut reliquiæ idololatriæ abolerentur

can.

can. 15. & conceſſum eſt ab Arcadio & Honorio promulgatis edictis per Orientem & Occidentem, Manlio Theodoro Conſule an. 399. vide Can. & not. tom. 1. Conc. gen Nihilominus Ducas hiſtoriȩ ſuæ Conſtantinopolitanæ cap 41. longo poſt tempore adhuc magni momenti Oraculum refert redditum Michaëli Palæologo 1. ſuis ſucceſſoribus anxio; his 7. litteris nihil ſignificantibus conſtabat *MAMAIMI.* Sed vates exponens docuit ſingula elementa unum deſignare imperatorem, quod eventu patuit; Michaëli primo enim ſucceſſit Andronicus, ei vero Michaëli 2. poſt quem alter Andronicus, Joannes 1. Manuel, & Joannes 2. quem Conſtantinopoli, Imperio & vita ſpoliavit Mahomet 2. Turcarum Imperator. Quin funeſta illa die Conſtantinopolitanis plurimis exitium falſum Oraculum, quod promittebat *fore, ut cum hoſtes veniſſent uſque ad civitatis locum tauri dictum & oppidanos perſequerentur, oppidanos tum*

tum conversos necessitate sic urgente hostem expulsuros, urbemque retenturos; hac spe enim moti janitores portarum claves de muro extra urbem jecerunt, & sic ad fugam nullis patuit aditus. Mitto Oracula quae Sylvester 2. & Celebris Rogerius Bacco à capitibus artificialibus excepisse dicuntur, quia non convenit inter omnes quid de illis sentiendum sit: Sunt enim qui damnant eorum artes, sunt etiam qui excusant voluntque in suspicionem malam venisse ob exquisitum, & extra communem captum Mathematicarum usum; videantur igitur G. Malmesburiensis de gestis Reg. Angl. l. 2. c. 10. I. Stella Venetus in vita ejus seu Pontif. 49. Baronius ad An. 999. I. Balæus in suis cent. & Seldenus de Diis Syr. Synt. 1. c. 2. Denique ut his exemplis finem imponam Gonsalus de Illescas in historia sua Pontificali & Catholica lib. 6. c. 24. §. 8. testatur his ultimis sœculis Montexumam ultimum Mexicanorum Regem Oraculum habuisse, & in adventu Hispa-

Hispanorum consuluisse, quod victoriam certam pollicebatur modo numerosiorum, quam solebat, hominum multitudinem mactaret. Et Francisc. Lopes de Gomara in sua historia generali Indiarum refert Diabolos familiariter egisse cum Indis in insula Hispaniola antequam Hispani illam occupassent, & respondisse consultationibus eorum; quare constare debet ante natum Christum Oracula jam cæpisse obmutescere; & post ejus resurrectionem plurima remansisse, neque improbabile ad hoc usque tempus quædam perseverare.

Veritas semper fortior facile harum objectionum impetum sustinebit & retundet, ita ut victrix illustrior apparebit: absurdum videtur quod Oracula ipsa dicant se defecisse, cum loqui non potuissent si revera defecissent; Cavillatoribus solis id videri potest, & qui serio agunt, non ignorant solitos morientes dicere, quod mortui sunt, quia nulla vitę spes remanet, & concipitur quoddam mortis,

tis, & vitæ confinium, in quo mors vitaque inter se de ægris certant, ita ut ad utramque simul pertineant, quod vita nondum de jure suo cedat: mors autem jam prædę suæ injiciat manus: *in singulos dies morior*, inquit Apostolus 1. Cor. 15:31. quia innumeris calamitatibus obrutus & continuis periculis undique septus præsentem semper spectabat mortem; 2. Tim 4:7. dicit: *Certamem illud præclarum decertavi, cursum consummavi, &c.* Cum cursus difficilior pars, & certaminis atrocitas restabat, quia finem illius mente capiebat: imo Christus ipsamet veritas dicebat: *relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem*, Joan. 16:28. & 17:11. *Non sum amplius in mundo*: quamvis in mundo adhuc esset, quia properabat ad peragenda quæ super erant; sic moriens dixt Patri: *In manus tuas depono spiritum meum*, Luc. 23:46. & *consummatum est*, Joan. 19:30. Certum tamen redemtionis nostræ opus morte completa consummatum fu-

fuiſſe, & depoſita ſua anima non potuiſſe loqui; ſic tamen loqui debuit, quia inſtabat conſummatio; & depoſitio illa adeo certa, ut præſentes haberi poſſent; ſic ſilentium Dæmonum, & eorum fuga à Deo decreta coegerunt Dæmones dicere jam in pręſenti ſe mutos eſſe, & fugari, cum jam fugandi eſſent, & æterno ſilentio damnandi.

Non inficior duci aliqua ratione eos qui Oracula ante Chriſtum abolita in medium afferunt, quia effectus ſuam præcedere cauſam non debet; verum nihil impedit quo minus effectus aliquis ante cauſæ manifeſtationem appareat, ſic quotidie ſol antecedentem lucem præmittit, & ſimul efficit; ſic adventanti Regi tribuuntur præparationes, quę ante fiunt ut convenienter excipiatur; arcus triumphales nempe, Palatia magnifice inſtructa, & varii apparatus ad pompam compoſiti, quamvis ante parentur, attamen ad ingreſſum ejus ſolemnem dumtaxat ſpectant; eodem

pror-

prorsus modo se habent ad Christi adventum Oracula, damnata sunt silentio ut audiretur, & quo silentium illud esset altius & magis taciturnum paulisper præcessit, atque sequutum est ingentem illam cœlorum, & terrae commotionem, quae antecedere debuit *desiderium gentium*, Agg. 2. 7. & Regum omnium Regem: cum Sole etiam comparatur convenienter; *Sol* enim *Justitiæ*, dicitur Malac. 4: 2. & consequenter suum diluculum habere debuit, & auroram quę tenebris errorum indiceret fugam; non mirum itaque si Lucifugae daemones non expectarunt illustrem ejus exortum, sed maturarunt fugam, ii quibus concessum, ne lumine ejus gloriae percellerentur, ut superstites, quos ejus ortus oppressit. Sic impletum à vero Josua, quod in typo suo (nam Jesus & Josua iidem nomine, & quem Ebraei Josuam dicunt, Graece & Latine dicimus Jesum) designatum; siquidem refertur Exod. 23: 27. praemisisse Deum ante eum

terrores, quibus perculsi Chananaei, & socii desponderent animos, & plurimi fugae praecipiti se darent, ut Chananaei illi qui Africam petierunt, & tabulis publice appensis declararunt se fugere à conspectu Josuæ, ut Procopius, & Suidas testantur: sic Daemones, terrore Christum antecedente, perculsi, cœperunt meditari fugam, & latebras, eorumque promptissimi ejus adventum anteverterunt; sic eorum fugae causa fuit, ut Chananaeorum Josua. Eadem fere ratio eorum, qui remanserunt in mundo post Christi nativitatem, & triumphos; impotenti metu alligati expectarunt ejus adventum, ut illorum destructione illustraretur; varie quippe agit metus, & modo alas dat pedibus ad fugiendum, modo torpore quodam impedit omnem motum; *hi* igitur daemones in suis sedibus oppressi, & vi Euangelica perculsi in triumphum solemnem acti sunt magnifice: verum enimvero nonnulli tantae stragi videntur se subtraxisse,
&

& nonnullam pristinae tyrannidis partem retinentes jugum Christi effugisse; quasi vero, ut in superioribus comparationibus perstemus, Josua non fuerit totius Chananitidis victor, & Chananæorum domitor, quamvis nonnulli eorum superstites remanserint, ut servirent suis Israelitis; quin videmus consulto Josuam cap. 10: 24. in medio pugnę æstu reservasse in spelunca quinque Reges, ut copiis eorum cæsis tranquille unusquisque suorum ducum cervicibus eorum pedes imponeret, quo omnes in glorię partem venirent; jure ac merito itaque Christus virtute sua, & Euangelii vi domitis dæmonibus, quosdam in latebris reservavit, ut deinceps continuam fidelibus sequuturis victoriarum materiam praeberent. Nonne similiter regum adventus post se habent effectus qui ipsis tribuuntur, nempe privilegia, & immunitates quae civibus bene meritis in solemnibus illis diebus concedi solent? nonne Sol post Occasum conservat quam-

dam lucem tenebris dominantem? immo ſplendet in vicariis ſideribus, & abſens in ipſa nocte triumphat: ita Chriſtus adventu ſuo vere & proprie ſubegit daemones, & luce ſui Euangelii diſſipavit eorum tenebricoſas pręſtigias; ſed quemadmodum in media die in antris, & denſiſſimis ſylvis tenebrae tunc confugiunt, & quędam etiam pone craſſiora corpora delitefcunt, ſucceſſiveque dunitaxat cum circuit Sol, diſſipantur; ſic tenebriones inferorum à Chriſto & Euangelii luce abacti latibula quæſiverunt, inveneruntque in ſolitudinibus, & locis à Chriſtianis non frequentatis; quo ſenſim procedente Euangelio fugarentur, & divinum ejus decus Chriſtianis cedendo teſtarentur: hinc obſervandum revera poſt Chriſtum ita ſubactos, ut in orbe quem ſua præſentia illuſtravit non amplius floruerint. ſed timide & furtim pauca Oracula muſſitaverint; eaque in perniciem conſultantium, ut ex allatis exemplis patuit; atque ut pa-

pateret id Christo tribuendum, obmutuisse illico ac nomen ejus audirent, aut sentirent aliquem adesse Christianorum, teste confidentissima illa Tertulliani provocatione Apolog. c 23. *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet; jussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso: æque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando præfantur: ista ipsa virgo cœlestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, alias demorituris scordii, & denatii, & Asclepiadoti sumministrator; nisi dæmones se confessi fuerint Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite &c.* Sic S. Athanasius de Incarn. Verb. Dei: *In ipsis præstigiis dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ*

utatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi invocet, & videbit quomodo ejus rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & veneficia irrita jaceant; quis igitur & quantus est hic Christus, qui solo sui nominis vocabulo ac præsentia omnia obruit &c. Scilicet assiduis experimentis Christiani inter idololatras degentes discebant Christi nomini cedere semper dæmones; quamobrem in iis vere triumphare pergebat, & fructum percipiebat victoriæ quam reportaverat de inferno in cruce, Col. 2: 5. quamque ante Oraculis quę prima obmutuere pręmonstraverat, ut omnium œconomiarum fideles decoris ejus essent participes; & Satan sub pedibus eorum à primis sœculis ad ultimã contereretur, Rom. 16: 20.

FINIS.

INDEX.

PRÆCIPUARUM RERUM quæ hîc occurrunt.

A.

Ca-

C.

D.

E.

E.

F.

G.

H.

I. Jan-

I.

L.

Ma-

M.

N.

P.

A Sa-

FINIS.

I N D E X.

Locorum S. Scripturæ, ſuccinctius, aut prolixius, in hoc opuſculo, illuſtratorum & explicatorum.

I N D E X.

II. CHRON.

INDEX.

Cap.

INDEX.

Er-

Errata Typographica.

Pag. Lin.

3 Penult: Ἀποθειάξειν pro Ἀποθειάζειν.

5 10 *Heracleata* pro *Heracleota*.

12 21, 23 *Sinista* pro *Sinistra*.

43 2 διάβαινες pro διαβάντες.

46 ult. *Lacedæmones incoluisse* pro *Lacedæmones primos incoluisse*.

48 16 *Obliterarum* pro *Obliteratum*.

49 13 *Josue* pro *Josua*.

15 *earum* pro *eorum*.

17 *duxisset* pro *duxissent*.

51 2 *ut* pro *inter*.

61 5 ἀμθμὸν pro ἀριθμὸν.

13 *spatiasque* pro *spatiosque*.

63 2 ארוני pro אדוני.

23 Σάρτωνωνος pro Σπάρτωνωνος.

69 4 *caloris* pro *coloris*.

76 24 *periergetes* pro *periegetes*.

82 18 *Assyria* pro *Assyria*.

85 5 *Caucasuma* pro *Caucasum*.

87 6 שוד pro שור.

ult: *Ilcrda* pro *Ilerda*.

98 11 *deo* pro *dea*.

104 13 *ttbi* pro *tibi*.

116 penult: זכח pro זבח.

133 5 *trasibunt* pro *transibunt*.

123 17 χυμῦν pro χυμῶν.

124 12 *dicantur* pro *dicatur*.

129 ult: *emersura* pro *emersuras*.

Pag.	Lin.	
142	15	*multa* pro *multa.*
149	11	ἀναφαδαντίας pro ἀναφαλαντίας.
151	18	γεμήν pro γενήν.
154	7, 8	ἀνωσποδετεῖν pro ἀνυποδετεῖν.
158	antepen:	הכהנים pro הכהנים.
171	22	*expiationis* pro *expiationum.*
173	2	*humilationem* pro *humiliationem.*
	15	הכנרל pro המגדל.
	14	הם pro הם.
177	13	*induens* pro *induere.*
	23	Ζῶμα pro Σῶμα.
193	14, 15	*Lixmanni* pro *Lipmanni.*
195	4, 5	εἰργῶ pro εἴργω: & εἰργῶ pro εἴργω.
204	ult:	τόν pro τήν.
231	ult:	*suppleatur adultera*, sc: *adultera ea.*
238	18	*uxore* pro *uxorem.*
241	12	*Gravimßi* pro *Gravissimi.*
242	18	*ansa* pro *ausa.*
243	ult:	200 pro 2°.
257	13	*illius tulit* pro *non tulit.*
257	21	*quidam* pro *quidem.*
260	ult:	Ἐκπλησίας pro Ἐκκλησίας.
272	15	*judicium* pro *judicium profert.*
284	3	*necessarias* pro *necessaria.*
285	10	*ungul* pro *ungue.*
299	antepe:	*quod Judai* pro *Judaeos.*
310	7	*Ava* pro *Ana.*
313	21	*vis* pro *vix.*
314	18	*nomini* pro *nominis.*

Pag.	Lin.	
319	21	*δικαιωσύνης* pro *δικαιωσύνη.*
332	17	*utramque* pro *utrumque.*
373	penult:	*βελομαντίαν ῥαβδομαντίαν*, pro *βελομαντείαν* & *ῥαβδομαντείαν.*

Cætera errata quæ levioris sunt momenti, facile corriget B. L.